This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

00037475

Hosted by Google

00037477

g.a.§.1780.p.669.

2 f

f.o.lat. 653

3849 102

B.I.a-52

1 Beibl.

Hosted by Google

Rarus & hic liber in Gaudlingii
Historia Literaria, T. II.
p. 1589. et not. l. 5.

0/1

Bonn edition, rare

By Gunthenus, Cisterciay.
Ed. by Conrad Rittershausen
(1560-1613) Germanist.

2 vols in one.

This edition not in B.M.

£15.15.0.

24

+

Hosted by Google

Celeberrimum hoc opus extat Ligurini titulo; e
quod res aduersus Ligures gestas potissimum comple
ctatur. Quam appellationem de patria nisi complu
res acceperunt: at ostendunt et arguunt huic err
rem primores pagellae hujus editionis. Krausius in
Biblioth. crit. Baeler. Cap. XII. §. 2. p. m. 315.

Staat... ...thek
München

<36626347940013
S
<36626347940013
Bayer. Staatsbibliothek 33

Hosted by Google

00037475

Guntheri Ligurinus.

SEV

DE REBVS GESTIS IMP. CAES. FRIDERICI PRIMI, PP. AVG.

cognomento Aenobarbi, siue Barbarossæ,

LIBRI X.

OPVS NON SOLVM POETIS LECTV IVCVNDVM, SED ET Historicis & Politicis & Aulicis, ad deliberationum, Consiliorum, Legationum, Orationum & Epistolarum exempla; Iurisconsultis quoq; ad Iuris Feudistici cognitionem vtile inprimis ac necessarium.

CVNRADVS RITTERSHVSIVS, IC. RECENSVIT: QVINque editionibus inter se collatis mendas hinc passim plurimas grauissimasq; tam lectionum, quàm distinctionum sustulit: NOTIS illustrauit; & accurato Rerum ac Verborum memorabilium INDICE nunc primùm locupletauit.

TVBINGÆ,
Apud Georgium Gruppenbachium

M. D. XCVIII.

Hb 166/1649

Hosted by Google

EFFIGIES IMP. FRIDERICI PRIMI ÆNOBARBI.

IN EFFIGIEM IMP. FRIDERICI I.

PErfidiæ terror, fiducia amorq; bonorum
FRIDERICVS barbæ russæ cognomine clarus
Isthæc ora tulit, crudum spirantia Martem:
Bellacíq; viro fecit pax nomen inane.
Eheu quàm leuibus pereunt ingentia caussis!
Amne iacet mersus modico, quem terra tremebat.

Cunrad. Rittershusius IC. F.

Hosted by Google

ILLVSTRIS-

SIMIS PRINCIPIBVS AC DOMI-nis, D. ERNESTO, & D. AVGVSTO, fratribus Patruelibus, Ducibus Brunſuuicenſium & Lunæburgenſium, &c. Dominis ſuis Clementiſſimis,

S. D.

ILLVSTRISSIMI *Principes, Clementiſſimi Domini, M. Fuluium Nobiliorem, eum, qui de Aetolis triumphauit, legimus ex manubijs pecuniaq; Cenſoriâ Aedem* HERCVLIS MVSARVM *Romæin Circo Flaminio extruxiſſe ac dedicaſſe. Qua in re non illud tantùm ſecutus eſt, quod ipſe litterarum ſtudio & ſummi Poëtæ Ennij amicitia duceretur; ſed etiam quòd cùm in illa omnis eruditionis parente atque altrice Græciâ Imperator eſſet cum exercitu, audiuiſſet, Herculem dici Muſageten, hoc eſt, Comitem ducemq; Muſarum. Idem Fuluius primus nouem ſigna Camænarum ex Ambratienſi oppido translata Romam ſub tutela Herculis conſecrauit. Intelligebat nimirùm vir ſapiens, id quod res eſt, Hæc numina mutuas ſibi operas tradere, mutuisq; præmijs & honoribus iuuari ornariq; oportere. Tam enim quies & otium Muſarum, hoc eſt, eorum, qui*

Hosted by Google

eruditioni doctrinæ ſe dediderunt, defenſione Herculis, id eſt, magnatum, quàm virtus Herculis voce ac præconio Muſarum indiget. Primùm namq; Muſæ quamuis Deæ à Poëtis fingantur, tamen quia virgines ſunt, ſibi ipſis ſufficere non poſſe creduntur, ſed in fidem & tutelam principum ſeſe conferunt. Deinde quamuis fortiter ac præclarè geſta ab aliquo Hercule, ſiue diuinitùs excitato & adiuto heroë, niſi litterarum lumen & ſcriptorum celebratio eruditorum accedat, quorum beneficio conſeruentur & memoriæ commendentur poſteritatis, vnius duntaxat æui negotium ſunt. Ferè enim idem tumulus, qui oſſa & reliquias præſtantium virorum contegit, etiam nomen & famam vnâ adobruit. Vnde præclarè, vt omnia, Pindarus: Ταὶ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ σκότον πολλῶ ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι. ἔργοις ὃ καλοῖς ἔσοπλεν ἴσαμεν ἐνὶ σῶ τεύχῳ, εἰ μναμοσύνας ἔκαπι λιταρύμπυκος ἔυρηταί τις ἄποινα μόχθων κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς. *Hoc eſt: Magnæ enim ſtrenuitates tenebras multas habent, cum hymnis carent: & præclaris operibus ſpeculum nouimus vnico modo, ſi quis voluntate Mnemoſynes ſplendidè vittatæ nactus ſit remunerationem laborum inclytis carminum cantibus. Quàm multa putatis, Illuſtriſſimi Principes, à maioribus noſtris, priſcis illis Germaniæ heroibus & ſapienter & fortiter patrata facinora*

Nemeonic. 7.

Interpret. Henric. Steph.

facinora hodie non alia de causa ignorari & tacere in tenebris, quàm quòd illorum virtutes in secula rudia & inculta, quæ scriptorum idoneorum penuriâ laborabant, incidissent? Non frustra igitur Alexander Magnus cùm in Sigæo Troadis promontorio ad Achillis tumulum constitisset, fortunatum illum adolescentem prædicasse dicitur, qui virtutis suæ Homerum præconem inuenisset. Est enim hoc vnicum laborum solatium, hoc virtutis præmium, laus & gloria: cuius cupiditate vti quisq; est optimus, ita maximè ducitur. Eandem cupiditatem dissimulare non potuit summus Imperator FRIDERICVS I. *quem Barbarossam & Aenobarbum à colore barbæ cognominârunt. Exstat eius Epistola, quam scripsit ad patruum suum Othonem Frisingensem Antistitem, historicum, vt illa ferebat ætas, bonum & diligentem, qua ab ipso petit, vt res ab sese gestas velit in commentarios referre, atq; ad posteritatem transmittere. Metuebat quippe, ne idem sibi, quod alijs ante se fortissimis viris, eueniret. Non tantùm autem ab Othone illo patruo suo id, quod voluit, & inclyta viri virtus merebatur, facilè impetrauit; sed alij quoq; in ipsius historia illustranda studium collocârunt. Nam primò Radeuicus eiusdem Ecclesiæ Frisingensis Canonicus ab Antistite suo Othone cæptam te-*

lam detexuit, stadiumq; reliquum quasi acceptâ ab anteceſſore lampade decurrit. Deinde GVNTHERVS *Poëta bonam partem eorum, quæ illi prosâ fuerant exequuti, carmine complecti ſtuduit: adeoq; X. ipſos libros compleuit, quos Imperatori Friderico obtulit: ne quis putet, in quo nonnullos errare animaduerti, Guntherum Friderico poſteriorem fuiſſe. Etſi autem hic totam Friderici vitam non deſcripſit, neq; ad expeditionem illam celeberrimam peruenit, quam aduerſus Saracenos in Palæſtinam ſuſcepit, & quæ opt. ac fortiſſ. Principem alieniſſimo tempore rebus humanis exemit (non enim de hac expeditione, ſed de ea, quæ hanc præceſſerat, Cunradi Imp. Solymarius Guntheri ſcriptus fuit) tamen hæc ipſa pars, quam perſecutus eſt, non idcircò minoris eſt facienda, ſed potiùs ob cauſas à me alibi allatas, neq; hîc intempeſtiuè repetendas, plurimi æſtimanda.*

Equidem (vt de me pauca dicã, deq; occaſione qua ad iſtam editionem parandam ſum delatus) cùm adoleſcens in Scholis Iuriſconſultorum elegantium (ceteris enim tantum eſt cum bonis auctorib. & litteris, quantum cani & balneo) aliquotiens in explicatione doctrinæ feudalis audiuiſſem laudari hunc, quem dixi, Guntherum; produxi etiam aliquot elegantes eius verſus ad exornanda & illuſtranda quædam

Hosted by Google

dam in illo Iure Feudorum, satis alioquin barbarè & infeliciter descripto : sensi me sæpiùs magno accendi desiderio videndi legendiqúe totius auctoris, qui quã esset bonus, in promtu erat ex illis, quæ proferebãtur, particulis æstimare, ex vngue leonẽ, quod dicitur. Sed quòd nunquã ille commodâ formâ editus, qua verò edituserat, ea nusquam venalis reperiretur, exẽplaria Guntheri à me & commilitonibus frustra tùm quidẽ requirebantur. Tandẽ cùm paucis ab hinc annis in eum incidissem, sic auidè eũ diligenterq́ lectitaui, vt qui diuturnã sitim explere cuperet. Multa inter legendum, quæ mihi fortè in mentem veniebant, ac vel ad emendandum vel ad illustrandum hunc scriptorem videbantur pertinere, ad oram libri mei annotabam : eaq́ quæ annotassem ita temerè, atque vt quidque sub acumen stili venerat, postea inter describendum nouis subinde accessionibus augebam. Tandem etiam, accedentibus præsertim clarissimorum virorum adhortationibus, incentiuo etiam addito per Nobiliss. & eruditiss. Christophorum Pflugium Eq. Misn. cœpi de noua aliqua Guntheri editione procuranda cogitare, & quidem eiusmodi, quæ pluribus vsui esse posset, measq́ illas Annotatiunculas, quas magni aliquot viri non inutiles neq́ contemnendas iudicabant, adiunctas haberet.

Porrò cum hunc auctorem non sine patrocinio foràs dandum existimarem, quòd scirem quàm ille non sit expers inuidiæ & odij quorundam hominum, quorum scilicet vlcera tangit, & mordaci vero fricat, quibus proinde idoneos & iustos opponendos esse defensores animaduertebam: in varias partes animum conuertens, & quò potissimum irem deliberans, rectissimè facturum cogitaui, si vos, Illustrissimi & Clementissimi Principes, patronos ei deligerem atq; adoptarem. Nam vt taceam, vos eos esse, qui de bonitate librorum optima possitis facere iudicia: vos litterarum bonarum studia, in quibus ipsimet egregiè estis versati atque exercitati, etiam in alijs amare & liberaliter fouere: vos in celeberrimis Academijs Germaniæ tyrocinia studiorum præclarè deposuisse: vos in quibusdam Academijs etiam ad clauum aliquamdiu sedisse, commendatâ vobis earum Rectura. Hæc, inquam, & alia huiuscemodi vt nunc præteream, quando ea, vt communia, etiam ab alijs, qui in vestro nomine aliquid apparere vellent, adferri possunt: habeo quasdam etiam proprias atque priuatas caussas, cur me putarim debere vobis præceteris, & quidem coniunctim ambobus, hanc editionem nuncupare & consecrare.

Nemo nescit annum communem Celsit. Vest. ERNESTVM, *Ducem Brunsu. & Lunæburg.*

næburg. laudatiſs. & beatiſs. memoriæ Principem, quanta fuerit & pietate & probitate & conſtãtia. Quæ omnia cùm aliâs in ſua gubernatione, tùm maximè in Comitijs Auguſtanis Anni XXX. ſupra M. D. & Carolo V. Imp. Rom. & toti mundo teſtata fecit, quando cum paucis alijs Germaniæ Principibus, religionem conſtanter & intrepidè profeſſus eſt eam, quam pro victimâ publici odij haberi non ignorabat. Hic Princeps cùm in conſilio ſuo haberet complures viros bonos, eruditos, & veritatis cæleſtis amantes (de quibus mihi nunc nominare libet Vrbanum Regium Theologum, Baltaſarem Clammerum IC. Cancellarium, qui patris mei cariſſimi ſuſceptor fuit, & Ioachimum Mollerum Hamburg. IC. beatæ memoriæ viros) etiam aui mei Henrici Ritterſhusij Mindani, quem fidelem Lutheri & Melanchtonis ἀκροατὴν *fuiſſe norat, fideli & gnauâ operâ in ſecretis Aulæ ſuæ vſus eſt. Quo in officio ea induſtriâ, integritate & innocentiâ verſatus eſt auus meus, vt carus & acceptus haberetur omnibus, & non ſolùm Principis* ERNESTI, *ſed & ſucceſſorum eius (nam & his, quamdiu vixit, inſeruiuit) facilè promereri & conſtanter retinere potuerit. Fuit hæc prima, vt accepi, occaſio, qua familia mea in clientelam Illuſtriſſimæ Domus Ducum Brunſuicenſium & Lunæburgenſium rece-*

ptaest : illiusq; clementissimi fauoris fructus tùm in patrem meum Balthasarem Rittershusium, quàm in me vberrimè redundarunt, & hodieq; redundant. Memini cùm ante complures annos, potiente rerum Illustrissimo Duce Vvilhelmo, comes essem itineris patri meo Cellam ad aulam proficiscenti, & coram illo Principe causam agenti minorum fratrum & sororum, quos tutoris perfidia penè suis fortunulis euerterat, singularem ipsi beneuolentiam exhibitam fuisse à Principe Vvilhelmo, T. Celsit. Illustrissime ERNESTE, Patre : vt qui fidelium seruitiorum ab Henrico auo meo sibi & antecessoribus suis præstitorum recordaretur. Mea quoque studia eiusdem laudatissimi Principis & reliquæ Illustrissimæ Domus Brunsuicensis fauore nõ parùm se fuisse adiuta atque adminiculata profitentur: vt si quid sum in his consecutus (quod neque multum est, neq; nihil tamen : optarim autem id esse quàm plurimum) eius primitiæ aliquæ meritò Vest. Celsit. à me debeantur.

Te quoque, Illustrissime D. AVGVSTE, exemplo maiorum tuorum mihi clementiss. fauere maximâ cum voluptate ex litteris eius, qui T. Celsit. studia informat ac dirigit, Theodori à Senden, viri doctissimi & optimi, & ex salute, quam mihi adscribere dignatus es, submissè cognoui. Quem vt perennare velis fauo-

rem,

Hosted by Google

rem, & me in clientibus tuis, à quibus virtus & eruditio tua excelsæ indolis Principe dignissima suspicitur & colitur, numerare pergas, maiorem in modum eâ qua par est animi observantiâ Tuam Celsit. rogo.

Ambos verò vos, Illustrissimi fratres Patrueles, ad extremum hoc oratos velim, vt & GVNTHERVM hunc nostrum, & me tuendum suscipiatis, vobisq; hanc compellationem Illustrissimi nominis vestri gratam accidere patiamini.

Deus vos seruet ad communem patriæ nostræ multorumqúe mortalium incolumitatem & salutem: vobisq; cùm ex vobismetipsis, tùm per vestros consiliarios, viros Nobiliss. Amplis. & Prudentiss. D. Iohan. Hartmannum ab Erffa Aulæ Magistrum, Dn. Fridericum à VVeihe, Cancellarium, Dn. Andream à Damm I C. D. Iohannem VVitten IC. Itemq; Dn. Volradum à Watzdorpf *Aulæ magistrum & D. Theodorum à Senden, aliosq;, quos honoris caussa nomine, salutaria, felicia, & fructuosa suggerat consilia: Et pia vota bonos ducat ad exitus. Valete, Illustrissimi Principes, Domini Clementissimi. Altorphij in Acad. Norimberg. Die 21. Decemb. Anno 1597.*

Cunradus Rittershusius, IC.

C V N-

Hosted by Google

CVNRADI RITTERSHV-SII IN GVNTHERVM PRÆ-fatio ad Lectorem.

QVEMADMODVM POP. Rom. Imperium L. Annæus Florus, siue potiùs Seneca, non inscitè partitur secundùm ætates hominis, vt alia sit eius velut infantia, alia adolescentia, alia iuuenta, alia deniq; senectus; eamq; partitionem probat opt. auctor Lactantius Firmianus: Ita & nos haut fortasse absurdè Scriptorum quoque Latinorum, maximè Poëtarum & Historicorum, totidem classes constituere posse videmur. In prima harum collocare libet, qui primi apud Romanos vel poëmata pangere, vel res gestas qualitercunque vel soloci filo describere sunt aggressi: quorum opera ad nos nulla peruenerunt; fragmenta duntaxat aliqua superfunt in Grammaticorum veterum libris laudata. In altera classe sunt, qui vtrumq; studium paulò magis excoluerunt, & linguæ Romanæ pomœria latiùs protulerunt: quales sunt, qui Ciceronis æuum aliquot annis præcesserunt. In tertiam referimus Sallustium, Catullum, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Liuium, quiqúe his coæui fuerunt, aut eos pòst paulò sunt secuti: in quibus quasi ἀκμὴν esse dixerimus linguæ Latinæ, rectéq; sapiendi & dicendi quendam vigorem. Quarta hanc sequitur classis, in qua iam flos ille & vigor ac succus natiuus paulatim exaruit atq; consenuit magis magisq;, donec tandem ad barbariam & squalorem ac stribliginem orationis peruentum est. Ita cum re Romana etiam scribendi dicendiq; facultas instar hominis & nata est, & creuit, & constitit, & decreuit atque intermortua est: vt solent res sublunares ferè omnes hunc velut circulum habere, in quo versentur & circumagantur. Etsi autem ex his quas recensui Classibus primæ ac potissimæ partes iure ac meritò deferuntur tertiæ, in qua ἀκμὴν dicebam contineri: non tamen omninò insuper habendæ nobis sunt & ceteræ. Quòd si nihil aliud earum scriptores nos iuuant; at ipsa certè nobis proderit collatio, ex qua tertiæ

bonitatem

00037475

bonitatem tantò rectiùs licebit æstimare. Atque vt grata vnicuiq; nostrûm esse consueuit primæ pueritiæ suæ & adolescentiæ recordatio: sic non parua quoque nos voluptate perfundi sentiemus, vbi ad primam illam velut infantiam & adolescentiam sermonis Latini nonnunquam respexerimus. Semper enim ego sententiam meam ab illis seiunxi, qui ita delicatum habent stomachum, vt nisi quod antiquum & omnibus numeris absolutum sit, ipsis placeat nihil: nihil, inquam, nisi quod in Tertia illa & optima perfectissimaq; classe auctorum contineatur: alia omnia, si qua vel præcesserint illam, vel secuta sint posteriùs, fastidiant, atque ab se spernant segregentq; procul. Quin potiùs sic mihi persuasum habeo, vt veteribus illis Heroibus potiores deferendæ sunt partes, ac velut ius suffragiorum in hisce Comitijs ante omnes tribuendum: ita nonnihil operæ curæq; etiam ceteris vel vetustioribus vel posterioribus impendendum esse, quicunq; aliquid eiusmodi in literas retulerunt, quod meliùs sit scire, quàm ignorare. Ac omissis in præsens alijs, de gente historicorum videamus: in qua non soli legendi Sallustij, Liuij, Suetonij, Taciti, alijque notæ eiusdem, qui & orationis puritate & sententiarum grauitate sanitateque præcipuè sunt commendabiles atque admirandi; Sed & descendendum aliquando ad inferiores, & ad nostra tempora veniendum est propiùs: ac quantum omninò potest, continua quædam series temporum & rerum præcipuarum ex quibusuis scriptoribus colligenda, ac veluti fasciculo comprehendenda est, quamuis alius alio meliùs & puriùs vel deteriùs & inquinatiùs scripserit. Non tàm enim hic orationis splendor & dignitas, quàm spectanda est cognitio rerum, quæ quantò sunt ad nostros vsus ac mores accommodatiores, tantò minùs ignorari à nobis debent. Etsi enim in omnibus quarumcunque gentium & quorumlibet populorum aut Principum historijs exempla reperias similia eorum, quæ nostris temporibus accidunt, & hîc quoque valeat illud Salomonium: Nihil nouum sub Sole: tamen alia magis minusúe ad nostros mores & res nostrates accommodata esse nemo non videt. Rerum porrò Germanicarum scriptores quò pauciores habemus, qui res à maioribus nostris fortiter & sapienter gestas idoneè

ad

Hosted by Google

ad memoriam posteritatis transmiserunt, eò pluris certè æquum est fieri illos ipsos, qui supersunt velut testes virtutis siue togatæ seu militaris nostrorum hominum: quæ longè foret illustrior, nisi scriptores idonei superioribus seculis defuissent. Nam plerique omnes fortiter ac strenuè res gerere quàm eleganter describere certatim studuerunt, manu quàm lingua aut calamo promtiores. Constat inter omnes, Historiam aptè & pro dignitate scribere posse neminem, qui non ipse rebus gerendis interfuerit: quod virorum est Politicorum. His olim cessantibus, soli ferè Monachi istam quasi desertam & vacuam possessionem occuparunt, ineptè sæpè atque imperitè scribentes, aut consuentes potiùs ea, quæ vel nihil ad rem faciebant, vel parùm laudis adferebant. Exteri autem plerumque, vt fit, inuidia præpediebantur, quò minùs Germanis suas ac promeritas laudes tribuerent. Ita factum est, vt domesticorum quidem scriptorum vel cessatione ac silentio, vel infantia impolitiaque; alienorum autem inuidentia & malignitate veræ fructu gloriæ orbarentur, qui res quamuis præclarissimas amplissimasq; gessissent.

Inter paucos, qui supersunt, præcipua dignatione eminet GVNTHERVS, qui res suo æuo domi forisque fortiter & sapienter atque magnanimiter gestas à max. & opt. potentissimoque Imp. Germanici nominis FRIDERICO I. cui à barbæ colore Aenobarbo vel Barbarossæ cognomen fuit, carmine supra quàm seculum suum ferat elegante bonoq; & erudito descripsit, secutus filum Othonis Antistitis Frisingensis, & continuatoris eius Radeuici, eiusdem Ecclesiæ Canonici: ad quos etiam velut fontes ipse alicubi operis sui non obscurè Lectores remittit. Quamquam autem dubitare nonnullos video de tempore, quo GVNTHERVS scripserit, nec desunt, qui nescio quoti HENRICI temporibus velint eum floruisse: ipse tamen omnem hanc dubitationem sistit, dum satis significat, se Imperatore Friderico etiam viuo istud Poëma confeciſſe in quinque mensibus, & Imperatori à bellorum tumultibus interquiescenti aliquando egregium hunc laborem suum obtulisse, paratum etiam ad reliquas eius res gestas, vbi ad eas redijsset, describendas: quo modo antea filio Friderici Cun-

rado

rado quartùm genito, alterum opus, Solymarium, quo opere bellum Sacrum sine expeditionem Christianorum Regum ac Principum in terram Sanctam aduersus Saracenos auspicijs Cunradi Imperat. factam exsecutus fuerat. Cùm autem vel ex argumento operis eiusdem soleat dignitas ac præstantia æstimari, vel ex modo ac forma tractandi; & verò hic de rebus gestis Friderici Ænobarbi agatur, qui tantus & talis, qui pace belloq; tam inclytus Princeps fuit, vt sub eo non iniuriâ aureum quasi seculum redijsse videatur; idq; nec vulgariter, sed omnibus adhibitis ornamentis ac luminibus Orationis: potestné cuiquam esse obscurum, quanti ab omnibus noster hic Guntherus fieri mereatur? Habebunt enim hic summi Reges & Principes, quod imitentur atque exprimant: nimirùm pietatem, religionem, fidem, iustitiam, fortitudinem, animiq; magnitudinem in vtraque fortuna.

——— *casusq; siniſtros*
Excipientem habitu, quo prosperа, mentis eodem:
& constantiam, quæ sit
Nec frangendа malis, nec sustollendа secundis,
Fortuitos omnes solita contemnere casus.

Videbunt hîc exempla moderationis & clementiæ; nec non exempla seueritatis: exempla temperantiæ, castitatis, prudentiæ, aliarumque virtutum regiarum, quæ multa maximeque insignia in FRIDERICO nostro describuntur. Quàm pulcrè & disertè hîc artes imperatoriæ, quibus & parantur & conseruantur regna, in oratione habita in consessu Principum ante electionem Friderici exponuntur? quam luculenter admodum libro 1. Guntherus describit. Videbunt hîc Principes Principem, qui quamquam solutus sit legibus, vt quicquid ei placuerit, legis habeat vigorem, tamen se Legibus supponere gaudeat, nihilq; sine consilio sapientum, Deique timentium suscipiat agendum: qui non magis inuictus bello, quàm legibus sit armatus: cuius nudo verbo plus insit ponderis, quàm cuiuis alteriùs hominis iurijurando. Habebunt hîc magnorum Regum ac Principum Cancellarij, Consiliarij atque Legati, quod ad suos vsus sæpè transferre possint, in arduis deliberationibus & grauissimis Legationibus, quæ sunt ipsis obeundæ. Habebunt hic νομοθέτας &

Legum

Legum Iurisq; conditores, quòd sit augendæ ipsorum ἀρχιτεκτονικῇ scientiæ? Audient, quales esse Leges oporteat, quæ sint Reipub. salutares: Discent, quo pacto Iuris morumque ruinâ instauranda sit; qua ratione Legum senectus & iustitium sæpè sit renouandum atque abstergendum. Habebunt hîc de quo admoneantur Magistratus & Iudices, cùm audient, se Dei timentes inprimis esse oportere, neque sibi impunè futurum, si impunita relinquant aliorum facinora & delicta. Habebit Episcopus quod tùm sequatur, tùm fugiat. Audiet quippe, quòd esse debeat

——— *Tranquillæ sanctissimus pacis amator,*
Iustitiæ speculum, placidorum sanctio morum:

id est, vt Apostolus dicebat, typus fidelium & forma gregis. Cumque Antecessor Apostolorum præceperit: Deum time; Regem honora: & alter Apostolus gentium doctor voluerit, omnem animam potestatibus esse subiectam, proq; his ad Deum preces fundere: quàm alienum est à persona Episcopi rebus secundis Imperatoris sui inuidere, & malcuolentiæ stimulis agitatum ab obedientia eius subditos auertere ac dimouere, & ad rebellionem instigare? id quod Friderico scimus contigisse ab ijs, qui volunt esse omnium rerum primi. Habebunt Iurisconsulti, quod hinc hauriant, cùm aliarum rerum, tùm de Iure inprimis Feudorum: quod Guntherus (si Cuiacio grauiss. ICto. credimus) sæpè explicat rectiùs, quàm tota Feudistarum fæculenta cohors. Licebit hinc discere multos Germanorum antiquorum mores, qui partim obsoleuerunt, partim hodieq; vigent atque obseruantur. Habebunt rei militaris Præfecti ac Duces, habebunt prouinciarum Præsides, quod ipsos erudiat aut confirmet: audient, quodnàm bellum sit iustum & pium: quibus legibus & conditionibus pax facienda sit: quis ordo castrorum locandorum seruari debeat: quibus vtendum Strategematis: quæ leges castrenses, quæ disciplina militaris tenenda sit: quæ si hodie, quàm fit, accuratiùs strictiusque more maiorum seruaretur, neque tot sumtus frustra sæpè atque inutiliter profunderentur cum probro pariter & damno; & paulò feliciùs atque fructuosiùs, σὺν θεῷ, in Christiani nominis aliosque Imperij & libertatis Germanicæ siue apertos hostes,

hoſtes, ſeu clandeſtinos inſidiatores pugnaretur. Sed hæc fortaſsè vltra crepidam noſtram. Habebunt de qua vtiliter communefiant ſubditi: Agnoſcent, ſuum non eſſe, Regi legem ponere, ſed ab eo accipere: Diſcent aliorum exemplis & euentis triſtibus moniti, non rebellare magiſtratui, ſed in fide manere, dictoq; audientes eſſe. Quem enim non faciant cautum pericula, clades, exitia, vel Romanorum, vel Mediolanenſium, toties rebellium, toties perfidorum, vel Spoletanorum, vel Veronenſium, vel Terdonenſium, vel Cremenſium, vel Brixienſium, vel aliorum, quibus ſua aduerſus opt. Principem perfidia atque rebellio nimis magno conſtitit. Quare (vt verbis vtar Guntheri) ne quis forè credat inultum: Quicquid in auguſtos auſus committere Reges vel meditatus erit. Habebunt denique omnis generis homines quod hinc diſcant, & vnde meliores fiant. Poëtæ, Oratores, Hiſtorici, Geographi, Iuriſconſulti, Theologi, Medici ſuarum hîc artium ac diſciplinarum ſemina atq; opera recognoſcent. Adeò verè de hoc opere pronunciari poſſe videtur illud Nazianzeni, quod ipſe de vniuerſa hiſtoria protulit: Συμφερτὴ σοφίη, πολλῶν νόος.

Hic igitur tantus & tàm præclarus ſcriptor, cum debuerit perpetuò in ſinu geſtari, & manibus teri, lectitariq; ab omnibus, propter vberem ac multiplicem fructum, qui inde, vt dixi, ad omne hominum genus, maximè qui Imperium Romanum, ſiue potiùs Germanicum agnoſcunt, redundare poteſt: adeò tamen malè acceptus & habitus fuit, vt me ad commiſerationem fortunæ ſuæ commouerit. Non ſolùm enim multis ſeculis ignorabilis latuit, ſed etiam deinde cùm liberali manu adſereretur, & in lucem ex ſqualore & tenebris carceris produceretur ipſius carmen, & plurimis illud mendis turpificatum fuit, & auctor penè de ſuo nomine periclitatus eſt. Nam cum à Cunrado Celte Protucio, qui primus poſt renatas bonas literas Germaniæ Poëta extitit, Codex manuſcriptus Auguſtam Vindelicorum allatus eſſet, comitateque Cunradi Peutingeri IC. & aliorum quorundam Nobilium & eruditorum virorum liberalitate procuratum, vt typis deſcriberetur: tum verò LIGVRINVS, quod nomen auctor operi indiderat, ipſe ſcriptor vocitatus eſt: eumq;

Hosted by Google

errorem complures postea etiam docti errarunt, dum Ligurinum pro Guntherolaudant: Quod idem & Anticlaudiano accidit, Poëmati variæ eruditionis, cui ab Alano de Insulis scripto τρώματίων nomen meritò indideris. Nam & in eo nomen Poëmatis auctori ipsi tributum est, vt aliâs docui, quando id cum membranis manu exaratis longeq; & vberioribus & melioribus conferebam.

Non tuli diutiùs indignam hanc Guntheri fortunam, & post priores illos duos Cunrados, quibus vitam ac lucem debet, tertius ipse superueni, vt essem ei vindex & adsertor, accedentibus præsertim aliquot magnorum virorum exhortationibus & acclamationibus, quibus me satisfacere posse optarim. Sed facta mentione Augustanæ editionis, quæ anno 1507. per eos, quos dixi, procurata omnium post secutarum quasi matrix iure appellabitur, non possum quin hîc inseram, quam illa in prima fronte præfert Inscriptionem, vnâ cum erudita epistola & Epigrammate. His enim & hanc nostram editionem non parùm exornatum iri posse video, neque te Lector studiose & amice, ijs vlteriùs defrudandum existimo, vt in prioribus editionibus, quascunque præter Augustanam vidi, factum est. Ea igitur iam ordine accipe.

Inscriptio editionis Augustanę.

LIGVRINI DE GESTIS IMP. CÆSARIS FRIDERICI Primi Augusti libri decem, Carmine Heroico conscripti, nuper apud Francones in sylua Hercinia & Druydarum Eberacensi Cœnobio à Cunrado Celte reperti, post limi-nio restituti.

ÆTERNITATI ET AMORI PAtriæ ab eodem consecratum.

MAR-

00037475

Præfatio ad Lectorem.

MARQVARDVS DE STAIN, Epiſt. Aug. ed. præliminaris.
ECCLESIÆ BAMBERGENSIS PRÆ-
poſitus: Matthæus Marſchalck: Bernhardus & Cunradus
Adelman de Adelmansfelden, Canonici: Cunradus
Peutinger, & Georgius Herbart,
Auguſtani,

Lectori ſalutem.

VENIT *HIS DIEBVS AVguſtam Chunradus Celtis, vir tùm in bonis artibus apprimè doctus, tùm etiam diligens admodum veterum Scriptorum indagator: quem cum pro noſtra erga eum amicitia allocuti fuiſſemus, rogauimus, ſi aliquos libros antea nobis incognitos peregrinando per Germaniam reperiſſet, vt eorum pro ſua in omnes humanitate copiam nobis faceret. Retulit,* LIGVRINVM *quendam egregium Poëtam de rebus geſtis per Fridericum Primum Cæſarem in monaſterio quodam Franciæ Orientalis, quam noſtrates Franconiam appellant, ſe inueniſſe. Eundem cùm legendum ac per otium conſpiciendum nobis tradidiſſet, exiſtimauimus profectò dignum fore, qui per ora virûm volitaret. Adhortati itaq; Chunradum fuimus, vt exprimi formis curaret, neq; diutiùs delitescere permitteret. Cumq; poſt aliquos tractatus ſibi cum artifice parùm conueniret, atque hinc abire decreuiſſet: verebamur, cùm vnicum ſolùm exemplar exſtaret, ne aliquo iniquo ſidere iacturam aut periculum aliquod pateretur. Noſtra itaq; opera & ære tandem effecimus, vt artifex ille onus ſubierit, partim ne vigiliæ & lucubrationes Ligurini perirent, partim etiam, ne incliti Cæſaris noſtri* FRIDERICI *Primi labores &*

Hosted by Google

egregia facinora obliuioni traderentur. Acceſsit his peculiaris amor patriæ. Cùm enim origo nobis, & quidem omnibus, ex Sueuia ſoret, pulchrum admodum videbatur, Fridericum, qui & ipſe ex gente Sueua originem duxit, Sueuorum potiſsimùm auxilio ex tetro carcere, & poſt aliqua ſecula iterum in lucem prodire. Multa quidem inclito noſtro Friderico propter innumeros labores, quos pro Rom. Imperij decore ac maieſtate conſeruanda pertulit, Germania noſtra debet: Sed longè plura vniuerſa Chriſtiana Reſpublica, pro qua inſignem ac ſanctiſsimam illam expeditionem ad res Chriſtianorum in Aſia reſtituendas ſuſcepit, & in qua poſtquam Armenios feliciter deuicerat, vt pium & religioni Chriſtianæ deuotum Cæſarem decebat, vitam quoq; cum maxima Chriſtiani populi iactura amiſit. Solius enim Friderici per eam tempeſtatem virtus & rei bellicæ peritia tutò Saladini regis victoriæ ac felicitati opponi, & inclinatam Rempub. Chriſtianorum in Aſia erigere potuiſſet. Quisquis igitur es, qui hæc legis, Ligurinum hunc, egregium virtutum Friderici Cæſaris præconem ex Germania proficiſcentem ne deſpicias, ſed alacri animo amplectere atq; reuolue. Reperies reuera pleraque, quæ te legiſſe non modò non pœnitebit, verùm etiam plurimùm iuuabit.

AD LIGVRINVM
Cunradi Celtis Carmen.

Cedo libens Ligurine tuis doctiſſime ſcriptis:
Et genua & plantas Celtis adoro tuas.
O felix, tantum nactus, Friderice, Poëtam,
Qui tua grandiloquo carmine geſta tonat.
Proximus es vati, quem Mantua docta creauit:
Et qui Pompeij & Cæſaris arma canit.
Nec Stilico tantùm, vel Honorius, aut Maioranus,
Nec qui Scipiadas Sporciadasq; ſonat:

Per

00037475

Præfatio ad Lectorem.

Per freta nec tumidum qui cantat Iasona vectum
Æaciden, vel qui Thebaidenq; notat:
Gesta ducis Macedum totum vulgata per orbem
Qui colit, Heroicis cedat & ille tuis.
Gaudeat hoc nostro bellax Germania vate,
Teutonicum tanto, qui canit ore decus.

EADEM EDITIO AVGVSTANA his verbis clauditur:

FELICI *fine completus Ligurinus, & per vniuersam Germaniam & eius publica Gymnasia iam notus, & iuuentuti Germanicæ ad legendum & enarrandum præbitus, primò Viennæ per Chunradum Celtem: Friburgi per Hieronymum Baldung: Dubingi per Heinricum Bebelium: Ingolstadi per Iacobum Philomusum: Lipsi per Hermannum Bostium, qui in prædictis Gymnasiis publico stipendio Romanas litteras feliciter profitentur.*

TENEO TE EVROPA ET TOTA GERMANIA.

In eiusdem Editionis erratorum correctione editores profitentur, exemplar quo vsi sint, vetustate, carie, & blattis fermè absumptum fuisse, indeque errata multa irrepsisse.

Porrò non dissimulandum duxi, quorum beneficio & illam editionem Augustanam, & ceteras nactus sim. Quinque enim habui, quas inter se diligenter & cum cura melioris adornandæ gratia contuli.

Prima est, vt dixi, Augustana, ceterarum parens, anno 1507. typis M. Erhardi Veglini impressa: cui præfixa epistola Cunradi Peutingeri IC. &c. lectorem docet, qua occasione primò in lucem prolatus sit Guntherus per Cunradum Celtem. Hanc mihi vtendam dedit Nob. & Reuer. Vir, D. Iohan. Georgius à VVerdenstein, sumtam à CL. V. D. Georgio Henischio, Reip. Augustanæ Medico & Mathematico.

Altera est Argentoratensis, cum Scholijs Iacobi Spiegellij IC. Anno 1531. edita. Hanc mihi donauit collega meus coniunctissimus Scipio Gentilis IC.

Hosted by Google

Tertia est Basileensis Petri Pernæ Anno 1569. cum Præfatione Philippi Melanthonis : quam mihi concessit V. CL. Ioachimus Camerarius. Reip. Noribergensis Medicus: χρηστὸς ἀνὴρ, κεινὸν, ἀγαθὸν, πολλῶντ' ἀνταξιος ἄλλων.

Quarta est eiusdem Pernæ, eodem (quod mireris) anno data, cum præfatione Petri Pithœi IC. ad Iacobum Cuiacium, & quibusdam eius, sed paucis, emendationibus: in quibus promittit quoque ampliores notas aut potiùs coniectanea, quibus Iuris veteris Gallici Germanicique aliqua non satis vulgò nota, potissimum verò dignitatum, officiorumque ac militiarum origines progressusque breuiter explicentur. Quod an præstiterit, nescio. Hanc Ingolstadio mihi dono misit studiosus & amicus meus Gasp. Schoppius Fr.

Quinta est Francofurtensis, hæredum And. VVecheli An. 1582. qui omnia Argent. editionis vitia retinere, quàm emendationes verissimas Pithœi, (quas ex Pernæ editione sumere poterant, nisi πρὸς τὸ κέρδος festinassent) amplecti maluerunt.

Hæ autem editiones omnes hoc commune habent, quòd maiore, folij scilicet, forma excusæ prodierunt; pleræque etiam cum alijs auctoribus in grande volumen coniunctæ : quæ forma quia incommodior fuit ad gestandum tractandumque, inde factum, vt pauciores quàm debebant, Guntherum sibi compararint aut lectitarint. Accessit fortassis & illa raritatis caussa altera, quòd bonus auctor suppressus fuerit ab ijs, qui veritatis lumen oculis suis irradians nec minimis nec maximis in rebus vllo modo ferre possunt, quique, quantum in ipsis est, abolere studeant ex omni memoria hominum, quicquid fortè ipsorum cupiditatibus & dominatui aduersatur. Horum vlcera cùm sæpè pro re nata Guntherus in Friderici historia tangat recta manu (non enim potuit aliter, siquidem, quæ prima historiæ lex esse perhibetur, veritatem sequi voluit, vt debuit) cumque non obscurè indicet, quàm fuerint iniqui aduersus Imperatorem iura maiestatemque Imperij & fisci commoda sibi asserentem (vti par erat) quantoque opere eius maiestatem imminutum iuerint : non fuit scilicet auctoris tam scandalosi lectio hominibus permittenda, qui pias horum hominum

num fraudes propalàm detegeret; sed Catalogo librorum prohibitorum adscribendus fuit. Verùm quicquid sit, & quæcunque causa effecerit, quò minùs esset frequens Guntherus noster, ego tandem, qui consilium auctoris animaduertissem, voluisse videlicet ipsum conflare

Claudendum manibus forma breuiore libellum:

hoc est, Enchiridion scribere, sequendum id mihi arbitratus, auctor fui Typographo, vt hunc auctorem minore forma tandem recuderet. Sed & propter mendas, quæ in prioribus editionibus omnibus plurimæ ad hoc temporis resederunt, omninò aliam duxi necessariam editionem; ex qua illæ, quoad eius fieri posset, eluerentur. Quamquam autem pleraque errata, quæ hinc sustuli, talia fuerunt, vt à quouis non oscitante neque indocto lectore deprehendi potuerint, neque mihi magnam inde vel ingenij vel acuminis laudem tribui postulem: tamen hunc scriptorem diutiùs tàm deprauatè circumferri, ferre aut dissimulare non potui. Ita nescio qua cupiditate accensus sum adornandæ huius nouæ editionis: cui peculiarem librum Notarum adiunxi, in quibus non modò emendationum ratio redderetur, sed etiam res nonnullæ, & formulæ atque sententiæ insigniores illustrarentur. Ne quis autem fortè existimet, nos operam hanc, qualis qualis ea est, lusisse, aut in auctore nullius vel parui pretij collocasse: age nunc audiamus, qualia fuerint.

TESTIMONIA ET IVDICIA Clarissimorum virorum de Gunthero.

IVSTVS LIPSIVS limatissimi vir iudicij: Poliorcetic. lib. 2. Dialog. 4.

GVNTHERVS (inquit) Poëta spiritus & ingenij haud spernendus, imò, vt in illo æuo mirandus.

PETRVS PITHOEVS in Præfatione ad Lectorem:

Guntherus à pluribus Ligur censetur: quos ego Poëmatis titulo deceptos credo: quo etiam errore Cunradus Peutingerus & Adelmanus, qui primò omnium

Hosted by Google

Guntherum à Cunrado Celte acceptum (qui eum in Eboracensi Franconum cœnobio repererat) Augustæ Vindelicorum sub nomine Ligurini Poëtæ publicarunt anno M. D. V I I. At non est verisimile, Ligurem de patria ea vnquam scripturum fuisse, quæ iste Germano potiùs animo scripsisse videtur. Qua ratione præter argumenti ipsius similitudinem eum inter Germanos scriptores reponendum censui. Quamquam (vt verum fatear) Germanum planè fuisse non credam. Guntheri cuiusdam meminit Trittemius, quem ait Monachum Eluonensem ordinis Benedictini fuisse, in litteris humanioribus nobiliter doctum, & Poëtam insignem, cuius etiam de passione Cyriaci, & de vsitatis Christianorum actibus poëmata quædam ante X L I I I. Basileæ edita audio: ex quibus facilè alijs erit iudicare, an eiusdem auctoris videantur. Mihiquidem certè eorum exemplar diu quæsitum, nanciscinon est datum. Eiusdem tamen esse omnia probabile est: quamquam Guntherum Henrici I I I I. temporibus Trittemius vixisse ait, quæ ab hoc non longè absunt. Et verò potuit etiam Abbas in supputatione nonnihil aberrare. HIC TAMEN NOSTER (si verum amamus) NESCIO QVID PRÆ SE FERT MONACHISMO CVLTIVS, VRBANIVS, ET MAGIS AVLICVM: quod genus etiam vitæ se aliquando sectatum, sub finem poëmatis significat. Ceterùm quod ad Argumenta librorum attinet, an Guntheri sint, an alterius cuiuspiam, & fortasse ipsius Celtis, pro certo adfirmare nolim. Postremus tamen omnium versus coniecturam facit, Guntheri non esse.

MAR-

Hosted by Google

00037475

Præfatio ad Lectorem.

MARQVARDVS FRETTERVS IC. CONSILIARIVS Elect. Palat. & Anteceſſor eruditiſsimus.

Inſtitutum tuum, mi Rittershuſi, in Gunthero recenſendo & illuſtrando, intellexi, & vehementer probo. Certè enim ille auctor vltra æuum illud, imò & gentem elegans, & fama hilariore, quàm hactenus dignus, &c.

FRANCISCVS HOTOMANVS in Feudis ſuis Guntherum aliquotiens nobiliſſimum Poëtam & eximium vocat, eiq; verſus in hoc genere ſingulares tribuit. Vid. edit. Colon. pag. 124. 413. 517. 519. 521. 530. 536. 538. 541. 542. 543. 545. 683. 732. 742.

IACOBVS CVIACIVS in Feudis plus quàm viginti locis Guntherum laudat; ſemel etiam in Obſeruationibus lib. 11. c. 22. Aitque alicubi: Meliùs eum nonnulla Iuris Feudalis explicare, quàm tota Feudiſtarum fæculenta cohors. Memorabile hoc eſt, quòd duo ſummi ætatis noſtræ Iuriſconſulti, aliarum rerum ſæpiſſimè inter ſe diſcordioſi, & opinionibus plurimùm diſſidentes, in huius Poëtæ noſtri laudibus amicè conſpirent, eumq; certatim vno ore deprædicent.

NICOLAVS CISNERVS in Oratione de Othone III. pag. 18.

Dei (inquit) beneficio, & virtute Caroli, non Pontificis populiúe Romani conceſſu, Imperij dignitatem ad Germanos peruenisſe, firmis rationibus comprobatur. Id quod ne longiùs abeam, ex vno LIGVRINO *abundè perſpici poteſt, cuius teſtimonium eò plus ponderis habere debet, quòd annis ab hinc ampliùs* CCCLXX. *Poëma illud ſcriptum ſit. Ac tametſi eadem illa quoq; extent apud Radeuicum coæuum Friderici I. & grauem inprimis rerum ab eo geſtarum ſcriptorem, quem is non modò multùm ſecutus, ſed & interpretatus eſt: tamen* NESCIO,

Hosted by Google

SCIO, QVO MODO MAXIME LIGVRINO DELECTER, CVIVS VERSVS, VT ILLIS TEMPORIBVS, SATIS SVNT ELEGANTES.

IDEM CISN. pag.22.optimum Othonis Frisingensis Interpretem Guntherum vocat.

PHILIPPVS MELANCHTHON lib.4.Chronic.

Celebratur (FRIDERICVS BARBAROSSA) versibus à Gunthero Ligure Poëta, qui ei in obsidione Mediolanensi adfuit, vt Scipioni Seniori Ennius; Iuniori ad Carthaginem Polybius.

Nota. Obstare videtur locus Guntheri in fin.lib.4. vbi indicat, se procul à Friderico Imp.afuisse. In fine autem lib.10. scribit, se non armis, sed carmine castra secutum. Ex quo non potest necessariò colligi, ipsum castris interfuisse, aut in comitatu Imperatoris.

Idem PHIL. MEL. in declamatione de FRID. BARBAROSSA Tomo.2. Declam.

Literas Latinas sic satis calluit: ac amasse ac proexisse eum testantur Otho Frisingensis, cùm quidem fuerit eius cognatus, ait, eum à se petiisse, vt historiam scriberet. Et LIGVRINVS Poëta significat, Fridericum non solùm fouisse literas & ingenia, sed etiam curasse, vt filio probè traderentur literæ. Sic enim inquit:

Gunther. lib.1. v. 64. Sed vid. ibi Not.

O benè, quòd talem diuina potentia Regem
Instituit, qui sic studijs imbutus honestis,
Nouit ab insipido doctum secernere vulgo,
Iamq; diu mutas, solitasq; silere Camœnas
Excitat ad veterem digna mercede laborem.

HIS tantorum virorum Testimonijs atq; Iudicijs Gunthero honorificentissimis accedat ELEGIA copiosè, eruditè & luculenter scripta ab amico nostro magno, quæ illustre vestibulum huic operi aperit.

ELE-

Hosted by Google

00037475

Præfatio ad Lectorem.

ELEGIA.

IANI GRVTERI PRO GVNTHERO.

OMnibus ingenita est famæ dulcedo creatis:
Omnibus ad famam non tamen vna via.
Hic Mausoleum molitur ab ære sepulcrum,
Summa glaber cuius sidera pulset apex.
Ille triumphatis stipat Capitolia gazis,
Armaq3 de cæso figit opima duce.
Est qui Lysippum lassat cum Mentore, quauis
Seruet vt effigies ipsius vrbe locum.
Nec desit, titulis Aras qui sacret & Arcus,
Prætexatq3 altos nomine Pyramidas.
Sed frustra. Namq3 hæc aut lentus subruit imber,
Iraue Vulcani, perniciesue Iouis.
Vtq3 vetustati longùm longumq3 resistant,
Attamen ijs pretium subripit vsq3 dies.
Cumq3 aliâs breuibus claudantur finibus orbis,
Sæpiùs & populo stant malè nota suo.
Solùm semper ouat, solùm est inter mina Virtus,
Æuo omni maior, maior & Inuidiá.
Vtq3 sui impleuit pomœria publica terræ,
Lasciuit cœli liberiore plaga:
Tunc, tunc præcipuè, cum linguæ fauorq3 Poëtæ
Aspirat: sine quo sic quoq3 marcet iners.
Ecquis enim Æneamq3 pium, Alcestemq3 sequestram,
Absq3 Camœnarum separe noscat ope?
Quisue Agamemnonios ausus, vel Iasonis Argo,
Hippolytúe feros, Hypsiphylésue dolos?
Nil foret Æacidæ clypeus, nil Hectoris hasta,
Nil amor Andromaches, Penelopæq3 fides:

Nestoris

Neſtoris haud ſuperet prudens ſapientiæ; nullo
Viuat in ore cati Polydamantis honos:
Deniq; cum Troiâ moriantur mille carinæ,
Dummodo Mæonides ſubtrahat vnus epos.
Scilicet ante Helenam plures viguêre. rapinæ
Adflixit quarum mœnia celſa ſolo:
Multiq; Alcinoo reges opulente priores
Sæpiùs hoſpitibus dona tulére viris.
Nec primus Pylades cum motæ mentis Oreſte
Segregis exemplar vixit amicitiæ.
Nec primus Capaneus cultuq; animoq; modeſto
Delicium meruit temporis eſſe ſui.
Hos tamen abſorpſit totos lethea vorago,
Expertes quoniam ſubere vatis erant:
Subere, Leucotheæ quo tanquam ſyndone, molles
Non modò Perſephones perueherentur aquas,
Ocyus aſſumtis verùm ſubtilibus alis,
Aſtra ſibi legerent inter honora locum.
Ite igitur, Reges, & ſanguine paſcite campos.
Et ſatiate maris monſtra cadaueribus,
Pluribus vt populis dictetis iura, poteſtas
In quos tam vitæ plena ſit atq; necis.
Ædificate arces cœlo capita æqua ferentes,
Quas auro ac gemmis ſcrinia farta premant.
Menſam onerate mero nigricante, gulæq; ſaginam
Vndiq; fons, aër, terra, fretumq; paret.
Diffluite vnguentis alio procul orbe petitis,
Et Veneri faciat femina nulla ſatis.
Cantatrix aures, ſaltatrix lumina ducat
Turba, ſoporiferos mimus agatq; modos.
Manè ſalutantum concurſibus atria ſudent,
Stentq; Palatina cuncta referta manu:

Deq;

Hosted by Google

Deq; peregrino veniat legatio Sole,
Fœderis vt liceat iura ſubire noui.
In ſumma, vultus nutu frenate caduco
Quicquid obit Phœbi ſolſtitiale iubar.
Sic tamen haud dabitur ſerum procudere nomen,
Faſtoſumúe iſtud perpetuare decus.
Sed ſimul ac tandem ſua vitam pauſa ſequetur,
Et diadematum deſeret aura caput:
Hinc nomeu regale, hinc regifica omnia, nocte
Æternâ Somni condet auara ſoror.
Poſtq; bis atq; bis annorum luſtra improba, pompæ
Vix tantæ memores vnus & alter erunt:
Nedum veſtra tot vt maneant præclara per orbem
Geſta foris bello, paceq; geſta domi.
Omnia mortis erunt; magnoq; in nomine paſſim
Texet araneolæ pes leue vilis opus.
At ſi, danda ſatellitibus cum præmia vaſtis,
Totq; forent famulo danda alimenta choro:
Imò ſi tot equos inter, totidemq; ferarum
Ora, Eryſychthoniâ vix ſaturanda dape,
Vnum etiam nutriſſetis, vocale canoris
Cui ſinit eloquium nectere Muſa modis:
Haud veſtri quicquam dens ille abſumeret Æui,
Iugiter at vigeant omnia flore ſuo.
Parua loquor: capiant magis ac magis incrementum,
Et triplicis mundi tuta per ora volent.
Nempe celebrandum quem ſumit cunq; Poëtæ
Buccina viuacis relligione toni,
Ille ſenectutis viduus febrientis, honoro
Nomine complebit Solis vtrosq; Lares.
Nec laudem potuerunt eius vel flamma vel vnda
Tantillum alliſu collutulare ſuo:

Oceanus

Hosted by Google

Oceanus non ſi fundo efferueſcat ab imo,
Cœlorum non ſi machina tortaruat.
Fallor? an hoc, Gunthere, probas; cui publica quanquam
Pota Meduſæi eſt non nimis vnda lacus;
Sic tamen è tenebris FRIDERICI *Cæſaris effers*
Splendida facta ſago, ſplendida facta togâ:
Vt cùm de tot Auis eius minimiſſima reſtet
Fama, ſepulcrali tabida tota ſitu;
Rarus & ipſius celebri de gente Nepotum
Se Libitinarum ſoluerit induuijs:
Hic tamen haud vllo minor vngue, immania buſta
Exierit, ſpecie ſub iuuenante ſenex?
Aſpice, quàm decoret maieſtas ardua frontem,
Largaq; ſuranimus purpuret ora decor.
Aſpice, quanta oculo pietas hoc emicet, illo
Iuſtitia; ac ſpirent mellea labra fauos:
O qui regales motus! ô qui color! ô quis
Omnibus è membris exſinuatur honos!
Sic quoq; ſic dominæ Pauo ſtimulatus amore,
Vt caudæ flabro ſpicula ſolis obit,
Centenis oculis iaculatur fulgura mille:
Fulgura, gemmarum doctare ferre vices.
Hà ſalue FRIDERICE: *perennis adorea ſalue*
Induperatorum; Teutoniæq; ſalus.
Te vehit ecce ſuis argentea Gloria bigis,
Quacunq; Oceani circinat vnda ſolum.
Ad latus Aonidum glomeratur dia Monetæ
Mater, & auguſti luminis almus Honor.
Subſequitur Mauors obnoxius, auctaq; magnum
Fronde oleæ Pallas luxuriante caput.
Iamq; roſas plenis Chariteïa triga quaſillis
Deſuper inuergit, ſubſiliensq; Venus:

Imbreq;

Imbreq̃ lasciuit florum ridente fragrantum
Cana serenata cum Probitate Fides.
Hinc torquem collo, grauidam flammante Pyropo,
Adijcit indocilis subdole Diua loqui.
Inde caput largè linit Ambrosio vnguine coniunx
Herculis & senij damna maligna fugat,
Ipsa sed ex Rutæ Maiestas aurea ramo
Innectit gracili serta capillitio.
Gratatur latè Musarum terna vianti,
Versa oculos in te, versaq̃ vulta, trias.
Artificoq̃ Lyræ plectro linguæq̃ potentis,
Dulce iacit longè Phœbus Apollo melos.
Applaudit soboles vocisq̃ atq̃ Aëris Echo,
Gestit & integros posse referre modos:
Imò sibi linguæ ter centum ferrea plectra,
Et sibi mille cupit lumina Aristoridæ,
Quò satis explerj quiret, FRIDERICE, *tuendo:*
Per laudes quiret quò satis ire tuas:
Hà salue bis terq̃: perennis adorea salue
Indupetatorum, Teutoniæq̃ salus.
Salue, inquam; vitæq̃ libens agnosce secundæ
Iammodò nunc animo liberiore decus.
Illius haud certè debetur gloria gazæ
Vlla tuæ, qua tunc clarius orbe nihil.
Ferre nec acceptam potis es legionibus amplis
In quarum, duce te, terra fretumq̃ manu.
Contulit hîc nihilum parasiticus ordo, cohorsúe
Aulica, qua fueris cinctus vtrinq̃ latus.
Sed tantus quantusq̃ hodiernus haberis, idipsum
GVNTHERO par est omne referre tuo:
GVNTHERO, FRIDERICE, *vni sub tegmine*
Quò sine nil modò, quàm puluis & vmbra fores. (cippi

Syllaba

Syllaba tamq; alti vix nominis exeat vna,
Stannea rimoſæ vincula ſandapilæ.
Vah! quantum pollet Muſea fauentia, quamq;
Applicitos propius penè dat eſſe Deos!
Ambroſiáq; merâ paſtos & nectare, ſecla
Indulget veris viuere perpetui!
Quiſq; tamen quotus eſt Magnatum, cui pia vatis
Cura ſit, illius vel recreetur epo?
Ipſe licèt redeat comitatus Apolline toto
Hinc Maro Mantous, inde Meleſigenes:
Vnica de centum vix ipſis aula patebit,
Quæ dignos reputet panis acente quadrâ.
Nedum præſumant Domini contingere dextram,
Eius & alloquio liberiore frui.
Felices nimium, nutu ſi come ſalutet,
Detq; ſemel menſæ calce ſedere ſuæ!
Quòd ſi fortè datur reperire è millibus vnum,
Qui vatem, vates ſcilicet ipſius, amet,
Dignetur q; domo propria, linguæq; fauore
Erigat, & multa commodus auctet ope:
Munus quin etiam vxori gnatisq; quotannis
Eroget, exangueis quod vetet eſſe fame:
Næ Ptolomæus is, ac Mœcenas alter habetur,
Præ nimiaq; ſubit prodigitate notam.
Nimirum terris vt faſq; piumq; receſſit,
Obtinet at primum visq; doluſq; gradum,
Eq; Dynaſtarum numero ter maximus audit,
Cui ſine comparibus, quod libet, omne licet:
Aret Apollinei cœtus quoq; vena, palamq;
Mnemoſidûm ter tres conticuére lyræ.
Solùm muſſat adhuc ieiuna caterua, pudorem
Ambiguum frontis cui caua larua tegit.

Hæc,

Hæc, veluti quemuis trahit occurrente colorem
Polypus à ſcopulo, ſic neq; mente ſua eſt.
Eſurie verùm ſtimulante, meliſma dapale
Inq; malos pariter proïjcit, inq; bonos.
Cúmq; ſubinde liget linguam reuerentia veri,
Materiæq; alias ſit reperire nihil:
Vnum opus eſt, carmen bullatis tendere nugis,
Mureq; pro, Lucas effigiare boues.
Nuncq; ab originibus ducuntur ſtemmata caſcis,
Eruiturq; putris Deucalionis aqua:
Nunc iactantur opes, phaleratáq; nomina honorum,
Sorsq; ſolet quicquid dicere cæca ſuum.
Quòd ſi fortè decus proprium ijs adfingitur, & ſtant
Ingenij illuſtres iudicijq; bonis:
Et tantum reliquos vincunt candore fideq;
Stellarum quantum Luna globoſa faces:
Nil tamen efficiunt, æui præſentis hiantes
Quo liceat riſus effugere atq; ſales.
Ipſosmetq; grauat ſua laus, ſua fama tyrannos:
Vſq; adeò à vero diſſidet illa procul.
Nomine nam quiſquis virtutum extollitur, vmbræ
Quarum intus minimum ſentit adeſſe ſibi:
Quid niſi rideri meritò putat, ac ſua vel ſic
Traduci ſterilis mentis operta probra?
Sicut enim lato qui panditur orbe pyropus,
Artificis longâ non eget arte manus;
Sed ſatis ornatur, ſi circulus ambiat ipſum,
Circulus, ex auro qui tria grana trahat:
Sic & adoptiuos ſſernitq; fugatq; colores
Quælibet Heroum gemmea ſimplicitas.
Sufficit ac citharæ filis mandare tenellis
Maxima geſta domi, maxima geſta foris.

Hosted by Google

Quippe Poëtarum puro vox æmula fonti,
Vſq; gradu vires vlteriore parat.
Primitus è ſcabrâ laticum tenuiſſima ſudat
Vena petra, ac cæco tramite tingit agros.
Flumen at vt rapuit ſimul hoc, ſimul illud, & augmen
Nunc capit à pluuia, nunc capit à niuibus,
Exultat campo ſinuoſis protinus vndis
Perpes, & in pontum vi ſibi pandit iter:
Haud aliter GVNTHERE, tuæ quoq; lympha Thaliæ,
Temporis intumuit progrediente mora.
Quæq; ſuum populum parcè nimis antè rigabat,
Ac patriam tenui rore terebat humum,
Nunc lætis trifidi communia curſibus orbis
Alluit, in pretio vallibus atq; magis.
Iamq; adeò quò grata magis quoq; vtilis extet
Pluribus, à limo purior atq; ſitu:
Ecce nouas virtus tibi Rittershuſia foſſas
Percutit, atq; recens dat decus aggeribus.
Sicq; ſeneſcentes ſarcitq; tegitq; ruinas,
Retat & omne, fluit quicquid in amne, malum.
Vt licèt immenſo decurras gurgite, teq;
Qualicunq; parem ferre queas pelago:
Splendidior trepides tamen argentoq; vitroq;
Rudera nec mixtim colluuiémue vehas:
Equé tuo volucris riuo bibat oſcen, & inde
Oris aromatici timnula libet apis:
Auferat & latices aris leui ſomna ſacerdos,
Auferat & latices florida virgo comæ.
Macte tua ſorte hac, GVNTHERE, pioq; benignam
Pectore CVNRADI volue reuolue operam.
Nam licèt hic vllo tecum ſine fine triumphet
Parcarum potior præcipitante colo:

Sic

Sic tamen ambiguum fiet tibi, plúſne decoris
Addiderit, contrà quàm dabis ipſe decus.

IN CL. VIRI, CVNRADI RITTERSHVSII GVNtherum,

MICHAEL VIRDVNGVS
Francus P. Cæſ.

Ad Muſas fugientes.

ET meritò. Quid enim noſtro reſtetis in orbe,
O vos Aonio præſide triga triplex?
Quæúe adeò vos adtineat pellacia ridens,
Hinc vt ceſſetis præcipiti ire gradu?
Totq; indigna pati, totq; exſpectare neſanda,
Cùm in vos ſit montes imò mali irruere.
Quin potiùs fugite, atq; ingratas linquite terras:
Obſcuras q; inter Cimmeriùm attegias
Vos præoptate pati poſthac. Enim in omnia veſtram
Coniuraſſe liquet hîc elementa necem.
Ergo perpetuis damnantur cuncta tenebris,
Muſarum cande lumine facta priùs!
Omnia ſquallenti mœrent deperdita luctu:
Stat ſine honore dies; nox nigra ſelle madet!
Et iam nulla fritinnit auis dulcè, aëre pendens,
Nec liquido pollens ore figurat epos.
Quæq; priùs blando ſiluas affamine mulſit,
Mellea præ cunctis Daulias obticuit!
Inq; reſoluuntur chaos antiquum omnia prorſus:
Omnia triſtis hiems, omnia ſunt tenebræ!
Sic certè. Horribili adſpectu ſupra caput adſtat
En! nupta os noctis tegmine Barbaries;
Quam ſtrix horrendùm ſtridit circum impia, rana
Quin etiam rauco gutture amara crepant.

Hosted by Google

Nos quid ad hæc? Tantas ſubſiſtere quisúe ruinas,
Aut potis immenſis obuius ire malis?
Ah! nemo, vt paret. Niſi contabeſcere luctu,
Nil reliquum, aßiduoq; imbre madere genas,
Et deſiderio adflictum fruſtra exedi imani,
Flebiliterq; homines atq; ciére Deos.
Tu tamen, ô Rittershuſi, ſpem haud abijcis omnem;
Quin ſperas, ægrum dummodo vita animat.
Laudo: ſapis. Quid enim luctu eſt opus aut lamentis?
Quidúe quiritanti flebile voce queri?
Penè rei cùm depoſitæ medicina adhibenda eſt;
Et tantillæ ingens eſt morulæ pretium.
Quin potiùs velut è tenebrarum carcere tractis,
Atq; tua lotis munditer antè operâ
Copia facta fuit vitæ luciſq; tuendæ,
Expenſis pretio gemmeo, inantè, libris:
Sic quoq;, ſic æui hic cariem paſſuſq; ſenectam
GVNTHERVS veniat rurſus in ora virûm:
Proq; virore nouæ tibi grates ille iuuentæ,
Atq; magis viuax arte recoctus, agat.
Cùm non barbariem ſit protelare propinquam; at
In tempus ſaltim extollere conſilium eſt.

PLVRA habemus à præſtantibus viris ENCOMIA ſiue ΕΛΟGIA. Sed ea ad NOTARVM Librum reijciemus.

Tempus nunc eſt, vt ipſum Guntherum Hiſtorico Poëtam in ſcenam atque ad pulpita producamus, & ſua de Opt. Imperatore optima Carmina denuò poſt tot annorum ſilentia audiamus recitantem: vbi priùs Lectorem admonuerimus, Aſteriſcos ſeu ſtellas huiuſmodi * verſibus Guntheri inſertas denotare ea loca, ad quæ aliquid in Notis noſtris adijcitur, quo faciliùs animaduertas, Lector bone, quando tibi ad eas recurrendum ſit, Vale.

ARGV-

Hosted by Google

ARGVMENTVM LIBRI I.

Primus habet primos electi Regis honores.
Sceptra manu, primamq; sacra ceruice coronam
Gestat Aquis: merita Traiectum protinus ira
Plectit: & hinc magnas inuisit Rex puer vrbes.
Dat populis leges, & pristina iura reformat.
Sceptraq; Danorum cognata lite dirempta
Donat habenda Petro: cupiens indicere bellum
Pannonibus, multo procerum fidoq; rogatu
Vincitur: ingentis causſam fomentaq; belli
Exceptum patruo reddit tibi, Saxo, Ducatum.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, LIBER I.

*ARdua ſollicito verſu, memorandaq; ſeclis
*Geſta cano: mundoq; tuos FRIDERICE triumphos,
Atq; tibi toties conatam illudere fruſtra
Fortunam, vulgare paro: monſtriq; biformis (mis
Ambiguos vultus, motusq; volubilis orbem
Frænatum virtute tua, *caſusq; ſiniſtros
Exceptos habitu quo proſpera mentis eodem.
Res oneroſa quidem, nec præſumenda minori
Ingenio, * magnisq; etiam metuenda Poëtis.
Sed tamen exiguas amor & deuotio vires
Supplebit: fragilemq; animi ſpes magna vigorem
Fulciet: * affectusq; pios Fortuna iuuabit,
Iamq; adeò, * ſi quid ſtudio poſſemus in iſto
Experti, * noſterq; legi Solymarius audet,
Atq; etiam fortaſſe placet: quem gratulor antè

Regales penetrasse domos, pueriq; potentis
** Ingemuas tetigisse manus. * præludia quædam*
Illud opus, ceu prima nouæ tentamina Musæ,
Et munus puerile fuit: nunc altera summo
Dona viro, scriptos propria de laude libellos
Offerimus: pariterq; patrem cum prole canentes,
Omnibus ista simul consorti iure dicamus.

Suscipe cunctorum regnator Maxime regum,
Suscipe lux mundi, cui nullum párue, priúsue
*Spirat in orbe * caput: te gaudet Principe mundus:*
Te populi, te regna timent: te solis ab ortu
Solis ad occasum, submisso vertice, cuncti
** Suspiciunt: dominumq; simul, Regemq; fatentur.*
Nec solùm nostri, vir maxime, temporis omnes
Prægrederis virtute viros; sed cuncta retrorsum
*(Pace loquar veterum) cedunt tibi * nomina Regum.*
Solus ab Augusto consorti gaudet honore,
Et socium claris admittit Carolus actis.
Certa quidem vatis dementia, carmen agreste
De tanto cecinisse viro: sed parce furori
*Princeps magne * pio: nec te præsumptio nostra*
*Exagitet: * solis licet insanire Poëtis.*
** Cernis vt æstiui blando spiramine solis,*
Ceu pecudes, hominumq; genus: sic paruula opaci
Monstra soli, viridesq; solent gaudere lacertæ.
Vtq; suo volucres cœlum modulamine mulcent:
Sic fruticosa leues quatiunt arbusta cicadæ.
Imò etiam mos est, vt plus cantare laborent,
*Qui grauius cantant: & balbi plura * loquuntur.*
Sic ego, quem celebres optant laudare Poëtæ,
Nec dignè laudare valent, temerarius, ausu
Præcipiti, tenuiq; paro celebrare camœna.

Annue

Annue ſollicito, Princeps mitiſſime, vati,
Officioq; pium deuoto impende fauorem.
Vos quoq; Cæſarei iuuenes, quos inde paterna
Nobilitas veterum traducta ab origine Regum,
Hinc matris commendat honos, ſeriesq; vetuſti
Sanguinis, & claræ Reinaldus originis auctor,
*Annuite, & * veſtras pariter magniq; parentis,*
((Hoc etenim commune ſacrum eſt) admittite laudes.

*Tu primùm placatus ades, * qui iure paterno,*
Virtutum regniq; ſimul ſucceſſor & hæres,
Sceptra geris: magnisq; patrem virtutibus æquas,
*Rex puer: * & iam nunc Italis, Tuſcisq; timendus,*
Eridanum, Tyberimq; premis: fortaſſis & iſta
Indolis acta tuæ, quæq; ipſe ſequentibus annis
*Adijcies virtute tua, * modò viuere detur,*
Et ſceptris placuiſſe tuis, Henrice, canemus.
O benè quòd talem diuina potentia Regem
Inſtituit: qui ſic ſtudijs imbutus honeſtis,
*Nouit * ab inſipido doctum ſecernere vulgo.*
Iamq; diu mutas, ſolitasq; ſilere camœnas
Excitat ad veterem digna mercede laborem.

Tu quoq;, quem patrio reuerendum nomine Rhenus,
Et metuenda alijs formidat Sueuia terris,
Dux Friderice ducum, noſtræ munuſcula curæ
Suſcipe: nec parui placidus monimenta laboris,
Porrectaq; manu magno ſub faſce labantem,
Oppreſſumq; metu (ſiquidem potes) erige vatem.

At tibi, cui Rhodanus totus famulatur ab ortu
Vſq; ſuo, totusq; fluit, dum gurgite feſſo
Oceani tumidis tandem ſe miſceat vndis,
Hæc placuiſſe velim: dubium, puer inclyte, dici
Rexne, Comeſne velis: veterum nam regna potenter

Allobrogum materna Regis, regniq; decore
Dignus, ab excelso nomen deducis Othone.
*Nec tu, * regifico Chunradi nomine clarus,*
*Ac verus virtute * nepos, cui fœdere certo*
Nominis & iuris, succedens, Franconarura
Herbipolinq; regis, primæ cui munera Musæ
*Obtulimus, * scriptos sacra de sede libellos,*
Prætereundus eris: sed & hîc quoq; nomen habere
Te volumus, partemq; noui sacramus honoris.
Vltima magnifici, sed non minùs inclyta proles
Principis, oblatum puerili suscipe dextra
*Munus, & his gaudens allude * Philippe libellis.*
Quod tibi venturi promittere nomen honoris
Ritè queam? Comitémne vocem, Regémne, Ducémne,
Pontificémne magis? sic quippe est fama, verendum
*Dispositisse * patrem: cuius præsagia nunquam*
Fallere fata solent, rerúmue incognitus ordo:
Quicquid eris, nobis iam magnus es, atq; verendus,
Iam te non puerum, sed sacrâ tempora mitrâ
Velatum, celsâ residentem fingo cathedrâ.
O verè magni proles generosa parentis,
O verè felix dulci de stipite fructus,
*O verè * famosa domus, cui totus ab ortu*
Solis ad occiduas mundus substernitur vndas,
Quam qui nouit amat, qui non nouere, verentur.
*Cuius * in auditu, confusis mentibus hostes*
Tabescunt, contraq; nihil se posse fatentur.
*Nam pater * in valido robustus & integer æuo*
Extimulat, teneram ducitq; per ardua prolem.
Illa velut patriæ sectatrix æmula laudis,
*Accelerat; * tardumq; putat, damnoq; futurum*
*Expectare dies, * meritisq; superuenit annos.*
Quisnam igitur talem, tali cum prole parentem,

Laude

Laude ſatis digna poterit celebrare Poëta?
Et tamen aggrediar: liceat modò fortia geſta
Eximij memorare viri: non omnia, ſed quæ
Pulchra magis: quis enim, ſi proſequar omnia, codex
Hæc capiet? ſeu quis poterit percurrere lector?
Illa quidem officio magnorum clara virorum
Sunt ſatis: & metus eſt, ne dum prodeſſe laboro,
*Inueniar nocuiſſe magis, * rebusq; ſerenis*
Arguar inſanus tenebras obducere vates.
Eſt tamen & ratio, quæ forſitan auſa tueri
*Noſtra queat, veniamq; dare, & * detergere culpam.*
** Qui ſcripſére priùs, cupientes ordine certo*
Hiſtoriæ ſeruare fidem, non pauca videntur
Inſeruiſſe ſuis (liceat modò dicere) chartis,
Quæ neq; Cæſareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, ſed tanquam adſuta cohærent.
At nos, ſi quid erit pulchrum minus, eximiumq;,
Vel quod ad egregios non multùm Cæſaris actus
Pertineat, veri nihil adiectura decoris,
Sponte relinquentes, tantùm potiora ſecuti,
De multis modicam nitemur cudere ſummam,
** Claudendumq; manu forma breuiore libellum,*
Ad demulcendas conflare legentibus aures,
Ac velut è pleno, decerptis floribus, horto,
Principe digna ſuo, breuiter compingere ſerta.
Si quem igitur rerum prolixior ordo, fidesq;
*Incorrupta iuuat, * doctorum ſcripta virorum*
*Conſulat, atq; * ipſo latices de fonte petitos*
*Hauriat: at ſi quis ſummatim carpere * tantùm*
Rem ſatis eſſe putat, noſtris apponat ocellum,
Et medio tenuem de gurgite ſorbeat vndam,
Præterea rerum freti ſplendore, ſimulq;
Artifici ſermone ſuo, ſenſuq; profundo,

Materiæ insigni metricas adsciscere leges
Spreuerunt: pudui tq; reor, puerilibus illos
Lasciuire iocis, & inanes texere nugas.
Nos autem sermone rudes, animoq; pusilli,
Singula sub numerum certa ratione vocantes
Verba, superposito velabimus inlita fuco:
Vt quem fortè parum malè cultus sermo mouebit,
Hunc saltem structura pedum, versusq; canori
** Detineant, sitq; hic aliquid laudabile nostrum.*
** Nunc age, præmissus quæ vel res ipsa monebat,*
Vel vatis studiosus amor, solamine tuti
** Principis ac iuuenum, de re, quod restat, agamus.*
Atq; adeò præsens ex illo tempore textus
Incipiat, quo prima sacra Friderice tulisti
Sceptra manu: licèt antè quidem non pauca relatu
Digna, vel à tenero gessisti fortiter æuo.
Nam neq; prima tuæ nobis monimenta iuuentæ*
Percensere vacat: nec quæ crescentibus annis
Sub patre, vel patruo cunctis memoranda tulisti.
Illa suis speciosa locis; nos regia tantùm
Gesta leui calamo, quadam breuitate sequemur.
Annus ab Vrbe noua millesimus, vtq; notetur
Res, qua voce potest, octingentesimus ibat:
Vel magis, vt Christi, qui tempora condidit, ortu,
Tempora distmguas, millenis adijce centum,
A. C. 1154. *Mox quinquagenis, subnectens quattuor annis,*
Temporis hæc series effluxerat, orbaq; regni
Teutonici sedes Chunradi morte vacabat.
Acturi sacræ de successore coronæ
** Conueniunt Proceres, totius viscera regni,*
Sede satis nota, rapido quæ proxima Mogo
Clara situ, populoq; frequens, murisq; decora est,
Sed rude nomen habet: nam Teutonus incola dixit

Francone-

Hosted by Google

Franconefurt: nobis liceat ſermone Latino
Francorum dixiſſe vadum: quia Carolus illic
Saxonas indomita nimium ferit ate rebelles
Oppugnans, rapidi latiſſima flumina Mogi,
Ignoto fregiſſe vado, mediumq; per amnem
Tranſmiſiſſe ſuas neglecto ponte cohortes
Creditur, inde locis manſurum nomen inhæſit.
Huc ſacri, celebresq; viri, quos laude ſerena
Inſula, vel gladius mundo facit eſſe verendos,
** Ex omni regione fluunt, ad publica regni*
Commoda: de ſummis agere at diſponere rebus
Exacta ratione parant, éque omnibus vnum,
Qui modò ſit tanto ſuccedere dignus honori,
Præfeciſſe ſibi celeri pietate laborant.
Sic vbi noctiuago ſtellarum lumine puppis
*Decùrrit pelago, * ſi fortè nocentibus illam*
Qua regitur curſus tenebris premit imuida nubes,
Abrumpitq; vias, alio ſibi ſidere nauta
Quærit iter, clauiq; modum, veliq; tenorem
Innouat, & radijs accommodat arte carinam.
Sic poſtquam ſedere Duces, dubioq; volutant
Pectore, cui tanti regni tribuantur honores,
*Saxones, & quorum * Ripuaria nomine tellus,*
Vveſtualiæq; vrbes, & Norica rura regentes,
** Allobrogumq; duces coëunt, Cymbriq; feroces,*
Quos perfuſa ſuo pugnax Germania Rheno
Miſit, & à magno tellus ſignata Luthero,
Vindelici, Rhetiq; ruunt, quos Sueuia nutrit,
Quosq; Carentinis collimitat Auſtria campis,
Quos Lycus, & tumidus Iſter prælabitur vndis,
** Quæq; * ſuos vrbes huc direxére potentes,*
Claraq; Teutonici coierunt nomina regni.
Nec minùs ex Italis multos, & gente Latina

Traxerat

Traxerat huc rerum miratrix fama nouarum;
Concilium, Regemq; nouum, faciesq; verendas
Aspexisse Ducum, famosaq; nomina nosse
Optabant, populisq; suis exacta referre.
*Ergo vbi tanta patres * audire negocia, dignum*
Insedere locum, diuerso magna fauore
Pondera librantes, nunc hos, nunc protinus illos
Inspiciunt: versantq; diu moresq;, genusq;,
Ingenium, famam, sortunæ simplicis vsum,
Euentum, finemq; simul, quæ commoda regni
Inde fluant, quæ damna sui: iudéxne seuerus,
An facilis, pius, annéferox, largitor honestus,
Annérapax, pacem portendat, an arma minetur,
Omnia sollicito curarum examine pensant.
Tandem quid peteret regni fortuna, per vnum
Dignata est aperire virum: qui nomine clarus,
(Dux, comes, an præsul, dubium) formaq; verendus,*
Consilioq; potens, & persuadere peritus,
** Surgit. & vt magnis vocem cum corpore rebus*
** Composuit, facunda pater sic ora resoluens,*
*Omnia * suasibili permulsit pectora voce.*
*Francorum * Proceres, quos inclyta robora regni,*
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas,
*Scitis vt è medio, dolet heu, sublatus * acerbo*
Funere Chunradus vitam, regnumq; reliquit:
Nunc igitur (veluti cùm luditur alea) prudens,*
Si qua malè acciderint, ea lusor corrigit arte.
Sic nos humanæ lusit quos alea sortis,
Consilio fati casum properemus iniqui
Corrigere, & tanto solatia ferre dolori.
*In manibus vestris regnum est: * ea quippe potestas*
Ad vos more suo, semper viduata recurrit.
** Regibus est alijs potiundi iure paterno*

Certa

Hosted by Google

Certa fides, sceptrumq; patris * nouus accipit hæres.
Nos quibus est melior libertas, iure vetusto
Orba suo quoties vacat inclita principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.
Ex quo Romanum nostra virtute redemptum,
Hostibus expulsis, ad nos iustissimus ordo
Transtulit Imperium; Romani gloria regni
Nos penes est: quemcunq; sibi Germania Regem
Præficit, hunc diues submisso vertice Roma
* Suscipit, & verso Tiberim regit ordine Rhenus.
Consulite in medium, * tantaq; è plebe potentum,
Vnum, quem tanto deceat succedere Regi,
Eligite, Ausoniam dignum gestare coronam.
Ast ego, si vestra, quæ sit * sententia mentis,
Pace monere licet, * quo nostri pondera vergant
Consilij (vos rem * propius perpendite) promam.
Est hic eximiæ iuuenis probitatis, & alto
* Nomine maiorum clarus, sed clarior actis
Ipse suis, patrij Fridericus nominis hæres,
Sueuus, & à veterum non longè sanguine Regum,
Quem sibi, dum superâ frueretur luce superstes,
Rex patruus dignum gaudebat habere nepotem,
Multaq; cognati mandare negocia regni
Sueuerat, & socium summis adsciscere rebus.
Quid iuuenis de laude loquar? quid fortia primæ
Acta iuuentutis? quid, quod peregrina secutus
Castra Dei, * primis tyro famosus in armis
Gesserit? & inuicta quantos virtute labores
Pertulit, expediam? timeo, ne multa loquendo,
Inueniar dixisse minus. notissima res est,
Quam qui forte negat, nunquam vidisse diurnos
Se Phœbi radios, nec verno tempore flores,
* Æstibus aut medijs audisse tonitrua dicat.

Hunc

Hunc ego Rectorem fausto clamore cieri,
Incingiq; sacro nitidos diademate crines,
Et moneo, & nunquam, fateor, monuisse pudebit,
Si satis hunc noui, nec me præsagia fallunt.
Nobilitate viget, claroq; hinc sanguine Reges,
Inde Duces contingit auos: *facundia dulcis,*
* *Forma nitens, animusq; sagax, manus impigra, sollers*
Consilijs, belloq; ferox, & pace modestus,
* *Mente senex, ætate puer, prudentia rerum,*
Certus amor, robusta fides, constantia mentis
* *Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis,*
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
* *Tranquillus placidis, ferus indomitusq; superbis,*
Supplicibus facilis, iustis pius, asper iniquis,
Fortis ad instantes casus, prudensq; futuri
Præteritiq; memor, socijs bonus, impius hosti.
Hæc sunt ô Proceres, hæc sunt quæ regna tueri
Ac munire solent: his artibus infima crescunt,
Maxima seruantur: ni fallimur, artibus istis,
Seq; suosq; reget: neq; enim * *quas hactenus vltrò*
Et * *gratis coluit, sumpta mercede relinquet.*
* *Nam quòd summa probos mutare potentia mores*
Dicitur, ex alia sumptum magis æstimo caussa:
Si quis fortè sibi peruersæ conscius artis,
Ingenijq; mali, tacitus captator honoris
Tempore dissimulat: cùm * *quod cupiebat adeptus,*
In vitium, moresq; redit, mutasse videntur
Immeritiq; hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit & inquinat * *vsu.*
At cuicunq; bonum, & nullo violabile casu
Ingenium natura dedit, si lætus honorem
Fortè tulit, quo dignus erat, tunc * *tempore rapto,*
Illa latens probitas læto pubescere fructu

Incipit,

Incipit, & ſeſe virtutum germina produnt.
Sic puer à tenero caſtis qui moribus æuo
*Floret, & hunc habitum * naturæ vertit in vſum,*
Qualis erit? quantúsue putas? quæ gloria regni?
Quis decor Imperij tanto ſub Principe ſurget?
Hunc ipſum voluiſſe ſuis ſuccedere regnis,
Et patruum, res ipſa probat, cui ſanguine iuncto,
Ac velut hæredi moriens inſignia nuper
Regia, nil parua ſperans de prole, reliquit.
Quippe Deus, ſi regna diu voluiſſet in illa
Stare domo, prolem potuit ſeruaſſe priorem,
Quæ iam ſuſcepto conſorti fœdere regno,
** Flebilis indigna præceſſit morte parentem.*
Nunc quoniam ſatis è fratribus alter iniquis
*Occidit, & caſu regnum * fraudauit acerbo,*
Alter adhuc teneris puer eſt malè firmus in annis:
Quis melius patruo (faueat modò veſtra voluntas)
Succedat, quàm quem ſtudijs, & carne propinquum
Ipſe ſibi hæredem quaſi deſignaſſe videtur?
Nouerat ille quidem generoſæ robora mentis,
Nouerat atq; ideò regnum, quantum eſſet in ipſo,
*Tradidit, & nato voluit præferre * nepotem.*
** Non alienus erit: nulla hic tranſlatio regni,*
Nulla ſub ignoti redigemur iura tyranni.
Adde quòd antiqua Regum nutritus in aula,
Regia prudenter tractare negocia nouit.
*Adde quòd & gemmas poterit * regumq; ducumq;*
Hanc patris, hanc claro contingens ſanguine matris,
Conciliare domos, quas ſeditione frequenti
Excitat impatiens ſociæ diſcordia laudis.
*Si quis ob inuidiam * ſtudijq; latentis amorem,*
Tot bona ſecretò diſſuaſor inutilis aſtu
Impedit imprudens, aut perfidus eſſe probatur.

Sic

Sic vbi melliflua, quisquis fuit ille, disertius
Voce perorauit, concordi protinus omnes
Assensére sono: læto clamore cietur
** Dux puer in Regem: Friderici curia nomen*
Tota canit: moresq; probos, & fortia facta
Extollunt, dignum sceptris, vltroq; petendum,
** Cogendumq; ferunt: alij famosa priorum*
Nomina, permixtumq; genus, regumq;, ducumq;
Commemorant: alij studium, magniq; vigorem
Pectoris, & placidos, sed non sine pondere, mores:
Pars operum titulos iactant, æuiq; minoris,
Vix æquanda viris, annisq; valentibus, acta.
** Hanc ego rem penitùs, quàm dicere pauca, silere*
*Tutius esse puto: * non est mihi carminis inde*
Tanta fides, pleno scribens vt cuncta relatu
Exæquare velim. magnum res ista Poëtam
Exigit; in minimis nobis audacia rebus.
*Mox vbi ritè suam * proceres iuramme sacro*
Astrinxére fidem, cunctis, quæ postulat ordo
Expletis, paucisq; nouo cum Rege relictis,
Discedunt: lætiq; suas referuntur ad vrbes.
Sic vbi mundanis dominantia sidera rebus
(Si modò vera canunt, qui talia tradere gaudent*
Dogmata) propitio post secula plurima signo
Conueniunt, aliquemq; boni maioris in orbe
Prouentum, pacem terris, hominúmue salutem,
Temperiémue poli, fidósue colentibus agros,
Aut simile his aliquid concordi fœdere iurant:
Inde suis iterum vicibus, versoq; relapsu
Discedunt, soluuntq; chorum, repetuntq; penates,
*Non nisi post longos iterum coitura * labores.*
At Rex prima mouens, ibi re feliciter acta,
Castra per emensas memorati fluminis vndas,

Classe

Classe petit celebrem famosi nominis vrbem,
Qua Mogus tumido miscet sua flumina Rheno:
Qui licèt ipse suum perdat cum gurgite nomen,
Dat tamen egregiæ primordia nominis vrbi:
Illaq; maiori cùm sit popularior ammi,
*Negligit, & * fluuio dignatur ab hospite dici.*
Namq; premens Rhenum (si credimus omnia famæ)
Nomen ab infuso recipit Mogunta Mogo.
Hæc vrbs Francorum medijs in finibus, agris,
*Vitibus, arbustis, * populo generosa frequenti,*
Hinc statione sua Rhenum contingit, at inde
*Extendit * rapidam fines procul * vsq; Mosellam,*
Quæ non penè minor placidos dum permeat agros,
Frugibus & pomis, & dulci fertilis vua,
Nomen, aquasq; suas, proprio sub iure retentans,
Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem
Seruat adusq; locum: victor mox Rhenus, vtrumq;
Eripit, & mixtis dominatur fortior vndis.
Turribus hæc eadem quondam, murisq; superba,
** Penè fuit toto sedes notissima regno,*
Donec ob infandum detestandumq; furorem
*Strata, luit meritas * occiso Præsule pœnas,*
Inde ruinosis deformis, & horrida muris,
Testatur iustas offensi principis iras.
Huic ne præcipuam celebret Germania sedem,
Inuidet, atq; locum tenet Agrippina priorem.
Amba metropoles: hæc aquas præterfluit amnis
Altior ad fontem (modò te, Basilea, remota)
Aut hinc inde sitas lateraliter aspicit vrbes:
Altera quas eadem Rheni procul aut propè ripa
Possidet: æquoreis donec se misceat vndis,
Prisco iure regunt: sic Rhenus partibus æquis
Scinditur, & dominæ solus famulatur vtriq;.

*Mox quantum libuit, per eundem defluus æmnem
Remige carpit iter: multi, magniq; potentes
Occurrunt, Regemq; nouum, dominumq; ſalutant.
*Vtq; ſatis viſum eſt, Rheno, ratibusq; relictis,
Flumineos curſus euectu mutat equorum.
Inde per Ardennæ ſaltus peruenit ad illum
Vſq; locum, cui nomen Aquis poſuére priores.
Quæ ratio facti, vel quæ ſit nominis huius
Cauſſa requirenti, ſolum hoc opponere poſſum.
* Sunt ibi ſecreti terræ, cæciq; meatus,
Diſſimiliq; modo, tacita tellure latentes
Eiaculantur aquas. alias nam ſulfure viuo
Feruentes vndante ferunt erumpere ſumo.
Aſt alij gelido veluti de fonte liquores
Emanant. tunc ducta cauis cannalibus vnda,
Conſluit in quandam mira ratione lacunam.
*Regia ſic calidis miſcentur balnea thermis,
Marmoreosq; gradus, veterum ſollertia circum
Artificum poſuit, per quos deſcendat in vndam
Quantum quiſq; volet: gelidas hinc, inde calentes
Inuenit, arbitrioq; ſuo ſibi temperat vndas.
Hos illis ſecreta locis natura vapores
Addiderit, manuumúe labor, quæratur ab illis
Qui loca nota colunt: cauſſas, * ſecretaq; rerum
Maiores fido poſſunt audiſſe relatu.
Hoc * ſibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus eſſe volens, magno cum Francia regi
Vtraq; ſeruiret, primam geſtare coronam
Iuſſit, & in ſacra reges ibi ſede locari.
* At ſimul à noſtro ſeceßit Gallia regno:
Nos priſcum regni morem ſeruamus; at illa
* Iure ſuo gaudet, noſtræ iam neſcia legis.
Ergo vbi multorum turba præſente potentum,

Non

Non modò Germanis, sed & his quos Flandria, quosq́
Miserat auditæ miratrix Gallia famæ,
* Imposuit capiti gestamina regia sacro
Arnoldus, quo tunc pastore colonia diues
Gaudebat (quippe hunc veteris sibi iuris honorem
Vindicat ille locus) tunc sacra sede locatus,
Conscendit solium veterum Fridericus auorum.
* Nec reticere libet, quædam manifesta seueræ
Pignora iustitiæ, strictiq́ exempla rigoris.
Quippe ministrorum quidam de plebe suorum,
Dum priuatus adhuc ageret, malè sanus atroci
Eximium clarumq́ Ducem, percellere culpa
Ausus erat, iustamq́ viri quam nouerat iram,
Territus ipse sui fugiebat imagine facti:
Hic quoq́ gaudenti, veniæ spe lusus inani,
Intererat populo, vultuq́ ignotus * aperto,
Ac se dissimulans humili sub veste latebat.
Ergo vbi * Pontifices sacram de more coronam
Imposuére viro, prostratus corpore toto,
Regiaq́ amplectens vestigia, voce gementi,
Et lachrymis, veniam miserandus poscere cœpit.
Moti omnes, precibusq́ pijs instantius orant,
Parcat, & afflicto velit indulgere clienti,
Ille suum cupiens cunctis sancire timorem,
Et terrere malos, multumq́ diuq́ rogantes
Exaudire viros * firmata mente negauit.
Neué graui Proceres quaterentur fortè repulsa,
Non odio miseri, sed stricti iuris amore,
Exempliq́ loco, sese hoc fecisse patenter
Asseruit, factiq́ sui vir prouidus omnem
Sustulit inuidiam, * documentaq́ fortia sanxit.
Forsitan hæc alij culpent; ego nobile factum
Laudo viri, dignumq́ voco gestare potenti

Sceptra manu: qui ſic animum, pietate repreſſa
*Continuit, cunctiſq; ſui documenta * vigoris*
Certa dedit. plus ſæpè nocet patientia Regis,
*Quàm rigor: * ille nocet paucis, hæc incitat omnes,*
** Dum ſe ferre ſuos ſperant impunè reatus.*
Audierat fortaſſe puer generoſus, vt olim
Ille ſuæ primus regnator Romulus vrbis,
Conditor Imperij, teneras infringere leges,
*Atq; humiles * auſum ſaltu tranſmittere foſſas,*
Iuſſerat vltrici fratrem ſuccumbere morti,
*Dum cupit * æterni fundamina ponere regni.*
Iamq; ſui plenum ſortitus culmen honoris
Rex puer, ex animo puerilia quæq; virili
Propulſare manu, magnisq; intendere rebus
Ingenium puerile parat. non inſcius olim
Ipſe ſui, quantumq; oneris comitetur honoremu,
*Cœperat ex obitu * clari ſentire parentis.*
Sed nunc ſe ſolito grauiori pondere ſentit
*Vrgeri, multumq; ſibi creuiſſe * laboris.*
Vt cùm poſt multos, indefeſſosq; labores
Alcides feſſo ſuccedere iuſſus Atlanti,
Cùm tot ſideribus magnum miratus Olympum
Ferret, & inſolito ſudaret pondere preſſus.
** Ergo viros, famoſa quibus prudentia nomen,*
Longaq; multarum dedit experientia rerum,
*Sæpiùs arcanis * ſolitos interſore rebus*
Adſciſcens, magno ſecreta negocia regni
Pertractans ſtudio, de cunctis rebus agendis
*Conſulit: & pulchrum, * iuſtúmue, vel vtile quid ſit,*
Quid deceat, quid non, ſtudioſa mente requirit.
Nec mora, legatos ſummo mandata ferentes
Pontifici, properare iubet, cunctaſq; per vrbes
Auſoniæ vulgare ſuos indicit honores.

Primitias

Primitias operum Princeps has esse suorum
Maluit, vt regni manifestos protinus hostes
Frangeret, & iusto purgaret scandala ferro.
Haud mora, Traiectum, patruo regnante, superba
Abiecisse iugum ceruice, piumq; recenter
Offendisse virum factis crudelibus ausum,
Hostili feruore petit: murosq; parabat
Inclinare solo, captasq; euertere turres,
Suppliciumq; reis (pietas ô magna nepotis,
Iudiciumq; viri) patrueles fortiter iras
Vltrici satiare manu, regniq; dolorem.
Sic Augustorum primus summusq; monarches,
** Eximiusq; nepos, crudelia Cæsaris olim*
Hostibus extinctis, pius ac fortissimus vltor,
Protinus accepto diademate fata piauit.
Tandem multorum vix eluctante rogatu
Magnorumq; Ducum, multò priùs ære redemptis
Parcitur, & iusti fera Principis ira resedit.
» ** Nec meliùs stultæ furor atq; superbia plebis*
» *Puniri poterat, quàm tanti vt caussa tumoris*
» *Eriperentur opes: * vt quos opulentia rerum*
» *Fecerat elatos, in se reuocaret egestas.*
Inde gradu verso, gaudentibus obuia Rheni
Signa ferens vndis, te pulchra Colonia, lætam
Lætior ingrediens: ibi digno vir pius illum
Egit honore diem, quo Christus carne resumpta,
Victor ab infernis rediens nitidissimus vmbris,
Retulit eximios superata morte triumphos.
Postea Saxoniæ fines ingressus, ad illam
Quam Martinopolim vocat incola Teutonus vrbem,
Concilium Procerum toto de corpore regni
Conuocat: vt digno celebretur curia cœtu,
Tempore solenni, quo Spiritus almus ab alto

Hosted by Google

Cum ſonitu veniens in pectora ſancta piorum,
Ignea diſtinctis effudit lumina linguis.
Huc etiam geminos, * Petrum ſimul, atq; Guidonem,
Danorum Proceres, quos inter ſanguine iunctos
Mouerat eiuſdem regni diſſenſio litem,
Euocat: ac tali cauſſam ratione diremptam,
Terminat: vt quædam prouincia tota Guidoni
Cederet, at regnum cum nomine Petrus haberet.
Ergo vbi * vexillo partem quam diximus ille,
Hic autem * gladio regnum ſuſcepit ab ipſo.
(Hunc etenim longo ſeruatum tempore morem
Curia noſtra tenet) poſito diademate Petrus
Regali dextra tulit alti Principis enſem,
Præceſſitq; ſacram breuius diadema coronam.
Huc quoq; Virginea, modò dicere fas ſit, ab vrbe
(Nam neq; barbaricum recipit mea pagina nomen,
Nec melius * dici ſine nomine poſſe videtur)
Electo partes gemino de præſule litem
Pertulerant: quas dum placidè componere rector
Et reuocare diu fruſtra ſtuduiſſet in vnum,
Tandem * exſufflato, qui poſcebatur, vtroq;,
*Tertius inuitis datus eſt à Principe paſtor.
Hoc etenim ſibi ius collatum à præſule ſummo
Rege ſub Henrico teſtatur curia quinto:
Vt ſi ſortè nouo certat de præſule ſedes,
Nec valet impoſito ſopiri fine querela,
Debeat ipſe ſuas mox interponere partes,
Arbitrioq; ſuo paſtorem ponere ſedi.
Nec priùs electum quenquam de iure ſacrandum,
Quàm ſceptro Princeps * regalia præſtet eburno.
Inde Ratiſponæ (vetus ex hoc nomen habenti,
Quòd bona ſit ratibus: vel quòd conſueuit in illa
Ponere nauta rates: hac Noricus vrbe ducatus

Præcipuæ

Præcipua gaudet) ſolemnis curia certo
Tempore mandatur, modico poſt iſta ſequentis
Temporis elapſu, totus quo tempore mundus
Gaudet * Apoſtolici gemino ſplendore triumphi.
Iamq; viri reduces, Princeps quos miſerat olim,
Vrbibus ex Italis, nec non à Præſule ſummo
Sedis apoſtolicæ, felicia quæq; reportant.
Mox vbi propoſitas, quo debuit ordine, cauſſas
Egit, & in placida Rex omnia pace locauit,
Magna ſibi cupiens quærendæ ſemina laudis,
Et propagandi momenta potentia regni,
*Protinus Hungaricos armato milite fines,
Si placuiſſet idem ſocijs, intrare parabat.
Et facturus erat: * nec inutile Principis eſſet
Propoſitum: poteratq; ſuo rem claudere voto.
Sed quidam, ſeu mente bona, monituq; fideli,
Siue dolo, tacitoq; (magis quod credimus) aſtu
Diſſuaſére Duces: ac ne contrarius illis
Ire videretur: nec in hac re commoda regni,
Sed priuata ſequi, quamuis inuitus ab alto
Ceſſit propoſito. ſic diſſuadentibus illis,
Non ſublata quidem, ſed adhuc dilata voluntas,
Vel magni virtute patris complenda, vel alti
Sanguinis auſpicijs, nactus ſua tempora rebus
Speratur: neq; enim fruſtra voluiſſe, nec vnquam
Concepiſſe ſacro præſagia vana futuri
Pectore, vel quidquam temerè ſperaſſe putabo.
Non tamen in tanto rerum ſplendore locatus
» (Vſque adeò * nulla eſt hominis ſincera voluptas)
Gaudia plena capit tranquillo pectore Rector:
Quem benè compoſitis diuino munere rebus,
Anxia * cognatæ torquet diſcordia rixæ.
Nam duo magnifici Proceres, Henricus * vterq;

Nomen, & ambo pares factis insignibus, ambo
Maiorum titulis, bellum graue prorsus, & anceps,
Et multa regni metuendum clade gerebant:
E quibus hunc ipsum patruum generauerat ille
Austricus ex auia Leopoldus marchio regis:
* Hunc Noricus ductor, & regis auunculus idem
Nobilis Henricus generosa stirpe creauit.
Hi tristes belli caussas, & prima furoris
Ex his nimirùm traxerunt semina caussis.
Nam pater alterius Noricorum ductor, atrocem
Pulsus ob inuidiam dudum, moresq; superbos
Saxoniæ tantùm nudo sibi iure relicto,
Senserat vltrices Chunradi principis iras.
Ereptumq; sibi, regno tribuente, Ducatum
Antè Leopoldus, nunc eius frater, & idem
Rectoris patruus, pugnax Henricus habebat.
Vtq; hæc vna lues sano de corpore tandem,
Ac velut è medio nubes odiosa sereno
Cederet, è cunctis claro sub principe regni
Partibus, Herbipoli iussi coiére potentes.
Affuit hîc Saxon, non affuit Austricus, vt qui
Iudicium fugeret: dudum possessa Ducatus
» Perdere iura timens: nam caussa semper in omni
» Iudicium spoliatus, amat: qui possidet, odit.
Quem * tribus absentem totius curia regni
Censuit edictis in ius debere citari.
Nec minùs Apuliæ Calabrisq; ex finibus alti
Sanguinis hîc aderant proceres: quos ille locorum
*Inuasor patrijs migrare Rogerius oris
Iusserat, & tota profugos regione fugârat:
Multaq; flebiliter crudelia facta tyranni
* Dequesti, patria sese tellure fugatos,
Proscriptosq; bonis, indignaq; plurima passos,

Morte,

Morte, vel exilio, vel longo carceris vſu
Damnatos, miſeras gemitu rumpente querelas,
Addiderant, rebusq; ſuis à principe noſtro
Auxilium, & regni vindictam iure petebant.
Mota manus procerum, Regemq; fideliter omnes
Tam manifeſta rogant, totius ſcandala regni
Vindicet, & tantam iuris, morumq; ruinam.*
Accipit hæc lætus Princeps, gaudetq; rogari,
Materiamq; nouæ ſectandæ laudis habere,
Signaq; trans Alpes poſt prima biennia ferre
Regia, communi procerum iuramine ſancit:
Vt ſimul Imperij ſacra de ſede coronam
Sumat, & iniuſti ſera corrigat acta Rogeri.
Hunc, vt fama, virum, pariter cum fratre Roberto,
Cui propter ſenſus agiles, animiq; vigorem
Cognomen Guiſcardus erat, Normannia quondam*
Ediderat: mediarerum ſeu ſtirpis agentes
Fortuna, ſed mente ſuis & pectore longè
Præſtantes, validosq; manu, formaq; venuſtos,
Laudis amatores, magnarum ſeminarerum
Quærentes, cupidosq; ſuis noteſcere factis,
Quiq; magis ſeſe claro de ſanguine regum,
Quàm de priuata Gallorum gente docerent.
Hi dum ſub teneris, & adhuc creſcentibus annis,
Neſcio quid valido tractarent pectore pulchrum,*
Ipſa nimirùm fortuna voce latenti
Exhortante viros, & blanda maxima quædam*
Promittente manu, iam ſpe ventura trahentes
„ *Omne ſolum forti patriam* cuiq; eſſe putârant,*
Auſi ſunt tota, ſpretis natalibus agris,
Demigrare domo, nomen, gentemq;, domumq;
Optantes peperiſſe ſibi: nec Gallica tantùm
Rura, ſed abruptas excelſis rupibus Alpes

Festino transire gradu: tandemq; per vrbes
Italiæ, Latiasq; domos, quasi debita rura,
Apuliam, Calabrosq; viri petiére penates.
*Regia sic volucris, primas vt crescere plumas
Artubus, & teneros durescere senserit vngues,
Naturæ sectatur iter: iamiamq; parentum
Officio contemnit ali, nidoq; relicto
Egreditur, paruoq; pudet latuisse cubili:
Mox confisa sibi securo tuta volatu,
Aut leporem venatur agris, aut æthere cygnum
Corripit, & propios in acuta rupe penates
Ædificat, similesq; sibi parat edere fœtus.
Illa quidem tellus nullius muneris expers,
Fœtibus arboreis vberrima, vitibus, agris,
Vrbibus, & castris, omniq; decore nitebat:
Sed *vulgus stolidum, prauum, rude, futile, vanum,
Moribus incultum, fragili malè corpore firmum
Ocia longa sequi solitum, fugiensq; laboris,
Mente manuq; pigrum, nec pacis, nec vtile bello.
Ergo viri, mores hominum, cultusq; locorum,
Ingeniumq; suum, sollerti pectoris æstu
Tractantes, semperq; viros ingentia fortes
Ausa decere rati, potiundi finibus illis
Spem rapiunt animo: missisq; fidelibus, omnes
Francigenas, quos aut humilis fortuna parentum,
Aut nouitatis amor, seu magna audacia mentis
Finibus è patrijs* ad præmia magna vocauit,
Adsciscunt, totamq; breui sub tempore terram
Virtus, arte, dolis, multoq; labore subactam,
Ciuibus expulsis,* iniusto iure tenebant.
Teq; sibi, patriæ laudis Robertus, & alti
Nominis hæredem dignum, Boamunde, reliquit.
Qui mox auspicijs tibi designata paternis,

Antio-

Antiochena manu cepisti mœnia victor
Fatalis, generiq; tuo seruanda dedisti.
Alter at * *æquiuocum sibi consimilemq; Rogerium*
Progenuit: * *patris qui nunquam degener actis,*
Marte suo Siculis adiecit plurima regnis:
Quin & belligeris Byzantion vsq; carinis
Vectus, inauratas in regia tecta sagittas
Ipse manu propria iuuenili fortiter arcu
Misit, & * *æternæ laudis monimenta reliquit.*
Hanc tamen historiæ seriem plerique relatu
Confundunt, variantq;, suo, solióq; decorem
Roberto, magni gaudent adscribere facti,
Cumq; Boamundo fortem genuisse Rogerium
Hunc perhibent, natosq; suis virtutibus ambos
Informasse patrem: nec solùm rebus in illis
Quas iam sors dederat, sed quas præsaga futuri
**Spondebant mens alta viro, magniq; paratus,*
Hæredes in spem magnam succedere iussos
Instituisse sibi, * *mandataq; fortia pulchræ*
Indolis extremo pueris in fine dedisse,
Et larga tribuisse manu, quæcunq; vel hostis,
Vel timidus, dignusq; minus possessor haberet.
Vnde Boamundo noster Solymarius illam
Externi iuris Lybiam Siculosq; penates,
Et claram Antiochi, quam nondum viderat, vrbem
Assignasse refert, * *famæ vulgata secutus.*
Rumor, an historicus sit certior ordo, requirat
Lector, & ambiguo scribenti grandia versu
Ignoscat vati: nondum satis illa propago,
Et Siculæ series nobis innotuit aulæ,
Ex qua præclaro generosam sanguine nuptam
Augustos tetigisse sinus, castumq; potentis
Regis iisse thorum lætatur maximus orbis.

Primum

Primum post istam vidit Vormacia sedem
Concilium procerum iussu concurrere Regis.
Huc ambo venére Duces: sed curia nec tunc
** Eualuit veterem procerum sopire querelam.*
*Tempore mox alio * rursum reuocata potentum*
Turba Ratisponam, studio tentauit inani,
Pace reformata, longam compescere litem.
Proximus inde fuit procerum concursus in vrbe
Spirensi, geminosq; Duces, multumq; diuq;
In placidos mores, solidamq; reducere pacem
Conati, longum frustra insumpsére laborem.
Hinc etiam Rector Manueli, principe quo tunc
Porphyrio genito, gaudebat Regia sedes,
Legatos properare iubens, de fœdere pacis,
*Communiq; bono, * regniq; vtriusq; salute*
Verba ferenda dedit, suadens ob facta Rogeri
Guilhelmo, qui iam defuncti sceptra parentis
Et raptas seruabat opes, indicere bellum:
Et quia nuper eum deprenso fœdere iuncti
Sanguinis, à prima secedere coniuge Papæ
Iusserat, & thalami viduatus sorte carebat,
Consortem dignam pariter regniq; thoriq;
Eiusdem de stirpe petens, quo firmiùs illum
Constringat validis in pacis fœdera nodis.
Tandem instante pio vehementer Saxone regi
Acrepetente suum penitùs sine fine Ducatum,
Quem castris adcire suis Rex ipse parabat,
*Goslariam proceres, & * partem litis vtramq;*
*Euocat. hîc * patruo caussam fugiente nepoti*
Reddidit euictum seruato iure Ducatum.

Libri primi finis

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI II.

Regia trans Alpes producit ſigna Secundus,
Cæſare Runcalijs poſito, ceu ſyderis ortu
Illuſtrata noui plebs Itala gaudet, & omnes
Suppreſſas dudum properant efferre querelas.
Laudaq; præcipuè, Cuma cum ſupplice, noxas
Incuſat Ligurum: quorum Rex fraude reperta
Nobile præſidium capit, euertitq;, Roſatum.
Vaſtat cæde reos, turres cum pontibus vrit,
Caſtra rapit Ligurum: Cairam ſubuertit, & Aſtum:
Obſidione graui Terdonæ mœnia cingit.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE GESTIS FRIDERICI I. Ænobar. Aug. Lib. II.

TErtius eximio regni felicis ab ortu (dis
Annus erat Friderice tui, caſtrisq; mouen-
Inſtabat præfixa dies: tunc rura reliquens
Saxoniæ, ſuperaſq; petens cũ milite multo
Ipſe ſui partes regni, qua Norica lambit
Rura Licus, placidis factus iam mollior vndis,
Non procul Auguſta conſedit Rector ab vrbe,
Proxima Brixnoram famoſi nominis vrbem,
Altera ſaxoſum tetigerunt caſtra Tridentum.
Inde per anfractus rigidos, anguſta locorum
*Saxoſis horrenda iugis, * fauceſq; malignas*
Carpit iter: tandem longo, magnoq; labore
Alpibus euictis, campos & plana iacentis
Aſpicit Auſoniæ, ſtagnoq; propinqua iacenti
In campis Verona tuis tentoria ponit.

Sed

Sed quia defectu miles cogente ciborum,
Dum rigidam duro transiret limite vallem
Et loca nec Cereri fœcunda, nec hospita Baccho,
Illicito raptu sacras spoliauerat ædes,
Antè profecturis quàm Rex procedere castris
Vellet, & humani tractare negocia regni,
Instituit placare Deum, regiq; superno
Seq; suosq; pijs humiles supponere votis.
Protinus ex omni collectos agmine nummos
Corrogat, atq; viris commissa fidelibus æra,
E quibus hic præsul, comes ille, probatus vterq;
Distribui iusta spoliatos sortè per omnes
Imperat, & licitæ compensat damna rapinæ.
Nobile Regis opus: quamuis penuria factum,
Vt quondam sancti Dauid, excusare valeret,
Non tamen hac in re caussas attendere, sed rem:
**Nec quid sit licitum perpendere, sed quid honestum.*
*Mentis quippe bonæ * proprium est, * agnoscere culpam*
Culpa vbi nulla subest. Tunc demum signa reuellens,
Runcaliam properat rapidis attingere castris.
Est locus Italiæ, modicum seiunctus ab vrbe,
Cui quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen,
Planus, & Eridani placido iunctissimus amni,
Effundit latos spacioso limite campos.
Hic quoties claram Regnator tendit ab vrbem,
Teutonus, Ausoniam sumpturus ritè coronam,
Ponere castra solet: ligno suspenditur altè
*Erecto clypeus: tunc præco regius * omnes*
Conuocat à dominis feudalia iura tenentes.
*Excubias regi prima celebrare * fideles*
Nocte, vetustorum debent ex more parentum.
** At quicunq; domi domino nolente relictus,*
*Defuerit, feudo priuari * Curia censet.*

Tunc

Tunc quoq; nonnulli censura vindice regni
Amisére diu tali possessa reatu.
Quin & Pontifices Halberstadensis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia iura
Amisére nota: personæ scilicet ipsæ,
Non tamen Ecclesiæ: neq; enim quod pastor iniquè
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.
*Nunc age, de terra memoratu plurima sacro
Digna relaturi, positum, sedemq; locorum,
Nominibusq; datis, populos, ritusq; vetustos
(Sicut ab antiquo vulgauit fama) canemus.
Hæc Appennini rigidis hinc rupibus, inde
Alpibus aërijs pressa, atq; coërcita tellus
Longa, sed angustam zonæ sortita figuram.
*Hinc sale Tyrrheno, Venetis hinc clauditur vndis.
Quippe noti rapidos æstus, Austriq; vapores
Appennine tui sibi temperat * obice montis.
At * rigidum Boream, gelidamq; timentibus Arctos
Præsidio veniunt obiectis rupibus Alpes:
Tyrrhenum zephyro, vagus Adria tunditur Euro.
Forsitan hos aliquis, velut vno corpore, montes
Iungit, & vt capiti duo brachia subijcit vni,
Vt Pyrenæum vero sit nomine totum,
Totius partes sint Appenninus, & Alpes.
Hæc tamen hinc aliquas inuasit opinio mentes:
Nam qua belligeris totiens * experta carinis
Ianua Tyrrheni pulsatur gurgitis æstu,
Cernuntur gemini sese contingere montes,
Ac velut expansis hinc inde fideliter vlnis
Amplecti gremio populos ac mœnia lato.
Magnus, & Hesperio non ignoratus in orbe,
Et multum debens antiquis vatibus vnda,
Hanc medio secat amne Padus, zonasq; minores

Ex vna facit esse duas, populosq; bipertit,
Quem geminis hinc inde fluens è partibus vnda
Ditat, & Adriacas opulentior influit vndas.
Hac vna tellure, triplex prouincia, ternos
*Scinditur in populos: * Venetus, Ligus, Æmiliusq;*
Incolit: à populo recipit prouincia nomen
Quælibet, & multas in se complectitur vrbes.
Hæc igitur dulci gaudens vligine tellus,
**Tam Cereris, Bacchiq; ferax, & mitis oliuæ*
Arboris, & pecorum, nullius frugis honorem
*Ignorat, nulloq; dolet se munere * tardam.*
Æmiliæ primam fama cognouimus vrbem,
Quæ velut ex aquila, cunctarum Rege volucrum,
Nomina clara trahens, Aquileia ritè vocatur.
Metropolim Ligurum dicunt, sedemq; supremam,
Quam Mediolanum Ligus incola nominat vrbem:
Siue quòd in media quadam tellure medulla
Omnibus ingenuis acerrima rebus abundat:
** Seu quòd ab inuento trahit ista vocabula porco,*
Lanea qui medio portabat vellera tergo.
At quam præcipio Venetus colit ordine sedem,
Nomine non alio quàm tellus ipsa vocatur:
*Vrbs opulenta * nimis, quamuis circumsonet illam*
Pontus, & Adriacis ingestus fluctibus agger,
Eliso modicam concesserit æquore sedem.
** Hanc vetus Italiam sermo vocat vlteriorem:*
Quòd media Tusci secluſa crepidine montis,
Longiùs à pulchra Romana colonia Roma
Distet, & Ausonij quidam sit terminus orbis.
Hæc autem magno quæ clauditur Appennino,
Etruscasq; domos, & claram continet vrbem,
Interior veteri consueuit more vocari.
Mox ea quæ Siculum protenditur vsq; profundum

Appuliam,

Appuliam, Calabrosq; sinus, Campanaq; rura
*Amplectens, seu * citerior, seu * Græcia maior*
Antè vocata fuit, mediam tamen huic quoq; multi
Connumerant, vnoq; duas sub nomine ponunt.
*Hanc olim bello, quem * Scandia miserat, hostis*
Barbarus, inuasit maribus qui Marte peremptis
Crinibus ad mentum torua sub casside pressis,
Cæruleaq; coma barbam simulante virilem,
Fœmineos armasse greges, clademq; virorum
Infirma supplesse manu, sic deniq; victor
Hæc loca fœmineo fertur tenuisse triumpho.
*Hac quoq; de caussa * signato nomine tellus*
**Dicitur à longis ea Longobardia barbis.*
Protinus indigenis paulatim sanguine mixto,
Barbara plebs, præter consuetum gentibus vsum
Transijt in sociam susceptо nomine gentem.
Gens astuta, sagax, prudens, industria, sollers,
Prouida consilio, legum iurisq; perita:
Corpore, mente valens, animo vigil, ore venusta,
Membrorum leuitate vigens, patiensq; laboris,
Prompta manu, sermone fluens, auidissima laudis,
Artibus, atq; operum studijs exculta nouorum,
Sobria, venturi metuens, sumptuq; modesta,
Inuigilans opibus, studiosè parta reseruans,
Exiguo contenta cibo, fulgentibus armis,
Et nitido corpus componere gaudet amictu,
Libertatis amans, pro qua nec tristia rerum
Damna, nec extremam solet exhorrescere mortem,
Nec Regis, dominiue iugo ceruice volenti
Subdita: Consulibus rerum committere summam
Gaudet, & hos triplici sumptos ex ordine (fastum*
Ne pariat diuturnus honor) mutare quotannis,
Viuere quemq; suæ subiectum legibus vrbis

Cogit,& externos ſub eodem iure potentes
Alligat:* vt terra vix inueniatur in illa,
Aut Comes,aut alius ciuili iure ſolutus.
Vtq; ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poßit,& * armorum patriam virtute tueri,
Quoſlibet ex humili vulgo(quod Gallia fœdum
Iudicat)accingi gladio concedit equeſtri.
Illa tamen legum prudens,& iuris amori
Dedita gens,facto leges * ac iura nefando
Infringit,maculatq; graui ſe ſponte reatu,
Dum quem præcipuo venerari debet amore,
Atque timere ſimul,nunquam niſi territa Regem
Suſcipit,& facili ſuſceptum fraude relinquit.
Hoc magis impoſito renuens ſe ſubdere Regi,
Quòd reuocare ſuos victrix Alemannia Reges
Sæpe ſolet: quippe hæc tanto præſentia regna
Diligit affectu,quanto tremit illa pauore.
Inde fit,vt gemino noceat gens improba damno,
Dum premit indigno Regem maleſida labore,
Et patitur meritas à iuſto Principe pœnas.
Sic ea * quem mitem contemnit,ſentit acerbum:
Ille ream punit,quam mallet habere fidelem.
*Omnibus Italiæ proceſſerat altiùs vna
Vrbs Ligurum,titulisq; potens,& nomine claro,
* Ardua,ſydereum pulſabat vertice cœlum.
Illa ferè paribus ſpacijs * Alpemq; Padumq;
Separat,hinc Adua,Ticino clauditur inde,
Qui de vicinis* orientes alpibus ambo,
Et famoſa Padi maioris ſtagna petentes,
Hanc,aliasq; duas,Cumam,Laudamq; capaci
Incluſére ſinu:ſed fortior illa duabus
Præualuit,victasq; graui ditione premebat.
*Vſq; adeò nocuit vicinos vrbibus eſſe

Maio-

Maiorum: siquidem multos vicinia læsit.
Nec tantùm populos, aliasq; potentior vrbes
*Presserat, immò etiam * rebus sublata secundis*
Et quasi prima suæ ducens momenta ruinæ,
Ausa fuit validas incessere Principis iras.
** Ergo vt tantorum notescat caussa malorum,*
Pauca super veteri regnorum iure reuoluam.
Ductus ab antiquo priscorum tempore Regum
Mos habet, vt quoties Regnator Teutonus Alpem
Transit, & Italicas inuisere destinat oras,
Qui repetant fisco fiscalia iura fideles
Per quascunque suos præmittere debeat vrbes:
At quæcunq; ream se perfida fecerit ausu
Sacrilego, Regiq; suo sua iura negarit,
Strata luat meritas fraudato Principe pœnas.
Inde fit, vt fractis deformiter horrida muris,
Nunc quoq; per totam videas loca plurima terram.
Hoc quoque per cunctas Regnator Teutonus vrbes
Non modò Teutonicas, sed & hîc & vbiq; iacentes
Ius habet: vt præsens quasi maximus omnia iudex,
** Claudere iura manu, cunctasq; recidere lites*
Debeat, atq; omnis iudex, omnisq; potestas,
*Atque Magistratus * ipso præsente quiescant.*
Hunc etiam Regi priscarum sanctio legum,
Longæuiq; vigor moris, profitetur honorem,
Vt cunctos fœtus, quos educat Itala tellus,
** (His modò, quæ poscit terræ cultura, retentis)*
Principis ad nutum fisco præstare colonus
Debeat, in regni sumptus & militis vsum.
Ergo vbi Runcaliæ paucis residente diebus
*Cæsare, fama loquax * post tristia nubila clarum*
Sidus, & vltorem violati iuris adesse
** Vrbibus & populis circumtulit: vndiq; multi*

Conueniunt, properantq; suas exponere cauſſas,
Factaq; multorum mœſtis efferre querelis
Impunita diu: quos longo tempore tutos
Fecerat, & ſcelerum cupidos abſentia Regis.
Sic cùm poſt tenebras, hibernaq; frigora noctis
Igneus Æthiopum montes tranſcendere Phœbus
Incipit, & nitidos terris oſtendere vultus:
Gaudet, & optati gratanter luminis ortum
Suſcipit, æquoreis afflicta carina procellis:
Quam neq; Luna priùs, nec cætera ſidera feſſam,
Inter nocturnas poterant ſeruare tenebras.
Spes nitido cum Sole redit, iam temperat arte
*Nauta ratem, clauumq; regit, iam tota reſedit
Seditio, pelagiq; fragor cum nocte quieuit.
Commemorare piget, magnisq; adſcribere rebus
Oppida, ſeu celſis caſtella mimantia pinnis,
Ob ſcelerum noxas, regniq; vltricis honorem,
Paucorum adſultu, faciliq; euerſa triumpho.
Inter propoſitas multasq; grauesq; querelas
Regia Lauda ſui, Cuma cum ſupplice, Regis
Implorabat opem, miſſisq; fidelibus ambæ
Conſulibus, patribusq; ſuis, crudelia facta
Deflebant querulis Ligurinæ vocibus vrbis,
Ærumnasq; ſuas, longæq; tyrannidis vſum
Facundo, mœſtoq; tamen ſermone gemebant,
Conſulibus Ligurum præſentibus, atq; paratis
Excuſare ſuam *phaleratis vocibus vrbem.
Sed quia per fines Ligurum loca ſumma petenti
Italiæ, reſtabat iter, differre querelam
Maluit inter eos modicum poſt tempus agendam,
Finibus in proprijs: veluti grauioris vtriq;
Conſilij, ſpacijq; ſimul maioris egentem.
Vtq; viæ gnaros, monſtratoresq; locorum

Detinuit

Detinuit Ligures: iamiamq; redire parantes,
Præuia ferre suis iussit vestigia castris.
Iamq; aderant iuuenes Regi peregrina ferentes
Munera lætanouo, quæ miserat alta triumpho
Ianua: nuper enim contritis hostibus vrbes
Barbaricas populata suis euerterat armis,
*Quæsieratq; sibi nomen memorabile * facti,*
Eximia magnam referens cum laude rapinam.
Miserat ergo suæ Regi noua munera prædæ
Barbaricas vestes, struthiones, atq; leones,
Psitacon humanis æquantem murmura verbis.
Tandem castra mouens, Ligurum Fridericus in oras
Tendit, & in medijs ponit tentoria campis.
Ast vbi signa viros præcedere Regia iussos,
Ductoresq; viæ per dura, per arida sese
Ducere, perq; locos steriles, & frugis egenos
Comperit, agnouitq; dolum: tunc feruidus ira
Exarsit, iussitq; suis excedere castris
Damnatos, vrbiq; suæ sine laude remisit.
Addidit huic alios iusto fortuna dolori
Irarum stimulos: namq; aspera frigora passus
Miles & hiberni contusus turbine cœli,
**Esurie, nimboq; simul vexatus egebat.*
Inde furor, feritasq; viris, iramq; furenti
Adijciunt, stimulosq; graues: accessit eodem,
Quòd quascunq; prius bello subuerterat vrbes
Vrbs eadem Ligurum, ne fortè resurgere vellent,
Vrgebat, victasq; graui terrore premebat,
Inq; sui sceleris consensum, flectere mentem
Principis inuicti (quid enim non impetrat auri
Gratia?) si posset, multa mercede parabat.
Inde locos steriles, ieiunaq; rura relinquens,
Haud procul à celsa Rex inuictissimus vrbe

Regia fœcundis posuit tentoria campis,
Attritasq; fame, duroq; labore cohortes,
Vberiore cibo, placidaq; quiete resouit.
Turribus, & valido longè spectabile muro,
Infida modicum distabat ab vrbe Rosatum,
Municipum secura domus, tutiq; receptus,
Si quid ab incursu tutum satis esse valeret
Teutonico, regniq; minas contemnere posset.
Hoc tunc quingentis in eadem sede relictis,
Hisq; bene instructis, victuq;, & fortibus armis
Munierant Ligures (sed quæ munimina regni
Auspicijs obstare queunt?) depulsus ab arce
Cogitur infidam sine sanguine miles in vrbem.
Nec mora, direptis quæcunque parauerat hostis
Ipse sibi, flamma munimina tota cremari
Rex iubet, & fractis euerti mœnibus arcem:
Nec minus è castris audax effusa iuuentus,
Ocyus ad muros, & portas vrbis adusque
Irruit: occurrunt hostes, validoq; tumultu
Prælia prima mouent, multos * arsura per annos,
Nec nisi post longos, indefessosq; labores,
Extremamq; loci tandem cessura ruinam.
Hîc præter captos, quos nec numerare valemus,
Nec libet, innumeri proprio rediére cruenti
Sanguine semineces: multi iacuére perempti.
Hoc stupefacta malo * plebes, cladisq; futuræ
Territa primitijs, iam nunc præsentia damnans,
Et ventura timens, * Girardi consulis ædes,
(Quippe hic præcipuus famosi criminis auctor
Et suasor fuerat) rapido fremebunda tumultu
Diruit: hoc iustam violati Principis iram
Sperabat placare modo: sed insania Princeps,
Et quasi vana ratus, stultæ ostenta insima plebis

Spre-

Spreuit, & his alias properans adiungere clades,
Extemplò rapidas Ticini tendit ad vndas.
Hic fluuius gelida venam sortitus ab Alpe,
Haud procul à pulchra cursu breuiore Papia,
Influit Eridanum: quam nomine gurgitis vrbem
Nonnulli vocitare solent: mediusq; locorum
Terminus, à Ligurum te parua Nouaria campis
Semouet. hîc geminos pontes, & pontibus ipsis
Addiderant Ligures valido munimine turres:
Vt quoties fines vastare Nouaria vellent,
Siue Papia tuos, tuto transcurrere possent
Ac remeare gradu: pontes Rex occupat ambos,
Traductisq; suis, munimina lignea, turres
Concremat, & ruptis distinguit pontibus amnem.
Protinus immani fastus tria Rector ab illis
Hostili fundata solo castella, potenter
Diruit, & miseros longa formidine ciues
*Soluit, & * ereptos victoribus eripit agros.*
Hanc etiam dudum gentili fraude rebellem,
Princeps Henricus penitùs subuerterat vrbem,
Tempore mox alio, satiata vindicis irâ,
*Iam dominis seruire suis edocta * vetustas*
Erexit fatis melioribus vsa ruinas:
Parua quidem, sed tuta nouo, speciosaq; muro,
Et circumducti lato satis aggere valli.
Huius ab antiquo comitatum in finibus vrbis
Solus ab angarijs Italorum penè solutus,
Præsidio Ligurum Guido Blandratensis habebat:
Qui veluti multas, sic hanc quoq;, viribus vsi,
Absorbere suis sperabant faucibus vrbem.
Postea Vercellum, Taurinaq; mœnia Princeps
Præterit: vtq; Padi qua plus accedit ad ortum,
Contigit oppositam traducto milite ripam,

Protinus ad pulchræ fines & rura Papiæ
Vertit iter, fidam gaudens inuisere terram.
Vrbs erat, antiquo quam nomine dixerat Astum
Vsus, habens proprijs in finibus oppida lata,
Ac populosa nimis, Cairam gens illa vocabat.
Hæc loca Ferrati Guilhelmus Marchio montis,
Debita iura sibi, dignumq; negare timorem
Publica Runcaliæ tractante negocia Rege,
Suppliciter conquestus erat, fastumq; superbæ
Gentis, & acta gemens immobilis improba vulgi,*
Contemptusq; suos: edictaq; regia sæpè
Paruipensa ferens, multumq;, diuq; loquendo
Mouerat ingenuas inuicti Principis iras.
Accedebat ad hoc, sociatum sanguine mixto
Inter virumq; genus: nam quæ sortita maritum
Hunc erat, hæc Regem gaudebat habere nepotem.*
Hos igitur populos, longo iam tempore læsa
Maiestate reos, toties, frustraq; citatos*
Legibus, inuicta iam tandem plectere pœna
Constituit, rapidoq; gradu petit oppida Princeps.
Territus hoste nouo, sed non correctus, in altos
Exierat populus trepida formidine colles:
Irruit: & gaudens exercitus, inuenit omni*
Oppida plena bono, spumanti nectare cellas,*
Horrea frumentis, oleo spirante lagenas.
Hic paucos egere dies, dum plurima saccis
Infundunt frumenta suis, vtresq;, cadosq;,
Ventrosasq; replent oleo, Bacchoq; lagenas.
Nec mora, direptis potioribus, oppida flammis
Tradunt, & validas euertunt funditùs arces.
Inde recedentes, non tantùm criminis huius
Terreno sub Rege ream, sed iure superno
Damnatam proprij contemptu præsulis Astum,

Hostili

Hoſtili terrore petunt: quæ ciue fugato,
Omni plena bono, victores vbere læto
Excepit, multisq; viris alimenta diebus
Vberiora dedit: tandem ſpoliata, rogisq;
Tradita, peruerſi ſceleris, geminiq; reatus
Pertulit immeritam ſedes innoxia pœnam.
Sed quia caſtrenſis crebris aſſuetа rapinis,
Rixari, ferroq; etiam pugnare iuuentus,
Duxerat in morem, prauæq; libidinis vſum:
Prouidus hunc tali miteſcere lege furorem
Rex iubet: vt ſi quis caſtrorum ex agmine quenquam
Pulſet, & iniuſtis ſocium ferus appetat armis,
Aut caput, aut dextram tali pro crimine lictor
Amputet, & facinus ſeriat capitale ſecuris.
Haud mora, Terdonam (Ligurum quæ fœdere prauo
Conſilijs adhibebat opem, ſceleriq; nefando,
Quàm Regi veſana ſuo præſtare fauorem
Maluerat, nec adhuc toties reuocata redibat)
Conſtituunt raptis petere, atq; euertere ſignis.
Hæc etenim fidam regnis inimica Papiam,
Plus quoq; quàm Ligures, crebrò graſſata premebat.
Nam licèt vrbs Ligurum ſpacio breuiore locorum
Diſſideat, medius Ticini gurges vtramq;
Separat, & geminos interſecat vnda tumultus.
At qua turrigeram ſpectat Terdona Papiam,
Omnia plana iacent: non hîc mons, ſylua, vel amnis
Qui queat alternos medius cohibere furores.
Proxima magnifici vidit tentoria Regis
Marchia, vulgari quæ nomine Buſca vocatur.
Inde Palatini gaudentem iuris honore,
Vnanimumq; ſibi Chunradum nomine fratrem,
Signiferumq; ſuum, quem Norica miſit Othonem
Terra, virum magnis ſpectatum ſæpè periclis,

Allobrogumq́ Ducem, cuius ſub iure fatigat
*Lenis Arar Placidas * Rodano quas commodat vndas,*
*(Huic nomen * Bertholdus erat:) cum milite multo*
Præcurſare iubet, dictæq́ ſagaciter vrbis
Explorare ſitum, quid agat, quid cogitet hoſtis,
Seq́ ſecuturum caſtrorum robore toto,
Subſidioq́ viris venturum ſpondet: at illi
*Præcelerant, vrbemq́ petunt: * Taneramq́ rapacem*
Tranſgreſſi, muros & portas vrbis aduſq́
Diſcurrunt, oculisq́ notant, & mente ſagaci
Naturam ſedemq́ loci, penſantq́ laborem,
Signaq́ diſpoſitis exſpectant regia caſtris.
Tertia lux aderat, totis cum viribus ecce
Bellator Fridericus adeſt, tentoria ripa
Vlteriore locat: ne protinus agmina iungi
Poſſent, auctus aquis pluuialibus obſtitit amnis.
Aſt vbi detumuit fluuius, poſitoq́ furore
Cœpit habere vadum, nec dum reſidentibus vndis,
*Protinus euectu * validorum miles equorum,*
Non tam flumineas tranſit, quàm tranſnatat vndas,
Cunctaq́ conſidunt ſociatis agmina caſtris.
Montis in abrupti ſcopuloſo vertice ſedes
Arcis erat, teretiq́ tumens excreuerat vmbo
Saxeus ille iugo, monti vicinus vtriq́,
Qua ſibi confines ſunt Appennimus, & Alpes.
Nec ſolùm Terdona tuos locus ille penates,
Sed velut è ſpecula Ligures, & plana Papiæ,
Atq́ alias Italis poſitas in finibus vrbes,
Ceu capiti ſubiecta ſuo, proſpectat ab alto
*Membra, nec obſiſtunt vllæ * ſectantibus vmbræ.*
Hic præter validas turres, quibus vndiq́ ſedes
Tuta videbatur, rubeo nitidiſſima muro,
Proſaxo laterem celeberrima turris habebat.

Hanc

Hosted by Google

Hanc ibi Tarquinum quondam fundasse Superbum*
Rumor erat: nomenq; loco retinente Superba
Illa vocabatur longo iam tempore turris,
Huic subiecta iugo, valido firmissima muro,
Turribus, & celsis consurgunt mœnia pinnis,
Exornantq; suam tectis sublimibus vrbem.
Hanc secat exiguus saliens è monte propinquo,
Sed faciles iras modico sumpturus ab imbre
Gurges, & in geminas seiungit mœnia partes.
Prima dies magnis momenta potentia cœptis
Addidit, & dubijs depressit pondera fati.
Ipsa namq; die primo expugnata labore,
Hostibus afflictis, cessére suburbia nostris,
Et sese tutam populus reuocauit in arcem
Densior, angustam muniret vt vndiq; sedem.
Hîc præter ciues & signa domestica, multi
Intererant Ligures, paucis quos antè diebus
Vrbs Ligurum, tantæ communis caussa ruinæ,
Vana laboranti solatia miserat vrbi.
Præterea multis stipatus Opicius armis,
Addiderat socium rebus se sponte supremis
Marchio: quem propter mores, ni fallor, acerbos,
Spinam fama malam vero satis ore vocabat,
Quòd contra mores, & legum scita, rebellis.
„ *Nam quid in humanis reperitur acerbius actis,*
„ *Sæuitia stimulare pium, & compungere Regem?*
Viribus his, validoq; loci munimine freti
Infausti ciues, nec mœnia dedere, nec se
Post mala tanta suo dignantur subdere Regi:
Perstat in incepto stolidus furor, imq; ruinam
Tendit, & ad certam properat gens perdita cladem,
Tunc verò vt iustam sese collegit in iram
Regia nobilitas, & tandem sæua coactus

Venit

Venit in arma furor, non iam seruare laborat
Ingratos, veniamúe vltrà spernentibus offert:
Iam toties reuocasse pudet, monituq; salubri
Inuitasse reos ad dulcia fœdera ciues.
**Vt leo qui dudum placido mansueuerat vsu,*
**Exueratq; feros longo iam tempore mores,*
**Si quis cum iaculis, vel nudo cominus ense*
**Prædítus, irritet generosi pectoris iram,*
Dissimulat, reprimitq; diu, spernitq; minori
Tingere cæde genas, & vili sanguine pasci:
At si perstiterit damnatus, & improbus hostis,
*Addiderit q; minas, * tunc se stimulante flagello*
Incitat, ac miserum violento pectoris ictu
Inuolat, & laceros frangit crudeliter artus.
Sic suppressa diu generosi Principis ira
Exarsit, rapuitq; nouum mens alta furorem:
Vtq; satis certo plebs nouerit improba signo
Quam sperare suis mercedem debeat ausis,
Protinus ante fores miserorum certa reorum
Attolli tormenta, cruces, cernentibus ipsis,
Imperat: ac ne quis sese subducere cladi
Cautus, & elapsu trepido discedere possit,
Vndique concluſos Princeps hoc ordine cingit,
Qua zephyrus clausam geminis prohibentibus arcem
Montibus, à tergo lasso spiramine tangit,
Regia signa nitent, & clausis hostibus omnes
**Aggressus, aditusq; negant: qua pinniger Austros*
Excipit, atque Notis obsibilat Appenninus,
Saxonas indomitos, & Norica castra superbus
Asperat Henricus, perituraq; mœnia terret.
At qua plana iacent, & liber transitus Euro
Accessusq; patet, popularia signa, suasq;
Pulchra Papia locat numeroso milite vires.

Pro-

Protinus ingenti muralia pondere Princeps
Attolli tormenta iubet, quæ grandia saxa
Incutiant validis agitato verbere muris.
Quæque superueniens hostiles machina turres
*Dessiciat, missis & desuper * implicet hastis,*
Quæ leuibus subiecta rotis, aut fraude latenti
Suffodiat validos, aut pulset turbine muros.
Tunc iaculis stridunt auræ, leuibusq; sagittis
Sibilat excussum balistæ turbine telum,
** Fundaq; fatifero tenerum secat aëra plumbo:*
Nec minùs infausti summis è turribus hostes
Grandia saxa rotant, ferrum iaculantur, & ignes,
*Adijciuntq; animos, seq; * exhortantur in arma.*
Vrget quippe metus, faciuntq; pericula fortes,
Sæpe etiam proprijs confisi viribus, vltrò
Prosiliunt, turbantq; viros, celeriq; relapsu
Euadunt, iterumq; suam referuntur in arcem.
Non impunè quidem: nam præter multa suorum
Funera, quæ mœsta clàm seruabantur in arce,
Multi dum refugo repetunt pede mœnia, capti
** Appensiq; cruci, miseranda sorte peribant.*
Nec reticere libet triste ac memorabile quiddam,
Ignotumq; priùs: rapido nam turbine saxum
Inflictum muris, violento frangitur ictu,
Tresq; sui partes faciens, tria corpora sæuo
Dat iuuenum leto, dum starent agmine denso,
Et media summis agerent de rebus in arce.
At Rex eximius, tandem pietate remota,
Adiectisq; minis, socios hortatur, & addit
*Ipse suis animos: * oppugnat, & adsilit hostes.*
Sæpe leui iaculo validam celeriq; sagitta
*Excitat ipse manum, tormentaq; bellica * præsens*
Instruit, & certos in mœnia dirigit ictus,

Et nihil infectum, fieri quod poſtulat vſus,
Neglectumué ſinit: multumq; & vbiq; iubendo,
Pugnandoq; manu, perfecti militis vſum,*
Officiumq; ſimul diſcreti Principis implet.
Fons erat ex illa qua mœnia parte Papiam
Reſpiciunt, vnus turbæ caſtrenſis in vſum
Sufficiens, dum liber erat; nunc æmulus hoſtis
Adſeruat latices, inimicaq; ſigna Papiæ
Infauſtos proprijs arcent à fontibus hoſtes.
Vnde fit, vt duros pugnandi ferre labores
Iugiter, & rigidis verſari ſemper in armis
Cogat eos ſitiens, & ob hoc animoſa iuuentus,
*Fundere dum proprium vetito pro fonte * cruorem*
Sanguinis, & fluuio permixtas ſumere lymphas
Non timet, atque animos eadem, quæ corpora frangit,
» *Auget acerba ſitis: * nulla eſt audacia maior,*
» *Quàm cui materiem naturæ præbet egeſtas,*
» *Vt ſitis atq; fames: ſitiens mala nulla timere,*
» *Eſurienſué poteſt: miſeræ violentia peſtis*
» *Cogit abeſſe metum: dum plus præſentia torquent,*
» *Quàm ventura mouent: vidit diſcrimina ſumma,*
Et totum Princeps hac vergere parte laborem.
Præſidioq; viris Ferrati Marchio montis
Additur: vt ſocios iuncto diſcrimine caſus
Excipiat, ſeruetq; lacus, & terreat hoſtes.
Præterea ſordes, & quæque nocentia fonti
Inijciunt, puraſq; ipſis cernentibus vndas
Morticinis, turpiq; audent corrumpere tabo:
Et delibutas immergunt ſulfure tædas:
Vt ſapor ingenuus, guſtu violetur amaro.
Nec minus has cupidè ſitiens, & egena liquoris
*Appetit, & * certa pugnat pro morte iuuentus,*
Permutans olidas effuſo ſanguine lymphas.

Nam

Nam qui per mediam manabat riuulus vrbem,
Moleruinarum,saxis,& puluere multo
Hostibus exiguas vltrò turbantibus vndas,*
Gurgite limoso sordens ac putridus ibat.
Nec mihi cuiusdam virtus reticenda videtur,
Seu magis incautæ præceps vesania mentis.
Strator erat,de plebe quidem,neque nomine multùm
Vulgato,modica in castris mercede merebat.
Hic velut iratus bello,longasq; perosus,
Indignansq; moras,& ob hoc crudelior hosti,
Dum grauis adsultus,solitoq; ferocior arcem
Vrget,& hinc illinc hybernæ grandinis instar
Saxa,faces,& tela volant,neq; casside clausus
Tempora,nec chalybum munitus pectora textu,
Vix gladio,clypeoq; leui protectus,in altum
Nititur adscensu collem,quo regia turris
Tarquini fundata nitet,paruaq; securi,
(Quam genus hoc hominum seruiles gestat in vsus,
Subnexam sellæ,)vestigia cædit in alta,
Rupe sibi,socijs reuocantibus,hostibus autem
Attonitis,& stulta viri mirantibus ausa.
Non illum lapides,non illum ferreus imber*
Telorum : non quæ violento turbine turrim
Saxa petunt,reuocare valent:interq; suorum
Clamorem,hostilesq; minas,euadit ad arcem.
Protinus armato cuidam congressus inermis,
Fortior ad terram scopulo deturbat ab alto
Præcipitem,versoq; gradu vestigia victor
Fortuna comitante refert,& corpore toto
Integer,ad socios & regia signa reuersus,
*Se pariter castris & * tuta mente recepit,*
Mirans ipse suum reuocato pectore factum.
Cui Rex ob facinus præclarum,præmia laudis

Digna referre volens, titulos, & nomen equestre,
Armaq; cornipedesq; feros, cultusq; nitentes
Largiturus erat: puduit consurgere tantum*
Plebeium, generisq; sui transcendere fines,
Et sub fortuna potiùs remanere priori
Credidit, acceptis largis à Principe donis.

At Rex ignauo cœptum procedere tractu,
Ægra mente ferens, (properabat quippe coronam,
Atque monarchiam totius sumere mundi,*
Omnia quæ lentum valeant impellere bellum
Et tardas celerare moras, sub corde sagaci
Ventilat. ingenuo videt vndique mœnia firma
Robore, natiuoq; loci munimine tuta.
Vna parte tamen, stabat qua regia turris,
Quod natura minus dederat, suppleſſe labore,
Artificumq; manu: tandem memorabile quiddam,
Egregium dictu, sed non satis vtile, menti
Incidit: vt solidæ fodiendo viscera terræ,*
Ima cauans, ductis ad fundamenta cauernis,
Ipsam inclinato turrim subuertere muro
Apparet, & subito referet sibi mœnia lapsu.
Hanc regis curam versutus præuenit hostis,
Atque artem sollers opponere cogitat arti.

Ergo vbi visceribus sese telluris opacæ
Regius immersit secreto limite fossor,
** Protinus occurrens patulæ scrobis hostis hiatu*
Deprensos tellure viros, redituq; negato
Attonitos, medio suffocat in aggere fossæ.
Sic miseros proprium sibimet fodisse sepulchrum
Pœnituit, clausoq; cauo telluris hiatu
Vlterior cœlo non reddidit atra vorago.
Nec minus iratos alio quoque crimine vultus,

For-

Fortuitos omnes ſolito contemnere caſus,
Auſa fuit fortuna procax oſtendere Regi.
Haud procul eiuſdem diſtans à finibus vrbis
Fulgebat Ligurum longè ſpectabile caſtrum,
Hoc expugnandi dudum Fridericus amorem
Pectore conceptum perducere tentat in actum.
Protinus in caſtris ſcalas, & cætera per quæ
Hoſtibus ignaris conſcendi mœnia poſſunt,
Extruit, hæc in ſe fabricata putantibus illis
Oppida qui ſeruant, atque admirantibus vſum:
Haud mora, delectos ex ordine Rector equeſtri
Ductori Allobrogum, præſtanti corpore ſortes,
Atq; Palatino iuuenes committit Othoni:
Atque illuc iubet ire viros, quo tempore, luci
Extremæ gelidas miſcet nox prima tenebras,
*Paret, & ad tutam * miles duce fretus vtroque*
Tendit iter ſedem: cunctiſq; ſopore ſolutis,
** Ablatis furtim ſcalis, faſtigia muri*
Summa petunt: ac ni temerè clamore coörto,
Indicium facti iuuenes properantius æquo
Feciſſent, erepta breui caſtrenſibus hora
*Et * pulchro ſublata dolo caſtella fuiſſent.*
Armorum ſtrepitu, & ſubito clamore citatum
Proſilit è ſtratis vulgus caſtrenſe, fugamq;
Arripit: at poſtquam trepidis audacia maior
Affuit, & ſumptis virtus incanduit armis,
Bella mouent, hoſtemq; ſuis iam penè potitum
*Mœnibus, excutiunt * capto muroq; repellunt.*

Libri ſecundi finis.

Hosted by Google

ARGVMENTVM LIBRI III.

Tertius obsessam tradit victoribus vrbem.
Ciuibus expulsis vastantur mœnia flammis.
Victori meritos deuota Papia triumphos
Exhibet: hinc Tuscas tendit Fridericus in oras.
Munera portantes Pisanos laudat, eisq́;
Imperat in Siculum validas armare carinas.
Occurrit Præsul Romanus: & impia plebis
Acta suæ queritur, perijtq́; procax Arenoldus.
Vrbem ingressuro patriæ mandata diserti
Inuidiosa ferunt, responsaq́; dura reportant.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE GESTIS FRIDERICI I. Ænobar. Aug. Lib. III.

Iamq́; dies aderat, qua Christus mystica Cœnæ
Discipulis statuens conuiuia, corporis esu
Ipse sui, potuq́; sacri satiare cruoris,
Post agni carnes priscæ libamina legis
Nos voluit, veram panis, laticisq́; figuram
*Prætendens oculis, sed * certè pabula vitæ*
Sensibus infundens, cùm iam cessante vetusti
More sacri, noua iura nouus statuisse sacerdos
*Creditur * altaris, quæ tradita primitùs vno,*
Ac susceptа modo, tenet Ecclesiasticus ordo.
Hunc, & tres alios spacio propiore sequentes,
Temporis ob sacri Princeps generosus honorem,
Constituit celebrare manu deuotus inermi.
Hac quoq; præterita, iamq́; orta luce sequenti
Qua Deus in ligno vera sub carne pependit,

Ecce

Ecce profugata, miserabile vulgus, ab arce,
Clerus, & informis Monachorum turba, solutis
Mœnibus, ad placidi properant tentoria Regis,
Exhausti macie, ieiunia longa ferendo,
Esuriem faciente siti, squallentia sacris
Vestibus ora tegunt, * nudo vestigia gressu
Figentes: * tunc signa crucis, capsasq; priorum
Custodes cinerum, prælato thure vaporant.
Quos vbi pacificè venientes agmine denso
Vidit, in occursum Princeps reuerendus eorum
Prudentes iubet ire viros, & quærere caussas.
Quid veniant? quidue illa velit nouitatis imago?
Protinus ex illis pallenti squallidus ore
Voce satis mœsta, fortunæ verba coaptans,
Facundo sermone tamen, sic incipit vnus:
Mens erat, inuicti pedibus procumbere Regis,
Et quos immeriti patimur, deflere labores:
Quem quia nunc misera prohibemur adire repulsa,
Vos saltem nostras illi deferte querelas.
Quid luimus miseri? quid dignum fecimus ira
Rex inuicte tua? quæ tantum caussa furorem
Mouit, vt imbellem, solitumq; fideliter hymnos
Pro populo Christi, pro te quoq; sæpiùs ipso,
Si credis, resonare Deo, cum plebe nocenti
Perdere coneris tanto molimine clerum?
Quod scelus hic nostrum? nisi si scelus esse putetur,
In medio populi sedem posuisse nocentis.
Nos neq; consilijs immania cœpta, nec acta (fortè actis
Iuuimus; inuitis fiunt hæc omnia nobis.
Illi ciuiles caussas, & pondera rerum
Inter se tractare solent: nos vulgus inerme,
Nos abiecta manus, nullis adhibemur eorum
Consilijs, tantùm studijs nocturna diurnis

Iunginius, aßiduos ſoliti depromere pſalmos,
Et precibus pulſare Deum. ſed bella nec illos*
Exercere ſinunt in tantis cladibus vſus.
Vndiq; concutimur bello, lapidumq; rotatu
Templa flagellantur, ſacris altaribus aſtans
Confixus telis expirat morte ſacerdos.
** Ergo pius pariter pereunte peribit iniquo,*
Nec vixiſſe piè ſub iudice proderit æquo?
** Si ſcelerum vindex, conſolatorq; piorum*
Veniſti? ſi iura tuis, legesq; reformas
Gentibus, inq; ſuum ſatagis reuocare vigorem,
** Parce bonis, & perde malos, propone quibusque*
Iuſtitiam meritis, compenſans præmia cauſſis.
Quanquam (ſi veris liceat modò vocibus vti,
Pace tua, Princeps) penſato pondere rerum
Non tam formoſæ rea ſit Terdona Papiæ,
Quàm rea Terdonæ formoſa Papia tibiq;.
Nam præter reliquas, quas aut ſeruire coactas
Subdidit, aut captas euertit funditùs vrbes,
Aſpice quàm turpi Lunelli nobile caſtrum,
Atque Palatini ſedem fidosq; penates
** Verterat illa dolo: Comitem, cuesq; vocabat*
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo,
Incautosq; viros, & nil hoſtile timentes,
Fraude mala captos, in vincula dura coëgit.
Ipſaq; non armis, nec belli iure, ſed aſtu,
Vel potiùs ſubuerſa dolo, caſtella reliquit.
Et nunc ille Comes concors, & regius aulæ
Ille potens Princeps, ſub quo Romana ſecuris
*Italiæ punire reos * de more vetuſto*
*Debuit, * iniuſtæ victrici cogitur vrbi,*
Vt modicus ſeruire cliens, nulloq; relicto
Iure ſibi, dominæ metuit mandata ſuperbæ.

Hæc

Hæc ferit as, vrbi Ligurum, quæ ſola Papiam
Non timet, infauſto, Princeps nos fœdere iunxit:
Non odio regni, non ſeditione rebelli,
Immò (vt vera loquar) non ipſius vrbis amore
Hanc ſequimur; ſed ne nos ore Papia voraci
Abſorbere queat, quæ cunctas deuorat vrbes:
Et tamen * in tantis ſcelerum prouentibus, illa
Gaudet, & ecce tui felix habet omen amoris.
Sed nihil hæc ad nos; ad te iuſtiſſime Princeps
Attinet, Italicos iamdudum inquirere mores,
* Vlciſci ſcelerum noxas, punire nocentes,
Oppreſſos releuare manu, frenare ſuperbos.
Nos proprios tantùm contenti fiere labores,
Oramus, iam parce pijs, hominesq; memento
Fœdere naturæ, Fideiq; charactere iunctos.
Aſpice tabifico languentia corpora morbo,
Aſpice deformes vultus, atque arida longa
Ora ſiti. vix hæc fauces in verba ſolutæ
Vocis iter præſtare valent, quos tempore longo
Sulphureus torret potiùs quàm temperat humor.
Corruptos ſanie latices, infectaq; tabo
Pocula, vix medijs ex hoſtibus enſe recepta
Sumimus: obducto dureſcunt viſcera cœno,
* Arctantur fauces, inſano feruidus æſtu
Pectoris alternos anguſtat pulmo meatus:
Nec peſtem releuare cibo, vel languida victu
Membra ſouere libet: miſero ſolatia morbo
Iußimus eſſe famem: * ſic peſtem peſte leuamus.
Heu miſeram, atq; omni grauiorem funere vitam,
* Viuere, nec gratas viuendi noſcere cauſſas!
* At tu per Fidei communia ſacra, per illum
Quem crucis in ligno potatum felle, piasq;
Expandiſſe manus, & ſacri fluminis imbre

Conſciſſum roraſſe latus, mortemq; ſubiſſe
Lux hodierna monet, Vir maxime, parce, nec vltrà
Innocuos affligе pius: ſine, morte relicta,
(Mortis enim ſpecies)* aliâs quocunq; iubebis
Omnibus ereptis, inopem traducere vitam:
Néue velis iterum miſeris nos reddere clauſtris.
Olim grata domus, nunc carcere triſtior omni
Ille locus, ſtygioq; magis metuendus auerno.
Dixit, & erectis omneis ad ſidera palmis
Principis abſentes ſeriunt vlulatibus aures:
Qui tamen occulta tractus pietate, * laborem
Diſſimulans animi, documentaq; magna, ſuiq;
*Exemplum ſancire volens, ad tuta redire
Imperat, & clauſam miſeros compellit in arcem.
Non ſecùs irati ſententia fine ſupremo
Iudicis, æternum maledictos tradet in ignem,
Supplicijſq; datos exerta puniet ira,
Qui totiens moniti, totiens ſpreuére monentem.
Sic miſeri ciues ad mœnia clauſa gementes,
Ac velut in certam queruli rediére gehennam.
* Tandem ſpe poſita, iam deſperare coactus,
Ac velut in certæ concluſus carcere mortis,
Ingentes animos ex ipſis cladibus hoſtis
Colligit: ac medio conceſſæ tempore pacis,
Extruitur miræ Balearica machina molis,
Quæ valido longum tranſuerberet aëra iactu.
Ergo vbi diuino conceſſum tempus honori
Præterijt, rurſum iaculis, lapidumq; rotatu,
Et teli quocunq; modo tentantur: & inde
Illa grauis moles ingenti pondere fulta
Erigitur, celſasq; ſuperuenit altior arces,
Saxaq; magna rotans, noſtros abſiſtere longè
Cogit, & ipſius tormenti robora frangit,

Quod

Quod magis obsessos affligere sueuerat hostes.
Addidit hoc animos hosti, quantumq; doloris
Accessit nostris, tantum ferus ille superbit.
Respirant vtrinq; minæ, paulumq; remissa
Pugnandi serie, renouato robore rursum
Fit fragor: & valido quassantur mœnia bello.
Nec minùs obsessi, quantum timor, iraq; præceps
Suggerit, accelerant, ferrum iaculantur, & ignem,
Saxaq; terrifico vibrant excussa flagello.
Nec dubitant ipsos in prælia frangere muros,
Seq; ipsos hosti, si desint tela, minantur.
Tandem post multos bellorum hinc inde labores,
Et miseræ cladem numerosaq; funera plebis,
Expugnata magis, quàm* reddita mœnia nostris
Cesserunt, tantumq; reis pro munere summo,
(Id quoq; vix Procerum precibus, multoq; rogatu)
Est concessa salus; * in sortem cætera prædæ
Omnibus, & longi precium venére laboris:
Ipsaq; disiectis hostiliter vndiq; muris
Mœnia, puluerea pessum sedere ruina,
Quis referat miseræ squalorem plebis, & ægro
Tabida membra situ, detestandumq; colorem?
Cùm velut è tumulo permissu Regis ab arce,
Non homo, sed pallens hominis prodiret imago.
Tunc licuit miseris, quàm sit miserabile longa
Obsidione premi, proprio perpendere casu.
Inde profecturum Ticini læta iuuentus,
Ad sua victorem diuertere mœnia Regem
Flagitat, insignes antiquo more triumphos
Exhibitura Duci. Non est in finibus, inquit,
Italiæ tanto locus aptior vllus honori,
Quémue tuo cupias magis illustrare triumpho,
Quàm quæ fida tibi per læta, per aspera quæq;

Extitit, & nullo defecit tempore ſedes.
Adde, quòd iſte tuus noſtros procedit in vſus
Sudor, & iſtatuæ geſſiſti bella Papiæ.
Hoſtilem noſtrisq; malis inhiare paratam,
Hoſtibus & ſæuis adſtricto fœdere iunctam,
(Quid referemus ad hæc?) vertiſti funditùs vrbem.
Non ſumus ingrati: liceat modò ſoluere grates,
Ingreſſuq; ſui Regis gaudere Papiam.
Paret: & exhibitum non aſpernatus honorem,
Mœnia victor adit: non eſt tractabile ſenſu.
Eloquioue meo, quæ gaudia, quantus ab vrbe
Occurſus populi: quo ſcilicet ordine caſtus
Antiſtes, lætusq; ſuo cum præſule clerus
Veſtibus ornati nitidis, precioſa ferentes
Signa crucis, textusq; ſacros, thuriſue vaporem
Prodierint: vt purpureo velamine paſſim
Belligeros inſtratus equos fulgentia latè
Signa ferens, phaleratus eques fremebunda lupatis
Ora terat, cogatq; leues ſubſiſtere curſus:
Vtue nurus, matresq; ſimul, mitesq; puellæ,
Candida ſidonio velatæ corpora textu,
Geſtantes nitido baccata monilia collo,
Fluuaq; gemmatis incinctæ tempora ciclis,
Vrbis vtrumq; latus denſa ſtatione tenentes,
Vocibus æclament fauſtis, dominumq; ſalutent:
Vt domus aulæis latè pendentibus omnis,
Et picturatis conſtrata platea tapetis,
Rebus odoriferis, & pingui thure vaporet:
** Vt tuba terribili ſpiramine, tibia leni,*
Cornua ventoſo ſtrepitu, caua tympana rauco,
Seu lyra percuſſis dulci modulamine neruis
Murmure mirantes placido demulceat aures:
Vt pueri, populusq; minor, venientibus vltrò

Exu-

Exuuias ſubſternat equis,* Pæanaq; lætum,
Ioq; triumphe canat. hæc omnia, pluraq; nobis,
Si modò ſuppeterent vires, memoranda ſuerunt;
Deficit ingenium: non hæc fiducia menti,
Vt penitùs meminiſſe velim, rerumq; nitorem
Voce ſequi vix hæc* ſtimulatus Apolline toto,
Vel Maro, vel magnus verbis æquaret Homerus.
*Quid volui demens, tantarum pondera rerum,
Agreſti* tentare ſono, tenuiq; Camœnæ?
Materiæ ſuccumbit opus: mihi paupere vena
Verba fluunt: magnumres exigit iſta Poëtam.
Comiter exceptum ſancti Michaëlis ad ædem,
Qua veterum fulgent antiqua palatia Regum,
Producunt: nitidumq; caput gemmante corona
Cingitur, & ſceptro decoratur dextera ſacro.
Hunc triduo Regi populus deuotus honorem
Exhibuit, largo cumulans noua gaudia ſumptu
Inde Placentinos fines, & rura Cremonæ,
Et Mutinæ tranſcurrit agros: atq; vrbe potitus,
Quæ quaſi plena bonis, eſt dicta Bononia, ſacri
Flaminis aduentum digno celebrauit honore.
Mox Appenninum ſcopuloſo limite tranſit,
Ingrediturq; tuos, bellatrix Tuſcia, fines.
Occurrére Duci Proceres, quos bellica Piſa
Miſerat, æquoreis celeberrima Piſa triumphis,
Piſa* peregrinis ſtatio benè nota carinis.
Hos iubet in Siculum* condicto tempore Regem
Cogere belligeras atq; emunire carinas.
Inde* caput mundi Romam petit, atq; Viterbum
Contigit, excelſa non longiùs Vrbe remotum,
Quàm quantum biduo tardus valet ire viator.
Sedis Apoſtolicæ Præſul, ſummuſq; Sacerdos
Tunc Adrianus erat: qui fama lætus eadem,

Hosted by Google

Protinus eximia cleri ſtipante corona
Occurrit, magnasq; Viro, triſtesq; querelas,
Multaq; facta ſuæ crudelia pertulit vrbis:
Contemni ſeſe referens, populiq; furentis
Iurgia, probra, minas, riſus, conuicia, rixas
Sæpè pati, clerumq; ſuum, ceu vindice nullo
Expoſitum probris, crebras perſerre rapinas,
Pulſari graſſante manu, ferroué laceſſi.
Sic pater inualidus, nato poſt longa reuerſo
Tempora, ſeu caſtris, ſeu de regione remota,
Quem penes & rerum ius eſt, & tota regendæ
Cura domus, noxas, & facta proterua ſuorum,
*Contemptusq; ſuos, & quos * abſente labores*
Pertulit, euerſamq; domum, numeroſaq; damna
Commemorat, multumq; minas vltoris acerbat.
** Cuius origo mali, tantæq; voraginis autor*
Extitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Peſtifero, tenui nutriuit Gallia ſumptu,
** Edocuitq; diu: tandem natalibus oris*
*Redditus, * aſſumpta ſapientis fronte, diſerto*
Fallebat ſermone rudes, clerumq; procaci
Inſectans odio, monachorum acerrimus hoſtis,
** Plebis adulator, gaudens popularibus auris,*
** Pontifices, ipſumq; graui corrodere lingua*
Audebat Papam, ſceleratq; dogmata vulgo
*Diffundens, * varijs implebat vocibus aures.*
**Nil proprium cleri, fundos, & prædia nullo*
Iure ſequi monachos, nulli fiſcalia iura
*Pontificum, nulli * curæ popularis honorem*
Abbatum ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantùm
Committenda viris popularibus, atq; regenda:
Illis primitias, & quæ deuotio plebis

Offerat,

Offerat,& decimas caſtos in corporis vſus,
Non ad luxuriam,ſiue oblectamina carnis
Concedens,molleſq́ cibos,cultuſq́ nitorem,
Illicitoſq́ iocos,laſciuaq́ gaudia cleri:
Pontificum faſtus,Abbatum deniq́ laxos
Damnabat penitùs mores,monachoſq́ ſuperbos:
Veraq́ multa quidem,niſi tempora noſtra fideles
*Reſpuerent monitus,*falſis admixta monebat.*
Et fateor,pulchram fallendi nouerat artem,
**Veris falſa probans: quia tantùm falſa loquendo*
Fallere nemo poteſt:veri ſub imagine falſum
Influit,& furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam Fidei,certumq́ tenorem,
Non ſatis exacta ſtolidus pietate ſouebat,
**Impia melliſluis admiſcens toxica verbis.*
Ille ſuam vecors, in clerum , Pontificemq́,
Atque alias plures adeò commouerat vrbes,
Vt iam ludibrio ſacer,extremoq́ pudori
Clerus haberetur: quod adhuc(ni fallor)in illa
Gente nocet,multumq́ ſacro detruncat honori.
Mox in concilio Romæ damnatus,ab illo
Præſule,qui numeros vetitum contingere noſtros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita,
Territus, & miſeræ confuſus imagine culpæ,
Fugit ab vrbe ſua,tranſalpiniſq́ receptus;
Qua ſibi vicinas Alemannia ſuſpicit Alpes,
Nomen ab alpino ducens,vt fama, Lemanno,
Nobile Turregum,doctoris nomine falſo,
Inſedit,totamq́ breui ſub tempore terram
Perfidus, impuri fœdauit dogmatis aura:*
Vnde venenato dudum corrupta ſapore,
*Et nimiùm falſi * doctrina vatis inhærens,*
*Seruat adhuc * vuæ guſtum gens illa paternæ.*

Aſt vbi de medio ſublato Præſule ſummo,
Eugenius ſacræ ſuſcepit iura cathedræ,
Ille Petri ſolidam cupiens conuellere petram,
**Vt caput infirmum per cætera membra dolorem*
Diffundit, Romana petit temerarius auſu
Mœnia ſacrilego, totamq; nefarius Vrbem
Inficit, impuri corruptam ſemine verbi:
Et populi tantas in clerum concitat iras,
Vt penitùs nullum ſummo deferret honorem
Pontifici, clerumq; odio vexaret iniquo.
Et ſi quis, cui mens æqui & reuerentior eſſet,
Et meliora pio flagrarent viſcera voto,
Fortè refragari, ſeu diſſuadere furorem
Auſus erat, ſeſeq; nouis opponere monſtris,
Omnibus ereptis, ſubuerſa ſunditùs æde,
Corporis afflictu, ſeu tandem ſanguine fuſo,
Clericus, aut etiam popularis, facta luebat.
Quinetiam titulos Vrbis renouare vetuſtos,
Patricios recreare viros, priſcosq; Quirites,
Nomine plebeio ſecernere nomen equeſtre,
Iura Tribunorum, ſanctum reparare Senatum,
*Et * ſenio feſſas, mutasq; reponere leges,*
Lapſa ruinoſis & adhuc pendentia muris
Reddere primæuo Capitolia priſca nitori,
Conſilijs, armisq; ſuæ moderamina ſummæ
Arbitrio tractare ſuo, nil iuris in hac re
Pontifici ſummo, modicum concedere Regi,
*Suadebat populo. ſic læſa ſtultus * vtraq;*
Maieſtate, reum geminæ ſe fecerat aulæ.
Vnde etiam tandem (neq; enim reor eſſe ſilendum,
*Nec de funeſto * repetatur poſtea ſermo)*
Iudicio cleri, noſtro ſub Principe victus,
Adpenſusq; cruci, flammaq; cremante ſolutus

In cineres, Tiberine, tuas est sparsus in vndas.
**Ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus, error,*
Martyris ossa nouo, cinerésue fouerat honore.
Iamq; Rauennatis defuncto Præsule sedis,
Hanc Rex Anshelmo, Græca de gente reuerso,
Contulit, emeriti ceu præmia grata laboris
Curia sæpè suos cathedræ transmittit alumnos:
Sic gemini Proceres, veluti duo maxima mundi
Lumina coniunctis aliquanto tempore castris,
Hinc pater, inde patris deuotus filius almi,
*Ille sacerdotum celeberrimus, * ille regentum,*
Hic regni gladio metuendus, at ille superno,
Dulcia colloquij tandem consortia nacti
Insatiata pio carpebant gaudia voto.
Cumq; petens Romam Sutrij iam mœnia Rector
Parua reliquisset, magnæq; accederet vrbi,
Occurrére viri patriæ mandata ferentes
Conspicuo sermone quidem phalerata, sed astu,
Et tacitis perplexa dolis: nec protinus ausi,
Ni priùs indulto regalis fœdere pacis,
Vt liceat quæcunq; ferat, impunè profari.
Tunc ita compositis ficto moderamine verbis,
Præmeditata diu molimina protulit vnus.
Ducit in aduentu felicia gaudia, Princeps,
Roma potens, Inuicte, tuo, deuotaq; pandit
Mœnia, maternosq; sinus aperire potenti,
Quem sibi rectorem delegit, gaudet amico,
Imperiumq; tibi, atq; Augusti nominis vltrò,
Quo nihil in terris maius, promittit honorem:
*Si modò * pace venis: si pristina iura fideli,*
Ac benè promeritæ conseruas integra matri.
Aspice quæ fuerit priscis sub Regibus Vrbis
Gloria, quæ populi libertas, quanta Senatus

Maiestas,

Maiestas, Prætoris honos, & Consul vterq;
Annuus, & gemini * plebis tutela Tribuni,
Gratia quæ morum, castarum sanctio legum,
Pace tenor iuris, iustis audacia bellis.
Quantus amor laudis patientia, quanta laboris.
Hæc sunt quæ nostram longis * prouentibus vrbem,
Ex illa tenui, nascentis origine fati,
* Ex laribus paruis, & primi Regis asylo,
* Stramineisq; casis, & sparso sanguine sulco,
Ad celebres titulos, & tanti culmen honoris
* Extulerant, vbi nil, nisi fidera sola super se
Cerneret: his gaudens, populos, Regesq; per orbem
Consilijs, validisq; sibi subiecerat armis.
* Tunc populus Regi, belli mandata, domiq;,
Non populo Rex illa dabat, passuraq; nullum
Vrbs erat hæc Regem, nisi quem regnare iuberet:
Vt patriæ mitis non ægrè visa ferendo
Iussa daret populis, & magnæ Regibus vrbis.
Tunc huius populi mandata, minasq; timebat
Ortus, & occiduo tellus subcincta profundo,
Et Notus, & gelidi Boreas sub cardine mundi.
Ast vbi fortunæ vitio, populiq; pauentis
Desidia prisci perierunt signa decoris,
Iusticioq; silent longo iam tempore leges
Suppressæ: tanto retrocessit Roma relapsu,
Vt vix ad decimum lapidem, finesq; propinquos
Audeat ipsa sui protendere nominis vmbram.
Vilis apud * gentes, in se malè firma, nec vllo
Robore fulta sui: quam seditione frequenti,
Atque intestinis lacerat discordia bellis.
Nullus amor iuris, nulla est reuerentia morum,
Nec iam libertas, nec libertatis imago.
Nusquam Patricij, nusquam sacer ordo Senatus,

Nus-

Nusquam cum gemino Consul, Prætorue Tribuno:
*Cumq; ruinosis * procumbunt mœnia muris,*
Maiorem morum patimur, querimurq; ruinam.
Hoc ideo nobis vsu venit, optime Princeps.
Hic disponendi populus moderamina regni,
Et totum priscis frænandi legibus orbem
Non habet arbitrium: maiestas regia dudum
Abstulit, & priscum populi mutilauit honorem,
Ex quo Teutonicos admisit Roma Tyrannos.
Tu procul à nobis absens, & in orbe remoto,
Rarus in Italia, sed in hac rarissimus vrbe
Esse soles, & rege meo mihi notior hospes.
** Sic neq; nos nobis, nec tu satis, inclyte Rector,*
Consulis, & cura miseri fraudamur vtraque,
Expositi cunctis nullo sub vindice satis.
Respice nos animo tandem, vultuq; benigno,
Atq; ipsam deflere puta tibi talia Romam.
*Si te cura mei * tangit, si gratia matris*
Vlla mouet, si Teutonica de gente vocatum
Imperij summa gaudens in sede locaui,
** Redde vicem meritis, & dignos gratus honores:*
Longos pelle situs, antiqua refloreat ætas,
Prisca vetustorum redeant insignia morum:
** Patricios, ciues, priscos arcesse Quirites,*
Nomine plebeio secedat nobilis ordo.
Da libertatem, sanctumq; repone Senatum:
** Iam redeat senior, redeat cum Consule Prætor,*
Et redeant gemini cum Dictatore Tribuni.
Curia respiret, Capitolia lapsa resurgant,
Pulchra vetustorum redeant insignia morum.
Gaude, quòd tanti dudum sit gloria facti
*Temporibus seruata tuis: * felicior illo*
Aduenias, cuius pariter nomenq; locumq;

Susci-

Suſcipis, Auguſto, Traiano mitior adſis:
Quæq́ alij Reges iurando fœdera mecum
Tempus aduſq́ tuum pepigerunt, tu quoq́ iura:
*Ne * conceſſa mihi priſcorum munere Regum,*
Vel reſecare velis, vel tollere: néue ſalutis
*Pro me, proq́ mea fugias * diſcrimina plebe,*
Largaq́ Romanæ perſoluas munera plebi,
*Vt tibi feſtiuum celebret * deuota triumphum.*
Dixit: at ille dolos, infectaq́ verba veneno
Comperit, & contrà regali concitus ira,
Diſſimulare grauem contemnens voce dolorem:
Quantum Roma meo, non Roma, ſed incola Romæ
Gaudeat aduentu, ſecretæ conſona menti
*Verba ſatis * fecére palàm. commercia certè*
*Non ſatis æqua mihi faciunt, * dum vendere nobis*
Noſtra volunt, veluti plenis cum follibus emptum
*Adueniam, * precioq́ notios ſumpturus honores,*
*Quos ſibi iam proprios effecit * Francona virtus.*
Non emimus faſces: non, ſi credamus emendos,
Præter virtutem, precium quod detur habemus.
** Hoc mihi, vel nullo venient commercia pacto:*
Non turget loculis inferta pecunia noſtris:
*Nec multis opibus, ſed * laude venimus onuſti:*
Non eſt Teutonico cumulata pecunia cordi,
**Nec ſibi quærit opes, ſed pulchræ laudis honores.*
**Non habet ille ſuum, ſed habentibus imperat aurum.*
Quanto Romanus ſtudio cupidiſſimus æra
Congerit, & magno vigilans incumbit acerno,
Tanto Teutonicus, vel adhuc maiore, paratas
Fundit opes, nitidasq́ manus ærugine turpi
Fœdari ſcelus eſſe putat, dignumq́ pudore.
Inuigilent opibus cupidi; mihi ſola poteſtas
Sufficit, & cunctis dare iura potentia terris.

Quò

Quò mihi diuitias? cui ſeruit gloria mundi,
Quem poſſeſſor opum cum paupere diues adorat.
Quicquid habet locuples, quicquid cuſtodit auarus,
Quicquid in occultis abſcondit terra cauernis,
** Iure quidem noſtrum, populo concedimus vſum.*
Rege figuratam, Regis patet eſſe monetam:
Cæſaris & domino ſub Cæſare fulget imago.
Quò mihi diuitias? cui quæq; potiſſima Reges,
Ac populi crebris non ceſſant mittere donis.
Semper habet veteres, ſemper videt aula recentes
Vndiq; legatos, & ab omni Principe miſſos:
Semper ab ignotis veniunt noua munera terris.
Ergo pudet, populo quaſi debita cogar auaro
Soluere, cui magni ſoluunt indebita Reges.
Miror ab antiquo famoſam moribus vrbem
*Tam fœdum * ſperaſſe nefas, vt Rege coacto*
Erueret precium, veluti iam carcere vaſto
Incluſum, duris aſtrinxerit illa cathenis.
Ergóne Roma tuo legem vis ponere Regi?
Cùm potiùs Regem deceat te ſubdere legi.
** Millia quinq; tibi librarum debita poſcis:*
Poſcenti debere nego: largitio Reges
** Non extorta decet: captiuos iſta reoſq;*
*Sors premit, extortis redimant * ſua tempora nummis,*
Munera magnorum læta atq; vltronea Regum
*Eſſe volunt: * vt dans plus gaudeat accipiente.*
*Hoc eſt, gratuitum quod * poſſum dicere, ſolum,*
Quo plus ille dato, quàm gaudeat iſte recepto.
Hunc mihi munifici morem liquére parentes,
Hunc retinere libet: nec plebem munere largo
Lætificare tuam renuo, ſed pacta recuſo.
Nil niſi gratuitò manus hæc dare nouit, & vltrò.
Iuramenta petis? Regem iurare minori,

*Turpe reor. *nudo ius & reuerentia verbo*
Regis ineſſe ſolet, quouis iuramine maior.
Non decet in labijs verſari lubrica Regis,
Non decet ore ſacro mendacia cudere Regem.
Sancta & plena ſuo ſunt regia pondere verba,
**Dicta ſemel nullum patiuntur iure recurſum.*
Ergo quòd inſtigas iurando iure paciſci,
*Pone metum curæ, vel non iuratus * habebo.*
Adde, quòd hoc ipſum noſtris eſt vtile rebus
Quod petis, & nobis nullo ſuadente gerendum.
Iura vetuſta feram, potiùs ſupplere paratus,
Quàm minuiſſe bonis aliquid de moribus Vrbis.
Te mihi vel ſummo non conſeruabo periclo?
**Dum mea non eſſes, ſummo diſcrimine iuſſi*
Eſſe meam: nunc cum mea ſis iam facta, relinquam?
**Namq; quòd Imperium, te Roma vocante, receptum*
Adſeris, & meriti peragis præconia tanti,
Non magni reputare libet. veniſſe vocatum
Confiteor, ſed quæ fuerit tibi cauſſa vocandi,
Ne multum te fortè putes meruiſſe, videndum eſt.
Hoſtibus infeſtis, & belli preſſa tumultu
*Vndiq;, * nec proprijs vltrà tutanda, nec illis,*
Quas tibi tentaras precibus conſciſcere vires,
Deſperata diu, cunctisq; relicta iacebas.
*Nunc vbi Roma tuæ vires? vbi * perfidus ille*
Græculus? & Siculæ, vindex tuus, arbiter aulæ,
**Quem tibi tutorem, timeas licèt ore fateri,*
Mente tamen tractas. fortaſſis ſentiet ille,
Roma, tuus vindex: (veniant modò congrua rerum
Tempora) Teutonici vires & pondera regni.
Tandem, conſilio, ſicut patet, vſa ſalubri,
Francorum vires, inuictaq; ſigna rogaſti.
Aſſuit immenſi domitor fortiſſimus orbis

Carolus.

Carolus, & magna miseram * virtute redemit:
Ereptumq; mana medijs ex hostibus, in se
Transtulit Imperium, belliq; tenore recepta
Hæc tua Francorum sociauit mœnia regno.
Nunc age, collatos nobis, tua munera, fasces,
Et quasi gratuita primùm bonitate vocatos,
Magnifico sermone refer: sed verius illud
Implorare fuit. * sic pauper ad ostia clausa
Sæpiùs implorans, querulo vocat ore potentem.
Namq; Beringerum, Desideriumq;, tyrannos
Roma tuos, quibus attonitum ceruice subacta
Subdideras miseranda caput, quis nescia armis
Francorum victos, captosq;, æternaq; passos
Exilia, * in nostro per tempora plurima regno
Victori seruisse suo, tardaq; senecta
Tandem seruili pressisse cadauere terram?
Illa dies vno tua pristina iura triumpho,
Si qua tibi Graiæ fortuna reliquerat vrbis,
Transtulit in Francos. non sunt extincta, sed extant,
Imperium comitata suum, quod debita secum
Ornamenta trahens, nudum, vacuumq; decoris
Non poterat transire sui. mea respice castra,
» *Omnia, quæ dudum quereris sublata, videbis
» Nomine mutato sub eadem viuere forma.
Hîc eques, hîc prætor, hîc Consulis, atq; Tribuni
Imperiosus honos, & * publica cura Senatus.
Aspice Teutonicos Proceres, equitumq; cateruas.
Hos tu patricios, hos tu cognosce Quirites,
Hunc tibi perpetuo dominantem iure Senatum:
Hi te Roma suis (nolis licèt ipsa) gubernant
Legibus; hi pacis, belliq; negocia tractant.
Sed libertatis titulos, antiquaq; legum
Tempora commemoras. quas leges, improba, prater

Teutonicas, aut quæ, præter mea, iura requiris?
Quæ tibi libertas poterit contingere maior,
Quàm Regi ſeruire tuo? Sic fatur, & acres
Ingenuo vultu regaliter excitat iras.
Audierant, ſtupidoq; metu præcordia preſſi
Obticuére viri, multisq; rogantibus, anné
Plura loqui vellent? nihil vltrà vocibus auſos
Addere præmiſſis, tantum dixiſſe pigebat.
Tantus eis triſtes irato Principe vultus
Cernere terror erat: mallent ſiluiſſe, nec vnquam
Suſcepiſſe ſuæ peragenda negocia Romæ,
Securosq; petunt in mœnia tuta regreſſus,
Orſa relaturi metuendi Principis Vrbi.
At Rex colloquium ſolo cum Præſule miſcens,
Principibusq; viris, quod nunc ſibi reſtet agendum,
Quamué dolo plebis verſutæ prouidus artem
** Appoſuiſſe queat, ſollerti conſulit aſtu:*
Et ſimul interna feruens exæſtuat ira.
*Cui pater eximius * læſo, ſolatia menti*
Addere blanda volens: Non eſt ait, optime fili,
Hac in gente nouum, nec res miranda videtur
Fraudibus occultis blandè palpare potentes,
*Principibusq; ſuis * argutam oſtendere vulpem:*
Hoc vitium gentile tenet: ſic viuitur iſtic.
Iam partim ſenſiſſe doles; ſed verius illud
** Amodò concipies, & adhuc maiora videbis.*
Me quoq; non longo reſidentem tempore, multis
Eſt aggreſſa dolis, indignaq; multa relatu
Tàm mihi, quàm ſacro plebs intulit improba clero:
Verùm contemptus minor eſt iniuria noſtri,
Quos manus imbellis, nulloq; armata poteſtas
Sanguine, ſed tantùm diuino fulta timore,
Spernendos impunè viris exponit iniquis.

Te

Te quem terreni metuenda potentia regni,
Quem ſcelerum vindex gladius facit eſſe verendum,
** Romanus qua fronte dolis ambire laboret,*
Mirandum ſatis eſt: ſed iuſto parce dolori,
Et nobis (autore Deo) gens improba iuſtas,
Et tibi maturo perſoluat tempore pœnas.
Tu modò belligero delectos agmine fortes,
Inſtructos telis, inſtructos omnibus armis,
Occulto præmitte gradu: qui ſacra beati
Corripiant poſita formidine limina Petri,
Atq; Leoninæ munimina fortiter vrbis.
Sunt ibi præſidij cauſſa ſub nomine noſtro
Præſtantes animi iuuenes, qui mœnia tradent,
Admittentq; tuos: aderit qui mœnia tradi
Imperet, egregius Romanæ ſtirpis alumnus,
Sedis Apoſtolicæ Comes, eximiusq; ſacerdos,
Et tibi præ cunctis Octauius iſte fidelis.
Deſierat Præſul: placuit laudabile cunctis
Conſilium, ſincera fides, & plana voluntas.
** Mittuntur properè * quaſi millia quinq; virorum*
Nocte ferè media, quo tempore lumina Titan
** Oppoſito præbens, ſi fas eſt credere, mundo,*
Ex æquo medium noctis diſcriminat arcum.
Haud mora, feſtinant iuſſi, portasq; patentes
Ingreſſi tacitè, ſancti munimina Petri,
His priùs eductis qui limina prima tenebant,
Atq; Leoninam rapiunt hoſtiliter vrbem.
Nuncius ad proceres rediens, compendia facti
Edocet, & totis hilareſcunt agmina caſtris.

Libri tertij finis.

Hosted by Google

ARGVMENTVM LIBRI IIII.

Quartus in Imperium, supremaq; nomina
Promouet: Ausoniam sacrata in sede coronam
Induit. hinc æstum, violentiq; ætheris iram
Morbida castra ferunt, & dira peste laborant.
Mox ausum falsa fidum fraudare moneta
Spoletum vindex ferro propulatur & igni.
Appuliam, Calabrosq; parat inuadere fines:
Dissuasu Procerum concepta negocia mutat.
Milite dimisso, natalia rura reuisens,
Condigna sæuos extinguit morte latrones.

GVNTHERI
POETÆ, LIGVRINI, SIVE
DE GESTIS FRIDERICI I.
Ænobar. Aug. Lib. IIII.

IAmq; soporiferæ decurso limite noctis,
Aureus occulto sublatam lampada cœlo
Cœperat in nostrum traducere Phœbus Olympum,
Tempore non alio nitidos magis extulit ortus
Purgauitq; polos, & nubila tota remouit:
Exoritur felix, & cunctis penè diebus
Candidior, primos tibi collaturus honores
Imperij, Friderice, dies, radijsq; serenis
Publica per totum diffundens gaudia mundum.
Iamq; per oppositi Princeps decliuia montis
Aduenies, claram, quam nondum viderat, vrbem,
Aspicit: huic populi festiuum gaudia nomen
Imposuére loco: siquidem qui mœnia clara
Illa parte petunt, ex illo vertice primùm

Vrbem

Hosted by Google

Vrbem conſpiciunt, & te ſacra Roma ſalutant.
Prima Leoninam gaudens admiſit in vrbem
Aurea porta Ducem: mox limina ſacra petentem
Sedis Apoſtolicæ diuinis ritè peractis
Obſequijs, ſacra redimitus veſte ſacerdos
Summus, ad alta ſacri ducens altaria Petri
Innexum digitis, mundi totius honorem
Impoſuit, preßitq; ſacro diademate crines.
Sacraq; Miſſarum peragens ſolennia ritè,
Nobile cœleſti muniuit fœdere factum.
Omnibus egregiè lætis, totaq; caterua
**Acclamante viro fauſtum, FELICITER, omen.*
Hic fauor armatus, turbæq; hic plauſus equeſtris
Dulcius Auguſti mulcebat Principis aures,
*Quàm * venalis honor, conductaq; gaudia vulgi.*
Hic ſiquidem ſincerus amor, gaudensq; fideli
Obſequio, deuota fides; ibi gloria tantùm,
Mendaci fucata dolo, precioſaq; pompa.
Nos quoq; carminibus, ni mens anguſta negaret,
Acclamare tuo, fortißime Cæſar, honori,
Et faſces celebrare tuos, rerumq; nitorem
Eloquio, numerisq; ſuis implere decebat:
Sed vereor, ne plura loquens, multumq; laborans,
Inueniar dixiſſe minus, magniq; reatus
Arguar, eximijs inducens nubila rebus.
Atq; ideo carptim, non ſingula quæq;, ſed ipſam
Geſtarum propero rerum percurrere ſummam:
Immò etiam facti compendia vera ſecutus,
*Hoc ipſum ſatis eſſe reor: namq; illa * ſerenæ*
Tempora lætitiæ, tantiq; inſignia plauſus
Non longas habuére moras, populiq; furentis
Inſidias, ſtrepitumq; timens, armatus vbiq;
Adſtat eques, tempiq; fores & limina ſeruat,

*Creſcen-

*Crescentisq; domum, pontisq; angusta propinqui
Obsidet, & totas densa statione plateas.
Hos Regi titulos, hoc clari nomen honoris,
Quartus ab ingressu regnorum contulit annus,
Plusq; fere medio iuuenum se mensis agebat,
Vt quartodecimo prodiret Iulius ortu.
Postea gemmiferam læta ceruice coronam
Ipse ferens, insedit equo: quem purpura totum
Ambit, & intextis velamina picta figuris.
Aurea mirifico radiantibus ordine gemmis
*Sella nitens, picto Regem complectitur arcu.
Aurea nexilibus *fastidit frena cathenis,
Gemmatosq; lupos, & fuluum mastlicat aurum,
Lucidus è media dependet fronte pyropus,
Lucida multisonis phalerantur pectora bullis.
*Ipse ferox, incerta vago vestigia gressu
Multiplicat, tenuesq; interdum calcibus auras
Verberat, & tanto sonipes vectore superbit.
Hoc inuectus equo, turba comitante pedestri,
Gaudet habere viros vtrinque ad frena potentes,
Sanguine conspicuos, & mundi iura regentes.
Tunc ita productus, plausu resonante suorum,
*Proxima turrigeris repetit tentoria muris
Ipse: sed eximius dimisso Principe Præsul
Vrbe Leonina, propriaq; in sede remansit,
Cumq; siti feruens, & multo temporis æstu
Languidus, optata castrorum fusus in vmbra
*Corpora fessa cibo miles recreare pararet,
Ecce repentinus vicina clamor ab Vrbe
Insonat, & subiti *feralia signa tumultus.
Iamq; furens populus, prisco sibi iure negato,
*Iniussuq; suo sumptos à Principe fasces
Indignans, rapido transmisso ponte tumultu

Irruc-

Irruerat, paucosq; viros ex agmine noſtro
Securos nimiùm, nulloq; pauore relictos,
Fuderat: aſt alij celeres, vrgente periclo,
Caſtra petunt, ſocios, atq; ipſum nomine Regem,
Cuius erat cunctis virtus benè nota, vocantes.
Horruit irarum ſtimulis, iuſtoq; furore
Cæſar, & ingratum ſocios iterare laborem
Compellit, totis educens agmina caſtris.
Hoc magis accelerans, quòd eum metus acer agebat,
Ne quid in eximium crudeliter impia Patrem
Auderet, ſolito plebes graſſata furore:
Diſtulit ira cibos; hoſtili ſanguine malunt
Dilatam ſatiare famem, fremituq; leonum
Terribiles Vrbem repetunt, & in arma feruntur.
*Nec cedunt hoſtes; ſed pectore prælia firmo
Excipiunt: miſſis bellum committitur haſtis,
Et leuibus iaculis, & quas pluit aura ſagittis.
At ſimul incaluit ſtimulis grauioribus ira,
Conſeruére manus, admotaq; cominus arma.
Non iam miſſilibus telis, ferroq; volanti,
Sed gladijs pugnare libet: timnire ſonoris
Ictibus audires galeas, incuſſaq; telis
Arma, graui clypeosq; leues mugire fragore:
Cernere palantes paſſim, rurſumq; reſumptis
Viribus inſtantes, alterna ſorte licebat.
Maxima conflictus moles in limine pontis
Ante domum Creſcentis erat: faciliq; rotatu
Obruta ſaxorum, ſeu miſſus deſuper haſtis
Regia pars certæ poterat ſuccumbere cladi,
Ni quæ ſpectandi cauſſa pinnacula turris
Seruabant matres, validæ pulchræq; cohorti
Parcere, non ſtolidæ plebi ſociare furorem,
Orarent iuuenes iam mittere tela parantes.*

Sic parti noſtræ caſtarum gratia matrum
Profuit, innocuas prohibens à ſanguine dextras.
Hic furor, à decima ſpacioſus & integer hora
Perſtitit ad primas merſo iam ſole tenebras.
Nec quiſquam, quamuis ieiunia longa tuliſſent,
(Totam quippe diem miles ieiunus agebat)
Iam poterat ſentire famem, pondusué laboris,
Immemor ipſe ſui: tantoq; nocentior hoſti.
Tantus in vltores fundendi ſanguinis ardor
Incidit, & iuſta ſatiandi cæde furorem.
Atq; aliquis gaudens in tanta ſtrage reorum
*Inſultare malis: * hæc ſint tibi Roma vetuſti*
Præmia iuris, ait: merces à Principe iuſto
Redditur iſta tibi: ſic nobis regna parantur,
Sic emimus faſces: ſic acclamare triumphis
Te iubet ille ſuis: hæc tecum fœdera Cæſar
Percutit, atq; tuo iuramina ſanguine firmat.
Vix tandem miſeros ſero iam veſpere ciues,
Afflictosq; diu bello, fuga, noxq; remouit,
Claraq; iuſticiæ patuérunt ſigna ſupernæ,
Ex rerum merito varios prodentia caſus.
Namq; vno tantùm noſtra de parte perempto,
Mille, vel immerſos Tyberi periiſſe, vel armis
Hoſtili de plebe quidem; captiua ducentos
Suppoſuiſſe ferunt, iniectis colla catenis.
Mox cum laude Dei repetunt tentoria læti
*Victores, gratoq; cibo, dulciq; * ſopore*
Membra ſouent, tutis carpentes ocia caſtris.
Vix erat orta dies, ſuſpecta Cæſar ab Vrbe
Regia ſigna mouet (neq; enim commercia rerum
Indigus afflicto ſperabat miles ab hoſte)
Pulchraq; fœcundis fixit tentoria campis.
Inde ſecus montem, quo quondam ſæua Tyranni

Iuſſa

Iussa timens, nondum te Constantine renato
*Syluester latuit, * Soracten nomine dicunt,*
Te placido transmisse vado vetus Albula transit,
Albula cuius aquis Tyberinus nomina fecit,
Primaq; castra locat vicinæ ad mœnia Romæ,
Inter & Argoas famosi Tyburis arces.
Hos, vt fama, lares Graia de gente profecti
*Tres posuére viri, * Coras, cum fratre Catillo,*
Argolicæ stirpis iuuenes, & maior vtroque
Tyburtus: cuius sumptum de nomine nomen
Nobile Tybur habet, perhibent si vera Poëtæ.
Iamq; aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget Apostolico, totum festiua per orbem
Illa quidem, sed Romuleæ specialiter vrbi,
Cuius sacra suo lustrarunt mœnia patres
Martyrio, sæui dum spernunt sceptra Neronis.
** Illam, quo poterat, populus castrensis honore*
Suscepére diem, deuotas Præsule summo
** Missarum celebrante preces, & Cæsare sanctam*
Imperij ceruice piagestante coronam.
Illa quippe die sacris altaribus adstans,
Omnem, qui iusto sub Principe bella gerendo
*Cinxerat * vltorem Romanis cædibus ensem,*
Clauibus æthereis, & Petri fretus honore,
*Soluit, & * indultum purgauit Papa reatum.*
Et ratione quidem: nam quisquis iura tuetur
Ecclesiæ, regnique decus, si fortè cruorem
Fuderit humanum, non est homicida, sed vltor.
*Hoc siquidem bellum, quod iuris amore * coacto*
Milite suscipitur, meritum, non culpa vocatur.
Inde petens celsam quæ Tuscula dicitur vrbem,
Mœnibus excelsis, tutaq; in sede resedit.
** Iamq; vaporifera succedens lampade mundum*

Cæ-

Cœperat ex alto metuendo feruidus ortu
Erigones radiare Canis: quem triſtis Orion
Adlatrare ſibi, & rabido veſtigia morſu,
Adtentare videns, æterna exæſtuat ira.
Vtraq; flamma nocens, ſed longè triſtior illa,
Cuius in exortu vitiatus nubibus æther
Æſtuat, & triſtes ardeſcunt ignibus auræ.
Squalida torpet humus, corruptis ſtagna, lacusq;
Inficiuntur aquis, pigrisq; paludibus atræ
**Exhalant nebulæ: calidi ſpiramine cœli*
Languida peſtifero tabeſcunt corpora morbo.
Inde fit, vt proprios plebes Romana quot annis
Cogatur transferre lares, montesq; relicta,
Dum furit ille Canis, vicinos incolat, Vrbe,
Adde quòd antiquis horrens incultа ruinis,
Parte ſui maiore vacat, generisq; nocentis
*Plurima monſtriferis * animantia Roma cauernis*
Occulit: hìc virides Colubri, nigriq; Bufones,
Hìc ſua pennati poſuerunt luſtra Dracones,
*Quorum * morticinis contabeſcentibus aër*
Læditur, atq; æſtu reſoluta cadauera putent.
Ergo metu belli vetitum mutare penates
Vulgus, in vrbe ſua ſubito tabeſcere morbo
Incipit, & valida correptum peſte laborat.
*Nec minùs in caſtris Francorum * lecta iuuentus*
Aëris impatiens, & tanto victa calore
Languet, & inſolito tabeſcit ſqualida morbo.
Occupat ora ſitus, deformes inficit artus
Squalor, & icterico tabeſcunt membra colore.
Protinus accenſis miſeri vitalibus ardent,
Aëra peſtiferum velut è fornace trahentes.
Quòd ſi ferre grauem potuiſſent aëra noſtri,
Atq; immota breui ſeruaſſent tempore caſtra,

Haud

Haud dubium, quin se plebes Romana, suamq;
Pontifici, Regiq; suo supponeret Vrbem:
* Sed iam fœda lues, tanto regalia castra,
Atq; insueta mali confecerat agmina morbo,
Vt passim fragiles, longisq; laboribus ægras
Efflarent animas; aliiq; superstite fato
Inualidi, miseram dilato funere vitam,
Sæpiùs optata fraudati morte, trahebant.
Ergo suis Rector castris, socioq; labori
*Compatiens, multis etiam suadentibus, illo
Demigrare loco, nolens, ac penè coactus,
Corpora Pontifici sacro captiua relinquens,
Tristia signa mouens, Tusciq; * crepundia montis
Ascensu superans, meliori subdita cœlo
Castra locat, gelidas vicini Naris ad vndas.
Hic omni cura, medicæq; piissimus artis
Subsidio, sacrum satagebat pellere morbum,
Expurgare mali contagia noxia cœli.
Cumq; per Ethruscas turbæ castrensis in vsum
Cœpissent vrbes Fiscalia iura requiri,
Octingenta quidem Spoletum nomine fisci
Principis edicto iussum præstare * talenta,
Non timuit falso fraudare numismate Regem.
Præterea Comitem Tusca de gente Guidonem
Quo prior Ethruscis habitabat nullus in oris:
Guerra viro cognomen erat, mandataq; Regis
Vrbibus Apuliæ portauerat: inde reuersum,
Hospitijq; loco malefida sede fruentem
Ceperat, & duro seruabat carcere clausum.
Cumq; relaxari Princeps soluiq; iuberet,
Emittiq; virum: contempto Rege, superbus
*Instabat sceleri populus, regalia ridens
Iussa: sed ipse suas modico post tempore clades

Fleturus,

Fleturus, ſceleriſq; piacula iuſta daturus.
Namq; vbi tot factis crudelibus atque ſuperbis
Et meruit iuſtas, & mouit Principis iras:
Incorrecta parans vlciſci crimina Cæſar,
*Quæ * directa reis ignoſcere mallet, ad Vrbem*
Tendit iter: cui ſacrilego temerarius auſu
Ante fores ipſas clauſa vix tutus in vrbe
** Occurrens populus, funda, leuibusue ſagittis*
Prælia prima mouens, & miſſis eminus haſtis.
** Riſit ad hæc, &, Sic pueros Dux inclytus, inquit,*
Non fortes certare decet: ſic ludere natos
Ignaui docuére patres: incurrite totis
Viribus, ô ſocij. conuerſum ad mœnia ciuem
Præueniat, patulasq; fores prior occupet hoſtis.
Dixit, & accepto gaudens à Principe ſigno
Teutonus, hoſtilem cum ciuibus irruit vrbem.
*Protinus admotis incenſa * ſuburbia tædis,*
In cineres collapſa fluunt, animosq; furentes
*Nec prædæ locupletis amor, * nec regia, nondum*
Exaudita viris, poterant edicta morari.
Inſpoliata quidem, multisq; nitentia gazis
Non expectato flammis ſunt tradita ſigno.
Attoniti tanto miſerarum turbine rerum
Infauſti ciues, non iam miſerabile vulgus,
Sed magis inuidia dignum, compendia montis
Ardua corripiunt trepidi, pro fraude ſuperba
*Digna reportantes: * vti qui fiſcalia Regi*
Iura ſuo tumida mendaces fraude negarant,
Omnibus amiſſis inopes miſeriq; dolerent.
Stabat in excelſa ſedes munitior arce,
Optima pars vrbis, tuto ſatis edita colle,
Hîc excelſa viri primates tecta locarant,
Securosq; lares. hîc ſedes pontificalis,

Altaq;

Altaq3 conſpicui ſurgebat fabrica templi.
Hic bona pars populi ſedis munimine freta,
Rebus in extremis tutari ſeq3 locumq3
Certabat, ferrumq3 manu, lapidesq3 rotando,
Vel retinere locum, vel fata ſubire parabat.
At Rex inuictus, nil ſe memorabile credens
Dum ſupereſt aliquid, nil ſe feciſſe decorum,
Voce, manuq3 ſuos ardens hortatur, & addit
Sæpè minas, reficitq3 animos, & ſuggerit iras.
Ipſe manu propria, ſocijs prohibentibus, omneis
Explorat caſus, & quæq3 pericula primus
Excipit, oblitus pariter regniq3, ſuiq3,
Cœptaq3 vel ſummo cupiens implere periclo.
Principis exemplo miles virtute coacta
„ *Audet, & audaci pudor eſt ſub Rege timere.* “
Nec modus, aut requies, donec clamore ſupremo
Effractæ patuére ſuis victoribus arces.
Sed quia præcluſo fugiendi tempore, vulgi
Magna repentino pars conflagrauerat igne,
Aëre corrupto, fœdumq3 trahentibus auris
Nidorem, ſæuamq3 loco ſpirante mephitim,
Quanquam multa viris minimè temnenda ſupellex
Poſſet ab igne rapi, noſtrosq3 vrgeret egeſtas,
Aëris impatiens, ceſſit, prædaq3 relicta,
Haud procul euerſa victor conſedit ab vrbe,
Sub meliore polo, & leuius ſpirantibus auris.
Mox vbi ſæuus odor flamma ceſſante reſedit,
Et vacuum ceſſit tenuatus in aëra putor,
Protinus ad prædam vulgus caſtrenſe recurrens,
Si quid adhuc flammis illæſum fortè manebat,
Diripit, & calidam pedibus calcare fauillam
Non timet, & prunis ardentibus vrere plantas,
Semuſtam properans flammis ſubducere prædam.

Inue-

Hosted by Google

Inueniunt plenis ſtudiosè condita cellis
Vina, nec exiguos ſeruatæ frugis aceruos:
Inueniunt plenas precioſis veſtibus arcas,
Quasq; ſibi populus parco conflauerat vſu,
Et cupidè ſeruabat opes, rapit omnia victor,
*Plenaq; * ſemicremis diteſcunt caſtra trophæis.*

Nec mora, Dalmatici quà fluctibus æquoris Ancon
Tunditur, & magno finem facit Appennino,
Signa rapit Princeps, pulchræq; à mœnibus vrbis
Haud procul, in medio ponit tentoria campo.

Hîc duo magnates, Graia de gente profecti,
**Occurrére viro, Regis mandata ferentes,*
Donaq; magna ſui: quorum hic Maradochus, at ille
**Palologus vocitatus erat: quos ille venuſto*
Excipiens vultu, digno cumulauit honore.
Auditaq; viæ cauſſa, reſponſa daturum,
Inſignem meritis, & clara ſtirpe creatum,
(Hic Abbas Stabulenſis erat) iubet ire Vvibaldum.*

*Interea patrijs * Andreas finibus exul,*
Atq; alij Proceres, Siculus quos ille tyrannus
Appuliæ totis dudum proſcripſerat oris,
Ceu poſtliminio Romani iure reuerſi
Principis, iniecta fines ereptaq; dudum
Iura manu, firmasq; vrbes, & caſtra tenebant:
Omnibus attonitis, Regemq; putantibus ipſum
Ponè ſequi, iam iamq; ſuos inuadere fines.
Et certè facturus erat, cupidusq; parabat
Vltrices illuc Cæſar transferre cohortes:
Sed vapor æthereus rapitiq; moleſtia cœli,
Et comitum langnor, longoq; labore ſolutum
*Vulgus, & innumero * fulgentia funere caſtra,*
*Ne faceret, tenuére virum, * monituq; fideli*

Teutonici

Teutonici proceres renuentem & magna parantem
Cœpta, coëgerunt ad Transalpina reuerti.
Ergo vbi depoſito tandem manſueſcere ferro,
Et reditu optato patrios inuiſere fines,
Regia belligeris indulſit gratia turmis:
Protinus abſceſſu triſtes, gemituq́; profundo
*Pectora pulſantes, & largis *ora rigatos*
Fletibus aſpiceres. adeo ſub Principe miti,
Dulce viris fuerat quosuis tolerare labores.
Ipſe quoque emeritos grato* ſolenniter ore*
Extulit, & digno laudauit honore cohortes,
Dimiſitq́; viros: quorum pars gurgite vaſto
Et Veneto deuecta mari, natalia rura
Contigit, & patrios aſpexit læta penates:
Aſt alij fines, extremaq́; clauſtra iacentis
Italiæ, duris horrendas rupibus Alpes
Agmine non vno repetunt: non prorſus eodem
Limite, ſed varijs anfractibus arcta locorum,
Difficilesq́; vias, & triſtia clauſtra ſequentes,
Vix tandem patrijs longus labor intulit aruis.
At qui de Tuſcis aderant, Italisue frequentes
Vrbibus, hi facili cura, ſpacioq́; minori,
Ad ſua diffuſo redierunt mœnia cœtu.
Sic vbi multifidos vno de fonte meatus
Vnda ſecans, varios ſeiunctis curſibus amnes
Efficit, hos leni per plana iacentia lapſu
Serpentes, alios inter caua ſaxa ſonantes,
**Luctatosq́; diu diuerſa ſede receptat,*
Seriùs, aut citiùs, pro tractu gurgitis, æquor.
*Non tamen emiſſa * tantorum plebe virorum*
Vel Princeps vacuus, vel curia ſola remanſit.
Non eſt magnorum cum paucis viuere Regum.
Quotlibet emittat, plures tamen aula reſeruat.

„ *Nec Princeps latebras, nec Sol desiderat vmbras:
„ Abscondat solem, qui vult abscondere Regem.
Siue noui veniant, seu qui venére recedant,
Semper inexhausta celebratur curia turba:
*Vt mare cùm largas mundo disseminet vndas,
Semper inexhaustis fœcundum pullulat vndis.
Ergo bona quamuis dimissa parte suorum,
Magna tamen Princeps, & solo Cæsare digna
Castra mouens, per eam quæ nunc Senogallia fertur,
Quòd Senones illam Galli tenuisse putantur,
Cùm premerent trepidam peregrino milite Romam,
Appennine tuos properat contingere colles.
His quoq; transcensis, planis in finibus illum
Excipit exiguo perfusa Bononia Rheno,
*Quæ quasi plena bonis, læto trahit omine nomen.
*Hinc quoque discedens, Italarum rector aquarum
Te, Pade, transgressus, Veronæ plana potentis
Contigit, & notis posuit tentoria campis,
Quà rapidas Atheseatorrens agit impetus vndas.
Mos erat à veterum traductus tempore Regum,
Et stabili multos seruatus iure per annos,
Siue petat Latiam regnator Teutonus Vrbem,
Siue* sacer rediens sua signa reportet ab Vrbe,
Vt latum iunctis pontem Verona carinis
Per medias Atheseæ porrectum construat vndas:
Quò validus Princeps intactis mœnibus vrbis
Transeat,* atq; suas transmittat ritè cateruas.
*Tunc quoq; connexis fragili compage carinis,
Desuper iniectis leuiter gens perfida lignis,
Extruxit facili cessurum pondere pontem.
Vt cum noster eques tabulata sonantia tutus,
Atq; vacillantes incerto pondere naues
Iam premeret, nexu series infida soluta

Ce-

Cederet, & rapidas ferretur miles in vndas.
Præterea cæsis riparum in fronte salictis,
** Struxerat in multos fruticum ramalia fasces,*
Quos quasi fortuitu venienti gurgite raptos*
Prona catenatis infligens vnda carinis,
Solueret infidum decepto milite pontem:
Vt iam Teutonicæ transmissa parte cohortis,
Gurgite præcluso, reliquos inuaderet hostis
Impius, & dirum satiaret sanguine ferrum.
Cassa fuit miseris infandæ machina fraudis,
Et magno ventura malo, nutuq; superno
Incidit in foueam quam foderat improbus hostis.
Nam simul innocuo per certa pericula gressu*
Immemores fraudis se traiécere cateruæ:
Cumq; hos à tergo quidam de plebe feroci
Attentare dolis, subitoq; lacessere bello
Cœpissent, refugoq; gradu transire pararent,
Inueniunt rupta pontem compage solutum,
Seq; interceptos, subitaq; voragine clausos,
Et tabulata nouo mirantur hiantia lapsu.
Quos ibi comprensos, & nil rationis habentes,
Attonitosq; malo, iugulat mox Teutonus vltor.
Ventum erat ad fauces, angustaq; claustra viarum,
Quaſ nubiferis horrendæ rupibus Alpes
Exiguo tantùm penetrandas limite præbent,
Vniusq; capax scopuloso semita calle
Arcta laboranti pandit vestigia turbæ.
** Hîc fractis præruptа iugis tenebrosa vorago*
Pandit inane chaos, baratriq; simillimus horror*
Exanimes fecisse potest, Athesamq; fragosis*
Sub pedibus rauco certantem murmure saxis,*
Accipit attonita, quam non videt, aure viator.
Hinc se nubifero super æthera vertice rupes

Tollit, & ingenti latè loca protegit vmbra:
Eq̃ supercilio scopulosi verticis vnus*
Conatu facili, lapsuraq̃ saxa mouendo
Mille potest arcere viros, aditusq̃ viarum
Claudere, vel missis incautos perdere saxis.*
Huc se contulerat ferus infandusq̃ satelles
Albricus, cupidus scelerum, cupidusq̃ rapinæ:
Horridus, acer, atrox, ex ordine natus equestri:
Ciuis erat Verona tuus: iuratq̃ turpi
Obsequio, monstrisq̃ nouis adscita iuuentus
Cum domino peritura suo, miseraq̃ parentum
Orbatura domos, longoq̃ labore petitam,
Rupis inaccessæ sedem statione latenti
*Seruabant, * dirumq̃ nefas ac turpe parabant.*
His erat in voto, precijs spoliare coactis
Agmina, vel missis aditum præcludere saxis.
Non placuit tentare dolos, facinusq̃ fateri,
Donec in angustas fauces, infidaq̃ totæ
Ignaræ fraudis, cecidissent claustra cohortes,
Atque ideo paucos tutò præcedere passi
Continuére manus, ad grandia monstra paratas.
Sic venator apros, fluuiosq̃ agitare leones
Instituens, timidos lepores, damasq̃ fugaces
Dissimulat: prædamq̃ pudet captare minorem.
*Ipse sub ingenti latet * altæ fornice rupis,*
*Clamosoq̃ canes * inhibet cupidosq̃ molossos*
Comprimit, vt nullus quatiant latratibus ora,
Donec cornigeri veniant in retia cerui,
Trux leo, sæuus aper, maculoso vellere pulcher
Pardus, & hirsuti rapidis cum tigribus vrsi.
Non tamen occulti potuerunt fallere Regem
„ *Instrumenta doli: cœlestia pectora sanè*
„ *Nil transire potest: Sapiens quod prædicat, hoc est,*

„ Prin-

„ Principibus fili tacitus maledicere noli,
„ Portat auis cœli maledicta latentia Regi.
Comperit ergo dolum Cæsar, sensitq́ furorem,
Nec placuit certo sua tradere castra periclo,
* Fataq́ sacrilegis Romani subdere Regis.
Protinus è nostro præmissis agmine paucis,
Imperat infando tutos desistere cœpto,
Possessam sedem, * tumidamq́ relinquere mentem,
Infremuit vesana manus, lapidumq́ rotata
Imperiosa viros abigit mandata ferentes.
Intereant nostris sub eodem tempore castris
Ex Veronensi iuuenes duo plebe creati,
Hunc Isaac, hunc Carzabanum Verona vocabat,
Tempore qui longo regalia signa secuti,
Obsequio Regi se commendare fideli
Certabant, studioq́ pij placuisse fauoris:
Hos quasi concines, & ob hoc securiùs illis
Iure sodalicij pro Cæsare verba daturos,
Ire iubent proceres, mentiq́ ferocia corda,
Consilioq́ feras sæuorum frangere mentes.
Quos velut ignotos nihilominus impia turba
Exaudire negans, vt certos repulit hostes.
Ac nisi se certo redimat plebs nostra tributo,
Lorica, vel equo, pro quolibet antè relicto,
Et caput ipse suum multo Rex liberet ære,
Nunquam se* tutos aditus concedere, nunquam
Transmittenda locis vrgentibus agmina, iurant.
Visa fuit Regi miserabilis atq́ pudenda
Conditio, tactusq́ graui sic incipit ira:
O socij proceresq́, mei solatia casus,
Quos mundi dominos, & certo iure potentes
Imperiosa facit Romani gloria regni:
Cernitis in quantum maiestas regia tandem

Venerit opprobrium, post tanta negocia regni,
Post expugnatas armis victricibus vrbes,
Imperijq; sacro susceptam more coronam,
Post multas scelerum pœnas, cladesq; nocentum:
Cum iam vestibulum patriæ, primosq; penates,
Optatasq; domos reduces intrare paramus,*
Proh pudor, à paucis prohibemur inertibus, vltrà
Regali transire via, nec vertere cursum
Famæ, pudorq; sinit: nec longiùs ire nocentum
Sæuitia prohibente licet: pauciq; latrones,
Improba Romano poscunt à Rege tributa,
Cuius ad arbitrium dispònitur omne tributum,
Et Capitoliciam cogunt appendere summam,*
Quo caput in toto non est mage nobile mundo.
Non decet à timido redimi latrone metallo,
A quo sæpe rei, nullo licèt ære redempti,
Accipiunt propriam donato crimine vitam.
Nec me damna mouent, sed tristia fœdera terrent,
** Fœdaq; mansuræ fugio commercia famæ.*
Sed dabimus iustum, dabimus quandoq; tributum,
Quale decet Regem persoluere, ferre latronem.
State viri fortes: libet expugnare nocentes.
Aut hîc, aut nusquam gelidam transibimus Alpem.
Sic ait, & positis agmen consistere castris
Imperat, ignauos cupidus punire latrones.
Omnia versanti, quiddam rationis apertæ*
Incidit in mentem, veluti conscenderat antè
Turba nocens, ita posse suos super arduа rupis
Ferre gradum quocunq; modo: iuuenesq; ducentos
Pectora signifero sortissima tradit Othoni:
Hos iubet ex omni secretas parte petito
Ascensu, tentare vias. Paretur, & armis
Instructi leuibus, sed firmo pectore tuti

Magna-

Magnanimi iuuenes, siluas & confraga rupis
Vndiq; multiuago scrutantes limite lustrant.
Vix inter scopulos, & acutas deniq; cautes
Conspexére locum, quo se promittere tandem
Magna videbatur peragendi cœpta facultas.
** Protinus angusto nituntur ad ardua calle,*
Cautibus infringunt vngues, & si qua vetusto
Prominet è scopulo putri iam stipite radix,
Hanc nitente manu prendunt, humeroq; priorem
Subuehit, attollitq; sequens, primusq; sequentes
Attrahit, & studijs alterna iuuamina præstant.
At si forte viris præcisa semita rupe
Nulla patet, solitis ingentes nexibus hastas
Scalarum simulare gradus, suspensaq; longè
Non dubitant nisu vestigia ferre sub auras.
** Sic vbi cum summo vix eluctata labore*
Constitit in summa bellatrix rupe iuuentus,
Regia, quæ tacitus secum sub veste gerebat,
Signa potens erexit Otho, strepituq; feroci
Terribiles sonuére tubæ: clamore virorum
Hactenus ignoto mirantia saxa resultant,
Saxa ferùt antùm, fessusq; volantibus antè
Cognita, ventosis vix vnquam tacta procellis.
Obstupuit peritura cohors, vbi regia signa
Vidit, & adstantes summis in rupibus hostes
Quid faciant miseri? præruptis ardua pinnis
*Saxa fugam prohibent, * pugnã mala caussa, metusq;*
Impedit, & trepidæ tenuis fiducia dextræ.
Attonitos, penitusq; animi ratione carentes
Regius aggreditur miles, reliquiisq; peremptis
*Cum duce capta suo, * turpi bissena reseruans*
Corpora supplicio, grato pro munere Regi
Exhibet hos omnes: excepto scilicet vno,

Qui ſocios propria iuſſus ſuſpendere dextra,
Obtinuit miſeram regali munere vitam.
Gallus erat, nuperq; dolis adſcitus iniquis
Inſcius: huic parcens, aliorum guttura duro
Elidi laqueo iuſtiſſimus imperat vltor.
Sic cruce, vel gladio quingentos vltima mortis
Fata ſubiſſe ferunt: omnes ex ordine equeſtri
Ingenuos iuuenes, quos regia vulnera paſſos,
Supplicioq; ſuo cunctis exempla daturos,
Teutonus in magnos miles congeſſit aceruos,
Corporibusq; ſuis extincti, & ſtrage cruenta
Obſtruxére viam, quam viui fraude ſuperba
Tentauére pio fruſtra præcludere Regi.
At Rex Italiæ fauces, anguſtaq; clauſtra
Præteriens, placidum prima ſtatione Tridentum
Contigit: hîc multos natalia rura petentes
Dimittens, vicina petit placidiſſimus hoſpes
Mœnia Brixnoræ: mox illum Norica læto
Terra ſinu verſo reducem iam ſuſcipit anno.
**Hæc de tam multis generoſi Principis actis*
Credidimus nobis tenui tentanda camœna:
Ac veluti plena raros ex arbore flores
Carpimus, & paucas numeramus in æthere flammas.
Nam ſi continuo libeat perſcribere tractu,
Quicquid in Italiam tendens, aut inde reuertens,
Aut quocunque loco poſitus, tam fortiter ille
*Quàm ſapienter * agit, * quis iam, precor, omnia codex*
Hæc capiet? ſcriptórue manu properante notabit?
Non eſt exigui de tanto Principe vatis
Scribere: magnificum deſiderat ille Poëtam,
Nos animo tenues, & nullo robore fulti,
**Sudamus facilem magno ſub faſce laborem.*
Adde quòd abſenti de multis pauca referre,

Remq;

Remq; verecundo leuiter perstringere tactu
Sufficit: hi solidè possunt describere gesta,
*Quos * oculata fides, simul & præsentia facti*
Instruit, & notus falli non sustinet ordo.
Nos procul absentes, regalia cernere facta*
Cæsaris indigni, vulgata superstite fama,*
Paucula de multis tenui suscepimus aure.

Libri Quarti finis.

ARGVMENTVM LIBRI V.

Quintus in occursum redeuntis concitat vrbes
Principis, expansis hilarescunt oppida valuis.
Bellorum strepitus, incendia, damna, rapinas
Vindicat, & merita consumit clade nocentes.
Cumq; Palatino Comites bis quinq; potentes
Ferre canes scapulis fœdissima pondera cogit.
Omnibus in formam solida iam pace reductis,
Casta Beatrici partitur fœdera lecti:
Nominis antiqui patruo vir mitis honorem
Seruat, & esse nouum iubet Austria rura Ducatum.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE GESTIS FRIDERICI I. Ænobar. Aug. Lib. V.

ERGO sui reditu gaudens Alemanniæ Regis,
Maioremq; videns, quàm miserat ipsa redisse,
Fascibus, & summæ cognomine laudis onustum,
Eius in occursum proceres, populosq; fideles
Excitat, & totas deuotis mœnibus vrbes
Læta patére iubet, gratumq; impendit honorem.*

Sic quondam duri post multa pericula belli,
Thermodoontiaco referentem signa triumpho,
Adiecisse suis gaudentem plurima regnis
Theseа Cecropiæ reducem vidistis Athenæ.
Principis in patruo rapto constata Ducatu
*Baugariæ spirabat adhuc * vetus illa simultas.*
Hanc sedare nepos cupiens mitissimus iram,
*Vrbe Ratispona, * flagrantem dulcibus illum*
Conuenit alloquijs, multumq; diuq; laborans:
Non tamen eualuit veterem sopire querelam
Inter virumq; virum, solidamq; reducere pacem.
Ergo viris aliud super ijsdem rebus agendum
Colloquium statuit, quâ rura Boëmica primos
** Baugariæ fines communi limite tangunt.*
Dumq; locum Princeps, fieret mora ne qua per ipsum,
Colloquij peteret, finesq; accederet illos:
*Ecce * Ladeslaus, ductore Boëmia sub quo*
Tunc erat, Hermannusq; sacræ comes inclytus aulæ,
Cuius erat tumido tellus circumflua Rheno,
** Saxonicæq; potens Albertus Marchio terræ,*
*Occurrunt, * reducemq; (metu vel amore) salutant.*
Tantus quippe metus proceres inuaserat omnes,
Qui sua signa sequi, patriosq; relinquere fines
Abnuerant, tantus trepidantes terror habebat.
** Vt sibi quisq; nocens, & se quoq; Cæsaris ira*
Iudice iam dignus, læsum contenderet omni
Obsequio placare Ducem, quem laude venustum,
Insignem meritis, omni virtute decorum,
Terribilemq; reis, præcurrens fama canebat.
*Nam quanto terrore * sui post terga timentem*
** Liquerit Ausoniam Rector, quantumq; recedens*
Vrbibus Italicis incusserit ille timorem,
Legati fecére palàm, quos conscia culpæ

Ac metuens Verona suæ, post pauca secutos
Tempora, Teutonicam supplex direxit ad vrbem:
Quorum blanditias humiles, lachrymosaq; cautus
Tempore verba suo posthac memoranda relinquo.
Scilicet hanc in se maiestas regia iusti
Vim terroris habet, procul, an propè, præstò, vel absens,
Semper terribilis, semper metuenda, suoq;
Plena vigore manet, nulliq; impunè premenda
Creditur, & semper cunctis, & vbiq; timetur.
Hoc quoq; colloquio, proceres hinc inde sagaci,
Cæsaris imperio, rimantes pectore caussam,
Conatiq; diu tantos sedare tumultus,
Suscepto frustra tandem cessére labori.
Nam quamcunq; viri tentarunt cudere formam
Pacis, vt huic finem faceret transactio liti,
Spreuit, & in solita permansit Noricus ira.
Inq; salutato fremebundus Rege receßit.
Inde Ratisponæ rursum reuocata potentum
Principis accitu conuenit turba virorum.
Hîc vbi iudicio Procerum, iuriq; tenore
Saxona maiorum Princeps in sede locauit,
Omnes Baugariæ studio iurata fideli
Cum Duce prima nouo sanxerunt fœdera patres.
At populus claræ possessor, & incola sedis,
Non tantùm iurare Duci, sed & obside multo
Securam præstare fidem, compulsus ab illo
Paruit: hîc siquidem maiori fœdera cura
Sunt exacta Duci, quòd plebs ea fida priori,
Atq; nouo poterat domino suspecta videri.
Hîc quoq; multimodas dubia sub lite querelas
Emersisse ferunt: quas inter maxima penè
Hæc erat: Arnoldus tuus ô Moguntia præsul,
Hermannusq; comes, magnæ sub Principe summo

Acriter

*Acriter inter se conflictum litis agebant.
Nam dum Teutonicis Rector submotus ab oris
Ausonias premeret bello seu legibus vrbes,
Tantus in Arctoo belli furor arserat orbe,
Vt penitùs concussa suas Alemannia clades
Fleret, & absentem reuocaret sedula Regem.
Hæc quoq; cum multis, sed sortior omnibus vna
Finibus ex Italis Fridericum caussa reduxit.
Sed tamen in tanto totius turbine regni,
Tantò maiori pugnax Germania clade
Senserat istorum vires iramq; virorum,
Quantò maior eis erat editiorq; potestas.
Hos igitur Procerum strepitus, clamosaq; regni
Pectore sedato dirimente negocia Rege,
Ecce tui ciues, Isaac bene notus in aula,
Carzabanusq; simul, quorum (ni fallimur) * antè
Mentio præcessit, timido cum præsule sedis,
Tentamenta precum, placidas ad Cæsaris aures
Et populi mandata tui, Verona, ferebant.
Vtq; viris aditus datus est, coramq; * loquendi
Copia, facundo Præsul sic incipit ore:
Veronæ mandata tuæ, populiq; fidelis
Verba precesq; tibi, Romani maxime Rector
Nominis, eiusdem * vix dignus episcopus vrbis
Perfero: nec dubium mihi persuadere laborem
Eualuére priùs, quàm totus mente sub vna
* Ecclesiæ populus maioris in æde receptus,
Omnia quæ nobis ad te referenda dedissent,
Teste Deo, sanctiusq; * suis, promisit, & actu
Et plena seruare fide. quis crederet vllum
Fraudibus esse locum? poterant, si fallere vellent,
Alterius famam certo obiectare pudori,
Atq; alij mandare dolos, & parcere patri.

Sed

Sed quia[x] pura fides, nullo fucata colore
Mandatis inerat, placuit committere nobis.
Atq; ideo comites morum grauitate probatos
Adiecére viros, longo quos ipse fideles,
Agnouisse potes castrorum & temporis vsu.
Audijt, & doluit tumida feritate latrones,
Non ciues, Verona, suos, transire parantis
Insidias posuisse tibi. quis dicere ciues
Audeat, in proprium molitos impia Regem?
Qui violat ciuem, conciuis desinit esse,
Qui violat Regem, quis posset dicere ciuem?
Sed bene, quòd meritam subijt manus impia pœnam,
Et proiecta feras volucresq; cadauera pascunt:
Ossa peremptorum tumulis Verona negatis,
Atq; feros manes, & nomina * *sæua nocentum*
Damnat, & irati natos odére parentes.
Ac ne fortè tibi nostra videatur ab vrbe
Consilium prodisse doli, quocunq; iubebit
Regia nobilitas, sese promittit, & offert
Purgandam Verona modo, fideiq; probandæ
Spondet, & innocuæ certissima pignora mentis.
Nónne adstricta tibi sacro Verona tenetur
Fœdere? nónne tuas excepit prima cohortes,
Cùm peteres magnam felici milite Romam?
Nónne tuos iterum reditus, conuersaq; lati
Vidimus, & patrijs dimisimus agmina terris,
Quæ totiens gauisa tuis occurrere castris
Cernitur: infidam frustra ne dixeris vrbem.
* *Desine paucorum contagia morbida, quæso,*
In totum transferre gregem, culpaq; carentes
Exæquare reis: insontes culpa nocentum
Non trahat: ex propriis infesto subiudice factis
Præmia, seu pœnas meritorum quisque reportet.

Nos

Nos ſumus innocui, iuſtam quam debuit iram
Excepit ſcelerata manus: iam parce fideli
** Deuotoq́ tibi populo, potiusq́ rebellem,*
** Infidamq́ ſuis longo iam tempore Romam,*
Aut tumidam Ligurum totis pete viribus vrbem.
Nec dubita iuſtis Veronam adſciſcere bellis,
Et facias adhibere manus: quæcunq́ furorem
Cæſaris vrbs meruit, noſtram quoq́ ſentiet iram.
Dixerat, & comites plenis aſſenſibus ambo
*Adiecére ſuas * placando Cæſare partes.*
At Rex conſilio Procerum, ſub nomine certo
Exigit, vt fiſco iurent appendere, ſummam,
Et totis contra Liguriam viribus vrbem
Regia caſtra ſequi: ſic demum pace reperta,
Ad patrios fines veſtigia læta retorquent.
Inſtabat veneranda dies, qua Chriſtus in vna
Aequalis deitate Patri, ſine temporis ortu,
*Natus ab æterno, ſub tempore, * temporis auctor,*
Cœlitùs infuſa voluit de virgine naſci,
** Illic matre carens, iſtic nihil ex patre ſumens:*
Sic puer in cunis, Deus vt regnaret in aſtris.
Hunc celebrare diem digno meditatus honore
*Cæſar, * vbi illuſtrem legeret ſibi curia ſedem,*
Quæ poſſet pleno tot milia paſcere cornu,
Vvormaciam petijt, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis:
Vtraq́ frugiferis tellus vberrima campis,
Vtraq́ vinetis exuberat, vtraq́ pomis,
Piſcibus, atq́ feris, & cunctis rebus edendis.
Hîc vbi deuoto ſolennia pectore Princeps
Tempora tranſegit, tandem ſub iudice ſummo
Arduа tractari cœpére negotia regni.
** Fundere multiplices ex omni parte querelas*

Aſſi-

Aſpiceres, dubiasq; viros collidere cauſſas.
Quidquid ab alterutris abſentis tempore Regis
Pertulerant, queruli mixto clamore queruntur.
Sic domino peregrè poſt tempora longa reuerſo,
Commemorare ſolent lachrymoſa negocia ſerui,
Preſſuras q; ſuas, & iniquæ verberarixæ,
Alternosq; dolos, occultaq; crimina furti,
Et ſcelerum noxas, & quidquid nequiter actum
Enarrare valent, odio flagrante loquuntur.
Omnibus his placidas conſtantia Principis aures
*Commodat, & * validos tranquilla mente tumultus*
Temperat, indignans aliqua ratione moueri:
Oppreſſos releuat, pœna grauiore ſuperbos
Percutit, afflictis bonus, ac metuendus iniquis.
Tunc duo præfati proceres, Arnoldus, & alter
Aulicus ille Comes, multis vehementer in illos
Accenſis, Regemq; graui ſtimulantibus ira,
Ob ſua multiplici crudeliter acta reatu,
Iudicio victi, capitalis vulnera noxæ
Excipiunt: ac ni grauis ætas, & ſacer ordo
*Pontificem tutata forent, aut * ſanguine pœnas*
Solueret, aut ſummi pateretur probra pudoris.
*Quippe vetus mos eſt, * vti ſi quis Rege remoto,*
Sanguine, vel flamma, vel ſeditionis apertæ
Turbine, ſeu crebris regnum vexare rapinis
Audeat: antè grauem quàm fuſo ſanguine pœnam
Excipiat, ſi liber erit, de more vetuſto
Impoſitum ſcapulis ad contigui Comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre;
Sin alius, ſellam. Cuius diſpendia pœnæ
Ille Palatinæ cuſtos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare Comes, cunctiq; videndus
*Portauit ſcapulis * paſſus plus mille latrantem.*

Hanc

Hanc quoque tunc alij ſimili pro crimine pœnam
*Suſtinuére * decem Comites, totidemq; coacti*
** Fœda tulére canes generoſo pondera collo.*
** Cuius inauditæ pœnæ timor altus in omnes*
Irruit: vt nullus procerum præſumeret vltrà
Armata certare manu, ſed pace ſequeſtra
Iudicis arbitrio ſua quiſque repoſceret æqui.
Adde quòd inuictus diſcurrens vndique Cæſar,
*Prædonum caſtella iugis * horrentia ſummis,*
Et vix ſpectandas celſis in rupibus arces
Expugnare manu, ſparſisq; euertere muris,
Vrere vel flammis auidè properabat, & ipſos
** Artifices ſcelerum, regni turbare quietem,*
Et miſeros crebris ſolitos ſpoliare rapinis,
** Vel cruce, vel gladio, vel longo carceris vſu*
Perdere gaudebat, non exorabilis vltor.
Sic iam poſt tenebras, & ſæui triſtia belli
Nubila, Teutonici ſedato turbine regni,
Principis aduentus veluti noua ſolis imago
*Cœperat optatæ radios * effundere pacis.*
*Sola Ducum * ſtudijs exercita Norica tellus,*
Huius adhuc expers erat, impatiensq; ſalutis.
Iamq; dies aderat celeri reuolutа relapſu,
** Quam ſacer ipſe ſuo venerandam Spiritus orbi*
Præſtitit aduentu, cùm myſtica munera ſignans
Deſuper effuſo linguas diſtinxit in igne,
Inq; Palatini caſtro priuatus Othonis,
Octa ſepoſitis, curis Fridericus agebat.
*Hac * triduo tantùm ſecreta in ſede peracto,*
Ad ſolitas iterum curas, & publica regni
** Retulit, excluſo torpore, negocia mentem.*
Ergo Ratiſponæ patruum de fœdere pacis
Alloquitur: flectitq; virum, fortaſſis ab illis,

Quos

Quos propter rixas, iniustaq́ prælia, Regis
*Audierat sensisse minas, * exempla trahentem.*
Cumq́ reformata tantorum pace virorum,
Publica per totum florerent gaudia regnum,
Vt benè compositis rebus, perfecta decoris
Gloria, nullius defectu partis, adesset,
*Restabat, viduum * generosæ prolis amore*
Casta Beatrici sociare cubilia Regem,
** Quæ sibi per quasdam nuper traducta fideles,*
Teutonicas vrbes, & coniugis arua futuri
Principis accitu iam spe Regina tenebat.
Nam quæ prima viro, nec permansura potenti
Nupserat, illicito cognata recedere lecto
Iussa locum thalamis dederat, caussamq́ secundis.
*Hoc quoq́ * dissidium secreto cuncta regentis*
*Consilio prodisse potest, * vt fortè beata*
Principis in thalamos succederet illa Beatrix,
** Principe digna viro, prolem paritura beatam.*
Quam comes Allobrogum, Regum de gente vetusta
Ortus, & ipse suis Reinaldus clarior actis
Progenuit, moriensq́ tuos Burgundia fines
Orbatæ in teneris & pupillaribus annis,
Et validas vrbes, munitaq́ castra reliquit.
Hæc adeo tellus à sedibus incipit illis,
Qua Basilea suos vicino flumine muros
** Alluit, & Rhenum venientem læta salutat:*
Innumerosq́ tenens populos, hinc Gallica rura
Mordet: at hinc rigidis scopulosæ rupibus alpis
Arctatur, tractuq́ pari protenditur, vsq́
Quà rapidus primas Rhodanus maris influit vndas,
Quaq́ caput regni, sedesq́ fuisse vetusti
Fertur Arelatum, priscorum curia Regum,
Teq́ sibi iungens æquo Prouincia iure,

Hosted by Google

Nomen apud veteres regni titulumq; gerebat,
Cuius Arelatum sedes, & finis ab illa
Parte ferebatur, donec * suprema voluntas
Regis Rudolphi regnis accedere nostris
Iußit, & antiqui detraxit nomen honoris:
Vt iam non regnum, sed sit bona portio regni.
Has ibi metropoles, & * primi nominis vrbes,
Chrysopolim placidam, Lugdunum, siue Viennam,
Quaq; tuos spumante mari Prouincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis.
Chrysopolim Dubius, reliquas * prælabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.
Hanc comes antiqua veniens ab origine Regum
Guilhelmus quidam, Puerum quem fama vocabat,
Possedit, quem conspicuo produxerat ortu
Chunradi germana Ducis, quo fraude suorum
(Vt perhibent veteres) * humanis rebus adempto,
Proximus agnatus Comitis Reinaldus, & hæres
Legitimus, tantæ nactus moderamina summæ
Iure suo * nimirum, & claro sanguine fretus,
Teutonicos Reges, edictaq; sæpe vocatus
Spreuit, & Allobroges alijs sub Regibus esse
Indignum reputans, nimium memor ille vetustæ
Libertatis erat, Regemq; superbus agebat:
Donec ob innumeros fastus, sententia tandem
Vltrices in eum deprompsit regia vires,
Ereptamq; viro, regni sub iudice, terram,
Nomine Chunrado fisci concessit habendam:
* Vt quasi proscripto regni spretore rebelli,
Proximus extincto succederet ille nepoti.
Qui mox concessos armato milite fines,
Irrumpens, regale sibi defendere donum,
Et valida sancire manu tentabat: at ille

A patri-

A patribus ſuſcepta ſuis retinere laborans,
Plurima conſeruit diuerſo prælia caſu.
Has inimicitias, tandem ſub tempore noſtro
Regia ſopiuit tali ſollertia pacto:
Scilicet vt geminas illu in finibus vrbes,
Lauſannam, gelidaq́ ſitas in rupe Gebennas,
Bertoldus regeret, reliquas Reinnaldus haberet.
Hanc reor ob cauſam, regni pro parte vetuſti,
Maluit Allobrogum Bertoldus Rector haberi,
Quàm Comes in ſolito Reinaldus nomine manſit.
Hoc quoq; defuncto, tanti patris vnica proles,
Iure ſibi patriæ delatum ſortis honorem,
Magnaq́ ſub teneris moderamina ſumpſerat annis,
Eximio nuptura viro, generoſa Beatrix.
Ergo dato paſſim varias rumore per vrbes
Adueniſſe diem, quo feſta lampade Princeps,
Dignetur ſacri ſociam ſibi iungere lecti,
*Et * meliora nouis ſponſalia ducere fatis.*
Vndiq; magnifici Proceres, ad magna vocati
Conueniunt, vrbemq́ petunt, cui nomen ab herbis
Eſſe putant linguæ vulgaris origine tractum:
*Vt tanquam medij circa * præcordia regni*
Eximium celebretur opus, famoſaq́ ſedes
Illa locum tanto dignum concedat honori.
** Quanti Pontifices, quanti coiére potentes,*
Quæ facies procerum, quis honor, quæ gloria rerum,
Quisúe fauor populi, ſeu quæ deuotio cleri,
Qui velit expreſſis metiri ſingula verbis,
*Hunc ego * littoreas numerare fatebor harenas*
Poſſe, vel in magno radiantia ſidera cœlo.
Hoc rerum ſplendore ſacros Regina mariti
Venit in amplexus, Comites, Regesq́, Ducesq́
Felici paritura thoro, te maxime, qui nunc

Fortiter Ausonias vrbes Henrice regendo*
Grande tibi nomen primo nanciscerius æuo:
Et te Sueuorum ductor Friderice paterni,
Quod tua facta probant, dignissime nominis hæres:
Te quoq; cum magno præclaræ laudis Othone
Insignis Chunrade puer: cunctuq; minorem,
Sed non dissimilem morum probitate Philippum.
Hos equidem partu felici fœmina Princeps
Edidit, & plures generosa forsitan aluo
Terrarum dominos longè lateq; potentes
*Progenitura fuit, * si non florente iuuenta*
Inuida fallaces rupissent stamina Parcæ.
Heu mihi, quàm celeri dominatrix inclyta fato
Occubuit, viduumq; virum, prolemq; reliquit.
Iam tamen Augusto dominantes cum patre natos
Viderat, impressamq; tuis Henrice coronam
Temporibus: cum de toto semel orbe vocatos,*
Quanta nec antè fuit, nec creditur esse futura,
Moguntina suos aspexit curia patres.
Nondum collectos ad gaudia tanta potentes
Ad proprias sedes, nataliaq; arua reuerti
Passus erat Princeps: sed adhuc Hymenæa, sacroq;*
Carmina digna thoro, solenni curiæ plausit,
Et felix omen, votiuaq; festa canebat,
Cùm rediit Graia Stabulensis ab vrbe Guibaldus,
Legatiq; simul, Regis mandata ferentes.
Quitamen ob fraudes aliorum, quos priùs idem
* *Egregio Manueli orator miserat vrbis,*
Auribus, & facie tam læto tempore, tanti
Principis indigni, longè consistere iussi,
Expauére graues offensi Cæsaris iras.
Nam qui prædicti mandata priora tyranni
Ausonias vrbes, Ethruscaq; rura tenenti

Attu-

Attulerant Friderice tibi, gentilibus vſi
**Fraudibus, impreſſas falſo ſub nomine Regis*
Mendaces chartas ſibi confecére ſigillo.
Quos benè Rex habitos, poſtquam cumulauit honore,
Muneribuſq; datu, referendaq; fauſta tyranno
Verba ſuo, placidaq; dedit conſortia pacis,
Dimiſitq; viros: cùm regia ſigna remenſis
Alpibus audirent ad Tranſalpina rediſſe:
Protinus Appuliæ populos, & mœnia falſis
** Subreptiq; dolo Campana relatibus implent,*
Littoreas vrbes, ſeſe, vicinaq; Ponto
Oppida, munifico falſis à Principe ſignis,
*Accepiſſe probant: * ignauaq; pectora vulgi*
Fraudibus, & Graio corrumpunt nequiter auro.
His Comes Andreas Capuæ, proſcriptaq; turba
Nuper ab exilio noſtro ſub Rege reuerſa,
Atq; Canillenſis Robertus nomine quidam
Eximia virtute comes: ſeu gratia noſtri
Principis, aut odium Siculi, ſeu maxima merces
Impulerat, cœptis tota virtute fauebant.
Præterea dominis infidum ac mobile vulgus*
Pondera ſeruitij, Siculæq; tyrannidis optans
Abiecisſe iugum, ſceleri præſtare fauorem
Gaudebat, rerumq; ſequi momenta nouarum.
His opibus freti, Barum petiére, locumq;
Præſidij validam quam præmuniuerat arcem
Milite non pauco Siculus, certantibus armis
Oppugnant, capiuntq; manu, poſſeſſaq; bello
In ſua iura nouis traducunt mœnia fatis:
Non ſine clade tamen. nam maximus vnus in illis
Gaudia Palologus leto turbauit acerbo,
Cuius aromatico conditum corpus odore*
Turba comes patrio tranſmittit mœſta ſepulchro.

Bayerische Staatsbibliothek München

Hosted by Google

Iamq; per Ausonias vrbes vulgatus adusq;
Principis ingenuas rumor peruenerat aures,
Vel summum clausisse diem, vel pondere morbi
Guilbelmum proprij priuatum munere sensus,
Nec ratione frui, cunctasq; in finibus illis
Fœdere Graiorum deceptas fraudibus vrbes.
Quod satis indignum Cæsar, penitusq; pudendum
Duxit: & ingenti turbatus inhorruit ira.
Nam licèt à Siculo Romani nominis vrbes
Hactenus inuasas, mutilataq; regna doleret:
Turpe tamen magis hoc, & sœdius esse putabat,
Mœnia capta dolo, seductaq; turpiter astu,
Seq; sui falsa delusum nominis vmbra.
Nam quòd tam longa Siculum gaudere rapina
Tam patiens tulerat, iustamq; repressérat iram,
Hactenus occultis, penitusq; latentibus actum
Quis dubitet caussis? * vti tandem tempore nostro
* Aeternum veteri finem positura querelæ,
Nobilis è Sicula tibi Rex Henrice veniret
Nupta domo, gemini pax & concordia regni.
Forsitan hîc facinus commentaq; fraudis iniquæ
Graiugenumq; dolos, Graiorum morte piasset:
Aut inhonoratos, & probra grauissima passos,
Turpiter Argolicam repedare dedisset ad vrbem,
Ni bona pars Procerum, legatis parcere Regem
Censeret, * famamq; bonam præferre dolori.
Sic demum Graijs adeundi copia Regis,
Temporis atq; loci præscribitur ordine certo.
Non tamen inuicti fera Principis ira resedit,
Donec in Apuliam Proceres, vltricia regni
Iura uére sequi condicto tempore signa.
Iamq; graues vltrix Alemannia mouerat iras,
Magnaq; terrifico * properabat cœpta tumultu,

CHIN

Cum nouus ex Latio rumor, melior q̃ priori,
Hostibus extinctis, Siculo victore receptas,
Quas sibi subdiderant fallaciter, attulit vrbes,
Ergo aliò Princeps tantarum ponderarerum
Flectit, & in Ligures properat conuertere bellum,
Innumeras q̃ suo signatas nomine chartas
Destinat ad Proceres ita regia iussa ferentes.
* Si non perspicuis patuisset cognita signis
Vestra fides, multoq̃ priùs sudore labores,
Pignora sinceræ mentis manifesta dedissent,
Non ita securè vestrum peteremus, ad omnes,
Auxilium, diuersa ferunt quos tempora, casus:
Sed quia deuotos velut officiosa supremo
Membra decet capiti, nobis cognouimus esse,
Nunc hoc, nunc aliud mutato tempore vestris
Mandamus studijs: sic rerum postulat ordo:
Sic variat fortuna vices, nullosq̃ timemus
Ob decus Imperij vobis sociare labores.
Appuliæ bellum quod paucis antè diebus
Sanximus Herbipoli, vobis impunè remitto.
Præuenit siquidem nostros fortuna labores,
Magnaq̃ sublatis periére negocia caussis.
Altera iam nostros expectant bella lacertos:
Egregium virtutis opus, pulchriq̃ laboris
Imperij satiare minas, cunctisq̃ per orbem
Gentibus & populis, Ligurina sunditùs vrbe,
Vt decet, euersa, nostrum sancire timorem:
Quæ semper Latijs fallax, infida, rebellis
Regibus, & nulli docilis seruire potenti,
Præcipuè nostris tumefacta repugnat habenis,
Et quasi degenerem, * timidumq̃, & mente carentem
Contemnit, nec posse putat punire nocentes,
Quem nimis expositum veniæ, segnemq̃ malorum

Aſpicit in pœnas; * patientia noſtra timori,
Illa teſte, datur. Neſciu ha perdita, neſciu,
Quem ſtimules peritura virum: ſentire decebat
Te quoq; , quod ſenſit conſors & conſcia culpæ
Infelix Terdona tuæ: ceu corruit illa,
Tu quoq; victa * cades, tanto grauiore ruina,
Quanto * nunc alijs tibi firmior ipſa videris.
Paruacadunt leuius, non multa mole premuntur:
Magna ſub ingenti franguntur pondera lapſu.
* Nunc age, magnifici Proceres, ingentibus actis
Intrepidas adhibete manus: & iuſta ferentes
Arma, laboranti mecum ſuccurrite regno.
* Tutius eſt ferro iam putrida membra recidi,
Quàm partis vitio totum tabeſcere corpus.
Hæc eſt illa nocens quæ cunctas fortior vrbes
Perſequitur, noſtramq; premit ſine fine Papiam,
Quæ Cumam, Laudamq; , nimis vicina, perenni
Inſectans odio, crudelibus vrget vtramq; .
Terrificatq; minis, aliasq; ferociter armis
Euertit: preſſasq; tenens in puluere, victum
Non patitur releuare caput: regniq; ſuperba
Contemnit, ridetq; minas: quas odimus vrbes
Diligit, & contrà quas nos dileximus, odit.
Terdonæ veteres nobis prohibentibus arces
Erigit, & vetitas audet ſarcire ruinas.
Nec timet iratum, quem ſcit procul abſore Regem.
Nec putat vlteriùs noſtros ſentire recurſus.
Fallitur, & vano ducit ſolatia voto.
Sperato citiùs caſtris Ligurina prememus
Mœnia: completo bellum condiximus anno.
Tunc nobis meritas cogetur pendere pœnas:
Et quæ nunc alias tutatur & erigit vrbes,
Non niſi poſt longum tempus renouanda iacebit.

Ergo

Ergo viri fortes, vobis adſciſcite, quantas
Quiſque poteſtis* opes, vti cum ſe torſerit annus,
Totus apud noſtram coiens exercitus Vlmam,
Me duce per rigidam ſecurus & integer Alpem
Tranſeat, & *fortem ſatis impiger occupet vrbem.
Néue ſub hac ſpecie vos ad maiora vocari,
Aut Appenninum traduci fortè puteis,
Sit procul iſte metus: Ligurum non longiùs vrbe
Cogendum quenquam, per regia nomina iuro.
Interea ſolito belli fremebunda tumultu
Vrbs Ligurum, poſtquam natalia rura tenere
Comperit eiectæ regales Alpe cateruas,
Ticinum geminis incingere pontibus amnem
Adgreditur, pauidam ſolita feritate Papiam,
Ac circumpoſitos flammis ſimul atq; rapina
Depopulatur agros: *mortalia corpora ferro,
Confodit: aut duris adſtringit capta cathenis.
Lunellum renouat: Terdonæ mœnia raptim
Erigit: atq; nouas properat ſarcire ruinas.
Haud procul à tutis Ticini mœnibus alto
Fulgebant caſtella loco, de nomine certum,
(*Vingeuum ſcriptura vocat) nil tradidit vſus.
Hæc tunc Guilhelmus Ferrati Marchio montis
Mœnia ſeruabat, ſimul & Ticina iuuentus,
Præſidio ſubmiſſa loci: ſed ſortior hoſtis
Expugnata diu tandem munimina victor
Occupat, & captis multò vix obſide vitam
Indulgens, proprio componit fœdera nutu.
Quæ* tamen ob leges, & formam pacis iniquam,
Spreuit, & abiecto Ticinum pondere rupit.
Ergo vbi* feſtas ſuum cepérunt gaudia finem,
Protinus Herbipoli procerum cum parte relicta
Norica caſtra petens, ibi Rex ad tempus agebat.

 Hîc

Hîc, vt erant iußi legati Regis Achiuûm
* Notificant, quorum series ni fallimur hæc est.
Occurrére viro, mandataq; regia, Regi
Vxorem clara Regum de gente suorum
Spondebant, thalamosq; nouos & fœdera pacis
Perpetuæ, nexu solido firmare parabant.
Huic quoq; prædictæ restabat & altera causſæ.
Nam duce Boricio tumidorum Rector Achiuûm,
Nuper ad Hungariam magnum direxerat agmen.
Cuius, vt interijt bello pars magna cruento,
Cum duce fusa suo, Scythica pereunte sagitta,
Viribus ipse suis vindictam sumere cladis
Inualidus, nostrum, quem nouerat omnia posſe,
Orabat Regem, sæuis indicere bellum
Gentibus, vltoremq; suis adsciscere factis
Tentabat: sed cassa virum spes vtraq; lusit.
Nam meliora sibi thalami iam fœdera Rector
Iunxerat: * at bellum breue tempus, & altera belli
Fortiùs incumbens * priuati cura vetabat.
Inde Ratisbonam Princeps, & publica regni
Cura vocat Proceres, & rerum fama nouarum.
Hîc inter Regis patruum, Regisq; nepotem,
Hactenus occultam de pacis fœdere formam
Nunc tandem vulgare parant, & ferre sub auras:
Quæ qualis fuerit, rerum satis ordo docebit.
Nam patruus Regis, * per septem signa Ducatum
Ritè resignauit: quæ tradidit ille nepoti.
E quibus ille duo patruo tradenda resignans,
Austrica iura viro pariter cessura reliquit.
* Marchia tunc tellus erat hæc, nunc verò Ducatus.
Namq; volens prisci defendere nomen honoris
Rex patruo, cùm tres comitatus ille teneret,
His quasi compactis, & in vno corpore iunctis

Consi-

Consilio Procerum, celebrem dedit esse Ducatum.
** Néue secuturi factum subuertere Reges*
Aut reuocare queant, regali tuta sigillo
Argumenta Duci, monimentaq; certa reliquit.
** Vtq; bono pacis cunctas florente per vrbes*
Hæc quoq; regali frueretur munere tellus,
Vltima iuratam suscepit Norica pacem.
Sic velut antiqui reuocato tempore secli,
Aurea pacifico sub Rege reuixerat ætas.*
Sed quantum placidæ, firmata pace, quietis*
Præstiterat nostro Regis præsentia regno,
Italicis tantùm populis iniecerat absens
*Cladis: & * astrictos laxauerat antè furores.*
Sic dum dimidium tenebris absentia Solis
Infuscat mundum, reliquo præsentia lucem
Fundit, & alterno partitur lumine cælum.

Libri Quinti finis.

ARGVMENTVM LIBRI VI.

Sextus in indomitos regalia signa Polonos
Excitat: Herbipolim repetit post prælia victor.
Plena dolis Graios spreuit mandata ferentes.
Anglicus eximium mittit tentoria munus.
Chrysopoli positum Papalis epistola verbis
Ambiguis suspecta mouet. mox Norica Princeps
Rura petit: patruosque suos in fœdera cogit
Prisca: Labeslaum Regem creat ex Duce primum.
Pace domi facta, Ligures inuadere bello
Approperat: reuocatque suas in castra cohortes.

GVN.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE GESTIS FRIDERICI I. Ænobar. Aug. Lib. VI.

ERgo reformatæ post tẽporа plurima pacis
Nobilis arridens læto Germania vultu,
Dulcia sepositis tractabat gaudia curis.
Mutatos sese, mutatáq; secula læti
Credebant homines: cœli quoq; blandior (aura
Spirabat, meliorq; dabat sua munera tellus.
Non tamen in tanta Princeps ignaua quiete
Ocia carpebat, credens hoc * perdere tempus,
* Quo nihil adiectum regni prouentibus esset:
* Quamq; alijs dederat pacem sibi sponte negabat.
Ergo nouam nactus tentandi fortia caussam,
Constituit sæuis indicere bella Polonis.
* Hos, vt fama tenet, populos à cardine primo
Solis, & æstiuo Phœbææ lampadis ortu,
Vistula præcingens torrentibus alligat vndis:
At quæ fumantem mergi videt æquore Phœbum,
Hanc rapido cursu prælabitur Odera partem:
Quod latus imbriferos telluris respicit Austros,
Rura Boëmorum, syluis horrenda vetustis,
Tangit: ab arctoa Scythici maris æstuat ora
Fluctus, & indomiti sedem posuére Ruteni.
Hæc regio Sclauos complectitur, atq; Polonos,
Et gentes alias, quarum nec barbara nobis
Nomina, nec rigidi possunt notescere mores.
Terra suo munita situ, vix hostibus vllis
Armata tentanda manu: gens aspera cultu,

Terri-

Terribilis facie, morum feritate timenda;
Horrendo violenta sono, truculenta, minaxq́,
Prompta manu, rationis inops, adsueta rapinæ,
Vix hominum se more gerens, horrore ferino
Sæuior, impatiens legum, cupidissima cædis,
Mobilis, inconstans, acerrima, lubrica, fallax,
Nec dominis seruare fidem, nec amare propinquos
Sueta, nec affectu pietatis docta moueri.
Hæc partim natura dedit: partimq́, nocentes*
Tabida pestiferæ faciunt contagia plebis.
Nam quæcunq́ iacet Scythico breuis insula Ponto,
Qui tenet hanc populus, nec terram vomere sulcat
Frigore perpetuo sterilem, nec squallida duro
Rura ligone mouet, nec vitem copulat vlmo,*
Nec legit arboreos, autumni munera, fœtus:
Venatu tantùm, crebrisq́ alimenta rapinis
*Quærit, & * assiduis pirata senescit in vndis.*
At si quando famem penuria longa ciborum
Asperat (horrendum dictu, vix credere possum
Ipse quidem, sed rumor habet) sua membra vicissim
Pestifero miseri morsu lacerare feruntur:
Nec genitor nato, nec fratri parcere frater
Nouit, & elixa recreatur filia matre.*
Non tamen inuictam terræ populiq́ ferocis
Asperitas potuit Regis compescere mentem,
Quo minùs ad certos secura mente labores
Tenderet, & iustam vindicta pasceret iram.
Hæc siquidem tellus communi iure tenenda
** Funiculi sub sorte, tribus deuenerat olim*
Fratribus, egregij generis: sed nomina nostris*
Barbara legitimè nequeunt accedere libris.
Horum, qui reliquos ortu præcesserat vnus
Dux erat, & nuptam cognatam Regis habebat,

Nomine Gertrudem, Leopoldo patre creatam.
Cuius ob* inuidiam fratres ceruice rebelli
Abiecére iugum, pulsumq; è sede paterna
*Compulerant tota profugum discedere terra.
Ille sua pariter fugiens cum coniuge, Regem
Chunradum petijt: sceleratáq; facta suorum,
Ærumnasq; suas, ereptaq; iura Ducatus
Affini, Regiq; suo* deflebat: at ille
Imperiosa satis regni mandata, minasq;
Misit, & ereptos reddi præcepit honores.
Intumuére truces, nec regia iussa, nec acres
Exaudire minas, nec iam parere iubenti
Curabant: missisq; aljs, iterumq; remissis
Spernebant tumidi, fraternaq;* iura tenebant.
Sic Dux prædicto longùm sub Principe frustra
Fleuit, & * assidua mansit vetus exul in aula.
Ast vbi felici Fridericus regia gessit
Sceptra manu, * patruiq; loco suscepit agendum,
Quidquid inexpletum dubiúmue reliquerat ille,
Sæpiùs admoniti, nec tunc quoq; rapta iubentem
Reddere germano, timuerunt spernere Regem,
* Nec iurare fidem, nec prisco more tributa
Annua, quingentas curabant pendere marcas,
Omine non fausto: nam postquam* sæpe repulsa
Infremuit iusta patientia nobilis ira,
Agmina confestim rapiens per iniqua viarum,
Difficilesq; locos, & quos præstruxerat hostis
* Obicibus vastis aditus, peruenit adusq;,
Odera Germanos quà separat, atq; Polonos.
Hanc neq; Chunradus, neq; Regum tempore prisco
Distantem ripis, tumidamq; rapacibus vndis
Armata transire manu tentauerat vllus.
* At Rex inuictum, quod suscepisset agendum,

Nil

*Nil patiens, * ipſam quæ cunctis imperat, acri*
Ingenio feruens, naturam vincere tentat.
Protinus innumeras ſocijs contexere puppes
Imperat: vt rapidum toto ſimul agmine flumen
Exuperet, pariterq; viros tranſmittat, equosq;.
Obſtupuére rei, poſtquam ſua rura tenere,
Et ripam cunctis intactam Regibus antè
Conſpexére virum, vexillaq; regia campis
Irradiare ſuis: pauidiq; fugacia turpi
Terga dedére fugæ: quamuis ea caſtra Polonos,
Pomerios, Bruſcos, Parthos, ſimul atq; Rutenos,
Atq; truces populos Scythiæ totius haberent:
Néue ſecuturis optata cibaria tellus.
Præſidiúmue ferat, villas, atq; oppida tuta,
Caſtraq; per longos vix expugnanda labores
Exurunt flammis, ſpoliataq; rura relinquunt.
Nec minùs à tergo quæcunq; illæſa manebant,
*Vaſtabat Princeps: * hùs qui ſibi mente feroci*
Parcere noluerant, indignum parcere ducens.
Tum demum tumidis è fratribus alter, iniqua
Qui profugi fratris ſedem ditione tenebat,
Vt videt interitum tandem certumq; grauemq;
Aduenisſe ſuis irato Principe rebus,
Clamq; palamq; ſuos mittens, iterumq; remittens,
Sæpiùs accitos affatu ſupplice cœpit
Compellare patres, & deditionis apertæ
Principis arbitrio legem veniamq; paciſci.
Quam miſer hoc pacto tandem tulit, vt duo Regi
Millia marcarum, bis centum verò miniſtris
Penderet argenti marcas bis mille probati,
Mille alias proceres ſtudiorum præmia ferrent,
Bis centum ſacræ daret officialibus aulæ:
At tibi quæ rutilo fulgebas digna metallo

Corporis

Corporis ad cultum, generosi germinis aurum,
Viginti magnas daret, vxor regia, marcas:
Iuraretq; fidem Regi, dignumq; fauorem,
**Nec se de solio fratrem pepulisse paterno*
Dedecus ob regni iurando iure probaret:
Deniq; virgineam se præsentaret in vrbem,*
Staturus fratri summo subiudice regni,
Signaq; trans Alpes deuotus regia miles
Præuaricatricem Ligurum sequeretur ad vrbem.
Hic vbi iurando firmauit, & obside multo,
** Rursus ad obscœnos mores, vitiumq; recurrens,*
*Rupit, & * AEolijs dedit irrita ferre procellis.*
Nam neq; castra sequi voluit, neq; venit ad illam,
Quam Rex fraternæ liti condixerat, vrbem.*
Victor ad Herbipolis famosæ mœnia Princeps
Signa refert: ibi tunc alios rectoris Achiui
Legatos Graiæ portantes munera pompæ,
Verbaq; mandatis satis ampullosa superbis,*
Occurrisse ferunt: quos, vt ventosa loquentes,
Iactantesq; sui nimiùm magnalia regis:
Vrbano sermone diu gestire, benignus
Rector inoffensa patienter pertulit aure,
Spreuit, & irrisos probris fortasse lacessi
Dissimulans sineret, ni se peccasse fatentes
** Elati stultiq; viri, generosa potentis*
Fletibus & gemitu mouissent pectora Regis:
Iurassentq; simul, nunquam se talia regnis
Ferre suis, Graiasq; domi suspendere nugas,
Verbaq; cum patrijs phaleratа relinquere tectis,
Si quando nostram casus reuocasset ad vrbem.
Sic tandem tuti, vix tota mente recepta,
A summo petiére viro (nec tarda voluntas
Affuit) vt Princeps puerum præsentibus illis

* Accin-

*Accingigladio Fridericum ritè iuberet.
Hæc amitam pueri consortem Regis* Irenen
Argolici, mandasse, ac sæpe rogasse ferebant
Astipulante viro, propter consortia magni,
Quo pueri patrem fuerat complexus, amoris:
Donaq; largæ quidem tam nunc, quàm sæpiùs antè
Miserat egregij puero regina decoris,
Mandatumq; viris dederat, non antè reuerti
Quàm dominæ possent ea gaudia visa referre.
Nec minùs Henrici, sub quo tunc diues agebat
Anglia, contigerat legatos Regis adesse.
Hi quoq;* compositis mandata loquacia verbis,
Et preciosa suæ portabant munera terræ.
Quorum præcipuum miro spectanda decore
Scena fuit, cui nec similem videre priores,
Nec, reor, vlterius series ventura videbit.
Materiam quaris? peregrino stamine texta
*Creditur. artis opus? miras habuisse figuras:
Pondus? humo tolli manibus, nisiue nequibat;
Arte leuabatur: spacioſaq; iugera campi,
Multorumq; capax hominum, plus quinq;, tenebat.
Hæc igitur tanto radiantia dona decore
Regia mellifluis* ornauit epistola verbis.
Anglicus Augusto Rex* gaudia vera monarchæ
Optat, & æternæ felicia gaudia vitæ:
Sit tibi vera salus, Rex optime, semper ab illo,
*Qui bonitate sua dat Regibus esse salutem,
Inspiretq; tuo bona cœlitùs omnia cordi,
Cuius clausa manu Regum pia corda* feruntur.
Gratulor, & nostris meritò* congaudeo regnis,
Cùm tu cunctorum, quos cernunt sidera, Regum
Maximus, & toto nulli cessurus in orbe,
Fœdera nostra tamen, regniq; minoris, amico

Affectu, non ſperni ſopes: miſſuſq; frequenter
Muneribus, ſceptriſq;, potens nos Rector honoras.
** Munera grata quidem, ſed longè gratior illa,*
Quæ facit vt nobis ſint munera grata, voluntas,
Quæ ſeſe nobis de tanto culmine rerum
Inclinat, noſtræq; petit conſortia pacis.
Atq; ideo quidquid noſtris promittere regnis,
Aut feciſſe licet, deuota mente volentes
Spondemus, cupideq; tuo ſacramus honori.
Sit precor in populis pax, & concordia noſtris,
Vnus amor, ſincera fides, commercia tuta:
Obſequijs noſtris, ſtudijſq; fidelibus opto
** Vti ſæpe iuuet, rarò contingat egere:*
Auxilij quoties aut res, aut tempus egebit,
Viribus alternis ſuffragia grata feramus.
Sic tamen, hîc vt tu, qui me cunctoſq; per orbem
Præcellis Reges, ius arbitriumq; iubendi,
Vt decet, obtineas; mihi ſit parêre neceſſe.
Tamq; tibi placeat nobis facienda iubere,
Quàm nobis feciſſe placet: nec fœnora blandi
Quærimus obſequij, nec paruis magna latenter
Præmia captamus: * ſummo ſit gratia Regi,*
Incolumes ſeruamus opes, nullius egemus:
Regna vigent, fortuna ſauet, multiſq; timemur
Gentibus, & populis, Aquitanica me duce tellus
Vtitur, Andegauis Comitem vocat, Anglia Regem.
Non contra Reges alios, inopinaq; bella
Implor amus opem, tranquilla pace fruentes,
Pace tamen media fidos optamus amicos.*
De quibus, vt nobis liceat ſperare, quis autem
Vtilior, maiorúe mihi contingat amicus,
Quàm tu, quem toti Romana potentia mundo
Impoſuit Dominum, quem totus ſuſpicit orbis?

Mu-

Munera parua tibi, sed quæ placitura putaui,
Mittere cura fuit: tu fuscipe mente benigna
Quæ ferimus, missamq; tuis hanc, vsibus, opto
Semper habe scenam, quæ te, Dux maxime, velit
Protegat expansis, qui totum protegis orbem.
Nondum festinus mandata recentia lector
Prompserat, atq; alij regalia tecta subibant,
Quos Rex Hispanus, quos Gallia miserat, aut quos
*Dacus, & *Hungaricis Pannon qui præsidet *aruis,*
Quos alij proceres, magnum qui sparsa per orbem
Regna tenent, alijsq; procul dominantur in oru.
Istam quippe domum, nunquam sine plebe frequenti
Omnibus è terris, & ab omni gente profecta
**Inuenies: vt qui linguas, moresq; locorum,*
*Et quidquid toto *rarum contingit in orbe*
*Agnouisse velit, *nusquam perfectius illa*
Edidicisse queat sic plurima tunc quoq; turba
Hîc aderat, diuersa sonis, & moribus impar,
Munera certatim, mandataq; læta ferebant,
Et sua regna pio gaudebant subdere Regi.
Quos placidus Princeps blandis affatibus implens,
Responsis lætos, donis dimisit onustos.
*Inde *Viro placuit dotalia coniugis arua,*
Allobrogumq; domos motis inuisere castris.
Cuius vt aduentum præcurrens fama per vrbes
**Distulit, & rerum præconia magna peregit,*
Protinus Allobrogum proceres, multiq; potentes
Italici, Veneti, Tusci, simul atq; Latini,
**Vvascones, Hispani, seu quos Prouincia diues*
Misit, & Allobrogum contingens Gallia fines,
*Chrysopolim *celeres adeunt: ibi regia castra,*
Teutonicasq; Ducum placet expectare caterua.
Huc quoq; Romano celebres à Præsule missi

Legati venére duo, Bernardus, & ille
* Qui pòst in cathedra Rollandus nomine verso
Dictus Alexander, multos magnosq; tumultus
Pertulit Ecclesiæ, cuius sub tempore longum
* Schisma quater senos exarsit penè per annos.
His præter solitum census ingentis amorem
Quo Romana suos inflammat curia ciues,
Hæc quoq; causſa viæ fuerat: quia nuper ab illa
Sede gradum referens, famoso nomine quidam
Anglus, apostolica multùm dilectus in aula
Præsul, Teutonicis fœdè tractatus in oris,
Et spoliatus erat: nec adhuc crudele, recensq;
Flagitium, digna Princeps mulctauerat ira.
Reddita magnifico super hac re pagina Regi,
Plurima vana quidem, sed & * hoc monuisse putatur:
Vt memor impensi tanti sibi Cæsar honoris
Esset, & acceptæ Papa donante coronæ:
Nunquam Pontificem * collati muneris alto
Pœnituisse viro, nec si maiora dedisset
Præmia, * tristitiæ posthac oneríue futurum.
Hæc ideo Princeps non contemnenda, nec absq;
Pondere, suspectis credebat tradita chartis,
Quòd priùs Ausonijs dum versaretur in oris,
Audierat Latiæ diffusum plebis in ora,
Et vulgò dici solitum: contingere nulli
Regna Latina viro, nisi cui Romanus amica
Traderet illa manu Petri sub nomine, præsul.
Hoc quoq; Romanæ * præstans in sedibus aulæ
Vana * loquebatur, qua voce licebat, imago.
Hic à Romano mendax antistite pictor
Fecerat Imperij sumentem iura Lutherum,
* Stare genu flexo, nec non epigrammata vanus
Desuper addiderat, simulatis consona rebus.

Hanc

Hanc Adrianus ei, ne veræ ſemina cladis
Res ſimulata daret, penitùs delere figuram
Pactus erat: ſed adhuc minimi promiſſa laboris
Diſtulerat, fomesq; mali viuebat imago.
Ergo vbi magnificis acceſſit epiſtola verbis,
Admonuitq; virum: ſatis indignatus, ab illo
Imperium Princeps ſe ſuſcepiſſe negauit.
Cumq; refragari legati, & dicere contrà
*Tentarent, & falſa ſua pro parte * mouerent:*
Infremuére Duces, quos omnes aulicus ira
*Ille Comes præceſſit * Otho, gladioq; cruentas*
Acriter educto properabat ſumere pœnas.
*Sed Rex in media * famæ non immemor iræ*
Corripuit, tenuitq; viros, iramq; repreſſit:
*Et ſatis * implacidè dimiſſos, iuſſit eadem*
Qua venére via veſtigia tuta referre:
Ne tamen ad dextram ſit copia, ſiue ſiniſtram
Detorquere gradum, nec nocte diutiùs vna
Vno ſtare loco, donec referantur in Vrbem.
Vtq; hæc cauſſa ſuæ cunctis noteſceret iræ,
Protinus innumeris abſentibus acta libellis
Innuit, & tales properat dictare querelas.
Cùm mihi conſenſu diuina potentia veſtro
Imperium frænare manu, cunctisq; per orbem
Gentibus Auſonium dederit ſancire timorem,
Si quid opinato grauius dignúmue querela
Inciderit, veſtras iuſtis conqueſtibus aures
** Pellere non timeo: quorum me munere regna*
Et primò cepiſſe, & nunc accepta tenere
** Glorior & nunquam memorem gratúmue pigebit.*
Inde fit vt ſummi (modò dicere fas ſit) iniquos
Pontificis vobis cogar depromere faſtus.
Nam cùm Chryſopoli, magna cum plebe potentum

* *Consilium nuper summis de rebus haberem,*
Aduenére duo falsi de sede prophetæ
Romana, qui se mandata salubria nobis
Ferre paciscentes, & toti commoda regno,*
Dulcia miscuerant secreto mella veneno.
Nam cùm cœpta legi nobis à Præsule missa
Prima parte sui sapuisset Epistola pacem,
Protinus expressis ausa est subiungere verbis,
Illius nobis collatum munere regnum,
Imperij fasces, & sceptri iura dedisse,
Et gaudere datis, & si maiora dedisset,*
Nunquam Pontificem facti, doniúe pigere.
Quem cùm legati viua quoq; voce furorem
Adstruerent, tantis exarsit curia flammis,
Vt nisi sedato tumidis præsentia motu
Nostra tulisset opem, miseranda clade perissent.
Ecce paterna fides, & magni Præsulis alma
Integritas, humilisq; Petri vestigia sectans.
Iam non ferre crucem domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mauult, quàm Præsul haberi:
Ecclesiæ pacem, gladijs quæritè duobus
** Vtitur, alterutro nunquam benè firma remoto,*
Scindit, & in sese geminos exasperat enses:
** Dumq; sacerdoti conatur iungere Regem,*
Non vno tantùm contentus, lædit vtrumq;.
Quid voluére duo gladij, quos Petrus in illo
Indicat esse globo? totidem nisi nomina summi*
Iuris in Ecclesia: quæ cùm sibi mutua quondam
Fœderis alterni nexu, suffragia præstent,
** Sunt diuisa tamen: nec in vnum posse videntur*
Iuncta coire caput: nec eodem sæpe recurrunt
Instituenda modo, licèt vnus vtriq; sit auctor.
** A quo nomen habet sub cœlo quæq; potestas.*

Alter

Alter honos cleri conſenſum poſtulat : alter
Arbitrio Procerum, regniq; fauore paratur.
Ergo quid ad ſummum de regni iure, quid, oro,*
Pontificem ſpectat? nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit, excepto cœlorum Rege, poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam, diuinaq; iura
Temperet; Imperium nobis faſcesq; relinquat.
** Adde, quòd infandum tractantes pectore votum*
**Latores apicum, mandatorumq; ſequeſtri,*
Diuinas ſpoliare domos, ſacra tollere vaſa,
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurum:
Omnia quæ poſſent auidè corradere ſæuis
Vnguibus, & ſecum collecta referre parabant.
Vtq; minus cautos mendacibus angere poſſent
Ac terrere notis, impreſſo plurima ſigno
*Deprenſa eſt * vacuis apud illos pagina chartis,*
Suſceptura nouas quas vellent cunq; figuras.
At nos Teutonico cupientes parcere regno,
Et ſimul iniuſtas cleri prohibere rapinas,
Vertere peſtiferos à primo limine greſſus
Iuſſimus, & vacua luſos repedare crumena.*
Vos (age) nunc Proceres, quibus hanc auctoribus au-
Imperiumq; rego, præſens iniuria quæſo (lam,
Aſperet, & iuſtos mecum ſtimulate dolores.
Interea magnos Proceres, Burgundia diues,
Pontificesq; ſuis excitos ſedibus vltrò
Regis in occurſum commouerat : omnia latè
Oppida, ſeu validis munitæ turribus vrbes,
Excipiunt illum valuis reuerenter apertis,
Quæq; relicta ſibi iam libertate vetuſta
Gaudebat tellus, venientem milite pauco
Agnoſcit dominum ſupplex, Regemq; fatetur.
Ipſeq; Pariſiæ moderator & arbiter aulæ

Milite cum multo (dubium, pacatus, an hostiu)
Colloquij cauſſa Regem Ludouicus adibat.
Aſt vbi diſpoſitis illum dot alibus aruis
Teutonicas reuocaſſe gradum cognouit in vrbes,
Regia magnifico pacis ſub imagine faſtu
Miſit, & aqua ſuis ab eo mandata recepit.
Iamq; tuos Cæſar peragrans, Germania, campos,
Saxoniæ fines, claramq; intrauerat vrbem,
Quam priùs infidis condixerat ille Polonis.
Quos vbi velle dolum, iuratáq; pendere parui,
Indefenſa fidem cunctis abſentia fecit,
Signa Ratisbonam ſua fert, vbi magna coibat
Concelebranda patrum ſolenni curia cœtu.
Huc quoq; Pannonijs legatio venit ab oris,
Verba, precesq; ferens * Geiſæ ſub nomine Regis.
Huic ſatis in teneris adoleſcens ſtrenuus annis
Frater erat Stephanus, quem Rex ad culmina regni
Aſpirare dolo Bela ſuaſore, ferebat.
Hic placido cultu puerum nutriuerat, vt qui
* Vir bonus & prudens, & auunculus eſſet vtriq;.
Hunc quaſi ſuſpectum regnis, & facta parantem
Impia, Rex odijs vexabat frater iniquis.
* Impoſitoq; ſibi funeſtæ crimine fraudis,
Teſtibus, & falſis iuuenem damnare parabat
* Iudicijs, odiumq; furens ferale coquebat.
At puer in magno ſpem tantùm Cæſare ponens
Rebus opemq; ſuis, ſolum ratus eſſe ſub aſtris
Qui velit, aut poſsit tumidos arcere tyrannos,
Hunc adijt, tumidiq; graues, quas ſenſerat, iras
Fratris, & indigno fœdatam crimine famam,
Exiliumq; ſuum deſiens: inſignia magni
Corda viri, crebris tandem permota querelis
Impulit, vt ſæuo fratri mandata, minasq;

Scri-

Scriberet, & iuuenem famæ, domuiq; paternæ
Restitui, falsò læsum rumore, iuberet.
Ille furens odijs, & gaudens fratre remoto,
Cuius erat prohibitas animi suspecta nocenti,
** Excusare suam fraterno crimine culpam,*
Inuidiamq; sui cupiens lenire furoris,
Hæc Regi mandata viros perferre fideles
Iussit, & Augustas his fallere vocibus aures:
Germanum, quo adusq; nihil crudeliter egit,
Vel latuére doli, consorti fœdere iuris
Participem, nulloq; modo, nisi nomine tantùm,
*Partiri quod nemo potest, * habuisse minorem:*
At postquam durum patuit scelus, illud amicè*
Non potuisse pati: nec tunc quoq; sæuius actum,
Aut grauiùs quicquam, quàm quòd iam fraudè re-
Cautus ab infido se subtraxisset amico. (perta,
Illum (cùm posset tutus mansisse) coactam
Sponte sua simulasse fugam, caussamq; doloris
Esse, quod incœptos nequeat patrare furores.
At Rex huic finem nequiens imponere liti,
Cùm maiora premant priuatæ pondera curæ,
Distulit, & iuuenem Veneti per stagna profundi
Prouidus Argolicam seruandum misit ad vrbem.
** Hoc quoq; conuentu Procerum, Dux ille Boëmus,*
Fama Labeslaum quem nominat, ob sua gesta
Fortiter, & bello nuper spectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, gessitq; potenti
Sceptra manu, cinxitq; nouo diademate crines.
Protinus ad patrias vestigia Rex nouus vrbes
Retulit Italico pactus sua robora bello.
Nec minus egregium dictu, pulchrumq; putamus,
Quod patrui Regis, Dux Austricus, atq; Frisingæ
Præsul sedis Otho, studio, curaq; nepotis

In pacem rediére bonam, quos antè ferocès
Irarum ſtimuli, fraternaq́ rixa cruentis
**Vexabant odijs, cùm Dux abrumpere quædam*
Fratris ab Eccleſia per vim tentabat: at ille
Priſca ſuæ ſedis certabat iura tueri.
*His benè compoſitis * Ripuaria Cæſar in arua*
Tendit, & extremos Rheni percurrere fines
Accelerat, pacemq́ locis, & iura reformat
Gentibus, hanc cunctis gaudens præponere curis,
Ne qua parte ſui nutantia regna relinquat
Rector, ad Italicos moturus ſigna labores.
*Rurſus Vangionum campos, * Luthramq́ reuiſit,*
Regalesq́ ſibi quos ſtruxerat ipſe penates
Incoluit paucis ſedata mente diebus.
Dum ſibi conſilio ſanctorum cuncta virorum
*Ritè gerenda putans, * vicinis munera larga*
Erogat Eccleſijs: turbæq́ benignus egenti
Dilargitur opes: autorem nactus in hac re
Hermannum, meritisq́ grauem, formaq́ venuſtum,
Sanguine conſpicuum: qui tempore præſul eodem
Brixinenſis erat, cunctis quos Teutona tellus
Tunc habuit, claræ prælatus nomine famæ:
Vnde viri monitis ad magna negocia tendens,
Diuinam ſtudijs Princeps à ſeq́, ſuisq́
Tentabat caſtris auertere mitibus iram.
Iamq́ procelloſis aquilonibus aëra molles
Abſtulerant Zephyri, ſenij cum frigore pulſo
Grata repubeſcit iocundi temporis ætas,
Dum viret omnis ager, telluſq́ decore reſumpto,
Floribus, & viridi iuueneſcere gramine gaudet,
** Cùm iam deſuetos poſt ocia longa iuuencos,*
Cura laboriferi cogit iuga ferre coloni:
Quæq́ diu tutæ tenuit naualia ſedis,

Nauta

Nautaratem dubias pelagi deducit in vndas,
Magnaq́ pro regno gesturi prælia Reges
Fortia, belligeras reuocant in castra cateruas:
Cæsar ad Italicum iam se procingere bellum
Apparat, & validas castris accire cohortes.
*Ne quatamen puram culpæ contagio caussam
Infuscare queat, sanctos adscisscre patres,
Et iustæ caussas exponere mal t iræ.
Qui postquam stimulos iamdudum bella volenti
Adiecére nouos, iustumq́, piumq́ * fatentes,
Nomine quod regni geritur sub Principe bellum,
Protinus accensa stimulis grauioribus ira
Feruet, & * vltorem veniæ spe tutus adepta
In Ligurum pœnas Princeps accingitur ensem.
Iamq́ gradu refugo Romam sine laude reuersi,
Terribiles nostri legati Principis iras,
Quæq́ sua trepidi tulerint discrimina vitæ,
Quantaq́ probrorum conuicia, cuncta gementes
* Addiderant Adriane tibi, mœstoq́ relatu
In Regem nimias acuebant Præsulis iras.
Iam tunc Romani partes dissensio cleri
Fecit, & in geminum secessit schisma fauorem:
Hi legatorum partem, Papamq́ sequuntur.
Ast alij Regis pulchrum & laudabile factum
Excusant, fortemq́ vocant, dignumq́ corona:
Ac velut elatos culpant, nimiumq́ tumentes
Dissidij caussam fomentaq́ prima dedisse.
Illa dies caussam, momentaq́ prima malorum
Præstitit, & * longo victuræ tempore pestis.
*Principis, an Papæ fuerit pars iustior, alter
Qui melius potuit cognoscere, iudicet: at nos
Ignari rerum, partem veneremur vtramq́.
At præsul * subita nimiùm quoq́ feruidus ira,

Præsu-

Præsulibus nostri tam sæua piacula regni,
Contemptusq́; suos mœstis deflere querelis
Accelerans, tales ferri iubet vndiq; chartas.
Si satis vnanimes in Christi nomine fratres
Estis, & eiusdem proles certissima matris,
Contemptus nostros, & sacræ scandala vobis
Credimus Ecclesiæ magno ventura dolori.
Quam malè legatos maiestas regia nostros
Audierit, quantaq́; furens exarserit ira,
** Vnius falsò decepta interprete verbi,*
Vel qui præsentes aderant videre: vel absens
Si quis erat, potuit certiùs audire relatis.
At nos, teste Deo, quòd sceptrum, iuraq́; regni
Diximus à nobis illi collata fuisse,
Non donata quidem, potiùs sed tradita nostro
Illa ministerio, vel ei commissa, per illud
Credidimus verbum sat rectè posse notari.
Nunquid ob ambigui suspecta vocabula dicti,
Debuit in tantam succendi filius iram,
** Verbaq́; mandatis opponere dura paternis?*
Adde, quòd eximio famosos nomine nostri
Custodes lateris tanta feritate lacessi
Pertulit, vt gladios, & sæua pericula mortis
Vix fugerent: vetitosq́; vltra procedere, tristes
Turpiter, ac trepidos ad limina sacra remisit.
Néue quis ad nostram toto de corpore regni
Audeat vlla sui deferre negocia sedem,
Obseruare aditus, angustaq́; claustra viarum
Dicitur, & mediam positis custodibus Alpem.
At vos, Ecclesiæ fortes validæq́; columnæ
Pontifices (neq; enim vestris hoc credere fas est
Actum consilijs) vos hæc iniuria tangat:
*Proq́; * Dei fortem stabiles opponere murum*

Ne trepidate domo, ſolida quæ, præſide Chriſto,
* Ædificat a petra, quamuis concuſſa procellas
Sentiat, euerti tamen, & ſuccumbere neſcit.
Ac primò iuuenem monitis inflectere Regem
Curaſit, vt tantum properet purgare reatum,
Autoresq; mali rabidæ feritatis Othonem,
Reinaldumq; ſimul: quorum Comes aulicus alter,
Alter in Eccleſia * falsò iam nomine culmen
Pontificale tenet: famoſi criminis vltor
Corrigat, & digna manifeſtè puniat ira:
Obſequiumq; Deo, nobis impendat honorem,
* Illis ſpem veniæ, cunctis exemplare linquat.
Talibus acceptis à ſummo Præſule chartis,
Pontifices, vno ſic reſcripſére tenore:
Scimus, & à Domino ſtabili promiſſa tenemus
Indubitata fide, nunquam de ſede mouendam,
Quam Petrus in ſolida fidei conſiſtere inſſam
Protegit Eccleſiam Chriſto ſub præſide petra.
Cum tamen inſolitis ſedes Romana procellis
„ Concutitur, * capiti totius corporis angor
„ Condolet, vniusq; dolor transfertur ad omnes.
Hinc fuit, alme Pater, cum regia pectora nuper
Illa recens dubijs mouiſſet epiſtola verbis,
Cùm fremerent regni Proceres, ſtrepituq; feroci
Obſtruerent ſtupidas inſuetis vocibus aures,
Vt neq; fulmineam, te contra, Principis iram,
Et ſæuas ſtimulare minas, nec rurſus in illum
Munimenta tuæ parti præſtare liceret.
Vt ſi fortè nouo lunam concurrere ſoli
Ætheris impulſu mirantia ſidera cernant,
In neutram belli ſecedere territa partem
Forſitan audebunt, & compatientur virique.
Hunc velut innato, proprioq; calore timendum

Horre-

Horrebunt; isti placidæ magis, atq; labore
Assuetæ socio densas purgare tenebras,
Præstabunt tacitum, nil ampliùs ausa, fauorem:
** Sic nos Cæsareas & formidauimus iras,*
Et tibi, quà licuit, fauit secreta voluntas.
Illa tamen dubij sensus defendere verba,
In tanto Procerum fremitu, medioq; furore,
Omnibus infestis, nullo præsumpsimus ausu.
Quæ super hæc nobis mandata legenda dedisti,
Legimus, & monitis cupidi parêre paternis,
Protinus ammonitu regalia pectora blando,*
Iamq; soporatas precibus demulsimus iras:
Cuius, vt expressas possis agnoscere voces,
Dulcibus alloquijs ita respondisse putato.*
Imperium geminis disponitur, inquit, habenis,
*Legibus, & veterum seruato * tramite morum:*
*His ego contentus, * fines transire paternos*
Nec volo, nec possum: neq; enim prudentior illis
Laude superuacuæ cupio, vel maior haberi.
Debita Pontifici faueat reuerentia: regnum
** Legibus antiquis, & prisco more regatur:*
Cuius ab æterno tantùm collatio Rege
Prouenit: ad Proceres electio pertinet, in qua
** Præcipuam vocem præsul de iure vetusto*
Moguntinus habet: pastori prima recentis
Agrippinatuo conceditur vnctio Regis:
Imperij nitidam summo sacrare coronam,
Pontifici ius est: vt vero nomine possit
Non dator Imperij, sed confirmator haberi.
Hæc ego magnorum suscepi iura parentum,
*Hæc retinere libet: * si quis superaddere quisquam*
Nititur, inualidum prorsus vacuumq; relego.
** Sunt sua iura patri; diuinis legibus orbem*

Tempe-

Temperet: Eccleſias, quo debet iure, gubernet:
Cogitet antiquos primæui temporis annos,
Præteritosq́; dies, & ſecula priſca reuoluat:
** Num Petrus? aut Clemens? num cætera turba prio-*
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco (rum
** Pauper erat Præſul; regali* munere creuit:*
Nec tamen vt faſces, & regni iura Latini,
Vel dare præſumat, vel cuiquam tollere poſsit.
Exceſſére modum magnorum munera Regum,
Si tantum cuiquam ius in ſua regna dederunt.
Sed neq; tanta fuit largitio, nec dare quiſquam
Quo caret ipſe poteſt: huius collatio regni
Autorem ſortita Deum, contingere nulli
Iure poteſt hominum: collator muneris huius
Eſt Deus: hoc ſummis regnum confertur ab aſtris.
Hoc tamen arbitrium Romanus tempore noſtro
Vendicat Antiſtes, documentaq; vana figuris*
Exprimit, & chartis dat grandia verba ſuperbis.
Iamiam picturæ moneo tollantur inanes,
Cautaverecundis miteſcat epiſtola verbis.
Iam veris tractare libet: iam muta loquaxúe
Cedat, & è medio mendax tollatur imago.
Quid ſua verba ferant ſtudeat penſare priùs, quàm*
Regales incautas manus reprobandáue tangant,
Si cupit Eccleſiæ pacem cum Regibus eſſe.
Nec ſumus ignari, patri quid filius, aut quem
Debeat ille mihi verſa vice iuris honorem.
Legatos ſiquidem minimè procedere paſſi,
** Non in contemptum diuini* patris ad Vrbem*
Iuſsimus, aut odio, veſtigia verſa referre:
Sed quia multa nouæ ſecum molimina fraudis,
Vel iam ſcripta notis, vel adhuc ſcribenda ſerentes*
Optabant miſerum premere atq; exugere clerum,*

Diuinas

Diuinas ſpoliare domos, ſecumq; referre,
Quo nunquam Romana ſitis ſatiabitur, aurum.
An pulchrum ſatis eſt, & ſummo præſule dignum,
Impreſſas ſigno vacuas emittere chartas,
Quas poſſit lator * varijs inſcribere nugis
Cùm volet, & miſeris falſas * affigere culpas,
Laturus veram ficto pro crimine prædam?
Nam quòd me queritur, poſitis cuſtodibus, omnes
Præcluſiſſe vias: nec me feciſſe negabo,
Nec niſi propenſa factum ratione fatebor.
Si quis habens cauſſam, ſacra limina, iure probatam
Vel peregrinus adit, via liberaritè patebit:
At ſi quis nugas, pacis turbator, inanes
Illuc ferre cupit, nuſquam tranſire licebit.
Hæc de reſponſis * diui, Pater optime, Regis,
Salua pace tua, tibi reſcribenda putamus.
Nam quæ præterea ſuperaddidit, vtpote quoſdam
* Pactorum tacitus ignaro Principe leges,
Contractuſq; nouos, & conſpirata latenter
Fœdera cum Siculis, melius reticenda videntur.
Ille Palatinus iam tunc à Principe noſtro
Regius Italicas veluti præcurſor ad vrbes,
Non aderat præmiſſus Otho: Reinaldus, eodem
Accelerare paræns, multis præſentibus antè
Immunem culpæ, populiq; furentis ab ira
Protexiſſe viros, multo ſe teſte probauit.
Nunc, age, tranquillæ, ſanctiſſimè, pacis amator,
* Iuſtitiæ ſpeculum, placidorum ſanctio morum,
Nunc, age, depoſita, ſi quam dolor intulit, ira,
In melius mentem reuoca: nobisq;, tibiq;
Conſule: neu placidam mundi turbare quietem
Eccleſiæ regniq; grauis diſſenſio poſſit:

Mitior

Mitior Auguſtas mittenda videtur ad aures,
Quæ tantos animi compeſcat epiſtola motus.

Libri Sexti finis.

ARGVMENTVM LIBRI VII.

Septimus Auguſtæ conuentum indicit: & inde
Intrat ad Italiam ſummos ſumpturus honores.
Hinc Graiûm fraudes memorat, legataq́; Papæ,
Atq; interceptos comites, reſcriptaq; narrat.
Dacorum Regi donantur ſceptra, & ab arcto
Conueniunt gentes, Ligurum & contendit ad vrbem:
Scribuntur leges: Proceres hortatur: & ira
In Ligures totus candet fortiſſimus Heros.
Acriter ad Trecium pugnatur, & obſidione
Mœnia cuncta quatit, portas turresq́; refringit.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE GESTIS FRIDERICI I. Ænobar. Aug. Lib. VII.

Tamq́, profecturis ad magna negocia ſignis
Rhetica rura tenens multo cum milite Princeps,
Quà celer Auguſtam placido Licus irrigat amne,
Proxima Vindelicæ tentoria fixerat vrbi.
Hic ex diuerſis venientia partibus orbis
Agmina, ſeptenis placet exſpectare diebus.
Cuius vt aduentum tanta Romanus in ira
Comperit Antiſtes, vera tunc deniq; fama
Territus, Henricum præmittens, atq; Hiacynthum
Ire iubet, placidisq; virum mulcere loquelis,
Scriptaq; pacificis minùs aſpera reddere chartis.

Hosted by Google

Nam iam cum valido prudens Reinaldus Othone
Italiam, finesq; tuos Verona tenebant.
His sine Marte viris ingressu Riuola primo,
Inuictum nullaq; manu superabile castrum,
Traditur, aëriæ primis in faucibus Alpis
Extructum: ditione sua Verona tenebat.
Contulit his multum, gratosq; sequentibus vsus
Præstitit, vt tuto transirent agmina gressu.
Tum quascunq; viros vrbes, aut magna subire
Oppida contigerat, populis gaudentibus vltrò
Exceptos, læti decorabat cultus honoris.
Tunc Proceres, clariq; viri, turbæq; minoris,
Ambitiosa manus, studio deuota fideli
** Sacramenta dabant, cunctas seruanda per vrbes:*
Principis Ausonij ius, famam, corpus, honorem,
** Nec se læsuros, & si quis lædere tentet,*
*Vsq; vel ad mortem * tota virtute reniti.*
Inde tuos raptim transcurrunt Mantua fines,
Mantua famosi musa vulgata Poëtæ,
Vicinamq; petunt, acturi magna, Cremonam,
Quam Padus effusis delambit molliter vndis.
Huc ex Italicis confluxerat vrbibus ingens
Pontificum, Procerumq; manus: reuerenter ab illis
Susceptura sui mandata recentia Regis.
Quæ postquam quanto decuit splendore diserti
*Exposuére viri, placidaq; * hic aure verendi*
Suscepére patres, magno complenda fauore,
Inde per Æmiliam vestigia versa ferentes,
Te Rauenna petunt, legatos Regis Achiuûm,
Quos apud Anconam positos, hostilia quædam
Moliri audierant. (horum Palæologus ille,
*Hic * Logotheta fuit) cœptis arcere parantes,*
Hi contra Siculum specie tenus arma mouentes,

Præ-

Prætextu belli furialia vota tegebant.
Nam quæ littoreis ſtabant in finibus vrbes,
Conciliare ſuo, noſtroq; abrumpere regno,
Arte, dolo, belliué metu, precioúe parabant,
**Venalesq; manus, & municipalia caſtra*
Conflabant multo, quod Græcia miſerat, auro.
His bellatricem iuuenum Rauenna cohortem
Improba, conductis meritur am miſerat armis:
Vt plebs illa nihil cum ſpe mercedis iniquum
Iudicat, oblato nihil eſt quòd abhorreat auro.
*Inde *reuertentes, cùm iam ſua mœnia tuti,*
Vicinasq; vrbis portas intrare pararent,
Occurrére viri, dignaq; ferociter ira
Correptos ſæuo circumſtrepuére tumultu.
Ductor erat iuuenis Guilhelmus nomine quidam,
*Tranſuerſorq; malus, vero * cognomine forſan,*
Quòd quaſi fraude mala tranſuerteret omnia, dictus.
Hunc licet ante fores vrbis, medioq; ſuorum
Agmine, regalis noxæ non impiger vltor,
Nec numero comitum, ſed regni feruidus ira
Irruit: & medium forſan mucrone cruento
Confodiſſet Otho: niſi multo deniq; fletu
** Ignauæ plebis pariter, precibusq; ſuorum*
Euictus, trepido, ac ſeſe peccaſſe fatenti,
*Donaſſet * miſeram magno pro munere vitam.*
His quoq; dimiſſis, Anconæ proxima ſortes
Caſtra viri ponunt, Græcosq; potenter ab vrbe
Accitos, regniq; minas, & iurgia paſſos
Tanta, quòd iniuſſu Romani Principis auſi
Ambiguis ſuſpecta dolis incepta mouerent,
Argolicæ ſecum fraudis commenta referre
Ocyus, & toto iuſſére recedere regno.
Qui poſtquam Graiæ pepulerunt ſcandala peſtis,

Conuerſo repetunt Mutinenſia mœnia curſu.
Huc, Adriane, tuos regalia caſtra petentes
Legatos, perfuſa Pado Ferraria miſit:
Quos vbi tranquillos, mandataq; pacis habentes,
Atq; reformandæ paci veniſſe ſequeſtros
Agnouére Duces, ad cœpta negocia tutos
Dimittunt, placidumq; ſinunt explere laborem.
Ergo Tridentinæ tuti cum Præſule ſedis
Prætereunt rigidas anguſtis faucibus Alpes:
Qui tamen illæſas ad regia Cæſaris vſq;
Caſtra viris præſtare vias, tutasq; nequiuit.
Nam duo belligeri Comites, crebrisq; rapinis
Adſueti (quorum hic pugnax Henricus, at illum
Nomine vulgato Fridericum fama vocabat)
Nudatos ſpolijs, captosq; in dura feroces
Vincula conijciunt, tam qui ducebat euntes,
Quàm qui ſe tutos illo ductore putabant.
Nec priùs emiſsi, proprio quàm fratre Hiacynthus
Obſide depoſito, ſeſe, ſociumq; laboris,
Præſule detento, miſeranda ſorte redemit.
Mox tamen & nutu diuino Præſul, & obſes,
Saxonis auxilio, Romanæ ob ſedis honorem,
Saxonis Henrici, ſub quo duce Norica tellus
Tunc erat, horriſonis ſubduxit colla cathenis,
Afflictis grauiter raptoribus, atq; coactis
Reddere, quæ tulerant, & iuſtas pendere pœnas.
Ergo vbi Vindelicæ non longè à mœnibus vrbis
Auguſto faciente moras, regalia caſtra
Auſonij ſubiére viri, præmittere viuo
Pauca ſono cautela fuit, quibus ira verendi,
Si qua ſuperſtes erat, poſſet miteſcere Regis.
Hæc tibi cunctorum Rex auguſtiſsime Regum,
Summus in Eccleſia Petri ſucceſſor, & idem

Deuotus

Deuotus tibi mente pater, cultorq; fidelis
Mittit, Apostolica præmissa verba salute:
Totaq; Romani nunc maxima curia cleri,
Te velut eximium Regem, dominumq; salutant.
Cætera quæ ferimus, nudis quam tradimus, ecce,
*(*Tradiderantq; simul) narrabit pagina verbis.*
Protinus explicata papalis epistola fronte,
Talia continuo subnectit verba relatu.
Quantus in officio studiosi cultus amoris,
Quanta paterna fides in te, mitissime fili,
Extitit, vt primùm diuino munere sedem,
Et pastoralis suscepi munia curæ,
*Indubitata tibi * deuotæ pignora mentis*
Esse reor: quòd prima tui gratanter honoris
Accepi mandata libens, quodq; omnia lætis
Sæpè ministerijs à te dictata peregi:
Quòd tibi collatos diuino munere fasces
Imperij, sacramq; manu gaudente coronam
Imposui, vidiq; tuos gauisus honores:
*Quodq; * tui caussa Romanæ iurgia plebis*
Sustinui, multosq; tuli, scis ipse, labores.
Inter tot veri certissima signa fauoris,
Si quid fortè tuas, ita re cogente, sub aures
Vel minus exactum, vel acerbum pagina nostra
Detulit, in subitam stimulari protinus iram
*Non decet: * in cunctis caussas & tempora rebus*
Aspiciat, qui vera cupit decernere iudex.
Filius ille quidem sapiens, & gloria patris
Creditur, eiusdem qui blandimenta, minasq;
Æquamente libens, & amica suscipit aure:
Imò, tua quod pace loquor, qui parcere virgæ
Sustinet, huic odio perhibetur filius esse.
Non decuit Regem, nec tanto Principe dignum,

*Vrbanumq; fuit, mea dum tibi pagina nuper
Adderet vltrices * violati Præsulis iras,
Obsequijq; mei, non exprobrare profectò,
* Sed monuisse volens, quædam tibi signa referret,
In tantam paucis accendi vocibus iram,
Quas minùs exacta scriptor ratione notarat,
Vt nostri * socios lateris, semperq; fideles,
Te quoq; teste, tibi, tanta ferutate lacessi,
Tanta pati sineres irati fulmina regni,
Explendiq; viros cœpti præclusa facultas
Cogeret irrisos ad limina sacra reuerti.
Si quid in illorum factis enorme notasses,
Indignumq; tuis, aut intolerabile regnis,
Significare tribus potuit tua pagina verbis,
Atq; emendandum nobis seruare reatum.
Nunc semel admonitus placidè, ne tale quid vltrà
Attentare velis: transacta sequentibus oro
Corrige, Romanæ seruato sedis honore.
Nos quoq;, si qua fuit turbato in corde querela
Ponimus, & dulcem tecum * partimur amorem.
Latores apicum, mandatorumq; ministros,
Quæ legis, eximio, fili, pietatis honore
Suscipe: quodq; tuas per eos dictamus ad aures,
Illud ab interno sinceri crede profectum
Pectoris affectu: tutosq;, habitosq; benignè,
Hos saltem lætos ad limina sacra remitte.
Hæc tunc exposuit mandata recentia pastor
Ille Frisingus Otho, quem tantò maior habebat
Hac de lite dolor, quantò propioribus illum
(Regis erat patruus) tangebat curia vinclis.
Vtq; piè scriptis à summo Præsule verbis
Addidit ipse suas in pacis fœdera partes,
*Protinus ingenui consedit pectoris horror,

Et nitidus redijt ſedato Principe vultus.
Vt ſi fortè roſas & candida lilia nimbus
Contudit, & nitidum virgis decuſſit honorem:
Horrent informes ſpinæ, fruſtraq; petiti
Quærentem fallunt nudato ſtipite flores.
Mox vbi tranquilli clementior aura Fauoni
Cœperit excluſo ſpirare benignius Auſtro,
Protinus ad placidos flatus ſua germina rami
Producunt, ſolitoq; nitent virgulta decore.
Præter prædictam turbati Principis iram,
Reſtabant aliæ, litis fomenta, querelæ:
Quas vbi legatis diſtinctas ordine Cæſar
Expoſuit: contraq; ſuo pro Præſule miſſi,
Optima ſollicitè cauti reſponſa dedére:
Protinus optatæ præſentibus oſcula pacis
Dulciter impendens, Papæ, Cleroq; ſalutem
Innuit, & lætos à ſe dimittit in Vrbem.
Iamq; precatores aderant à Rege Dacorum
Electo nuper, populiq; fauore creato,
Principis arbitrio ſceptrorum iura petentes.
Annuit hoc pacto Rex, vt poſt bella reuerſum
Ante quater denos properaret Regulus illum
Cautus adire dies, regnum ſumpturus ab ipſo,
Obſequijq; fidem iurando iure daturus.
Iamq; ſuas valido vires Alemannia motu
Excierat: populiq; truces feruente tumultu
Partibus è cunctis ad regia caſtra fluebant:
Saxones, & rigidi qui Norica rura coloni
Vueſtualiamq; tenent, quos aut Ripuaria tellus,
Aut cum Germanis Rhenum partita colonis
Francia, ſeu magno nomen ſortita Lothero
Terra tenet: tunc Allobroges dotalia læti
Arma mouent, Celtæq; leues, Cimbriq; feroces,

Vindelici, Sueui, Sclaui, simul atq; Boëmi,
*Pannones, & * lætis quos educat Austria campis,*
Quiq; Carinthinis populus versatur in oris.
Non ego vel populos, vel nomina clara potentum
Enumerare queam. quoscunq; à cardine mundi
Horridus, & gelida Boreas emissus ab Arcto
Verberat, aërias donec veniatur ad Alpes,
*Arma ferunt populi. non sunt qui mœnia * seruent,*
Non qui rura colant. præmissis vndiq; feruent
Castra viris, magno scrutatum à Principe, per quas
Hos iubeat transire vias. nam tantus in armis
Plebis erat numerus, ne iunctis agmina castris
Nubiferæ rupes Alpis transcendere possent.
Vtq; dedit ducibus cunctis loca congrua Rector,
Distribuitq; vias, scisso mox agmine, quidam
Cannales, Iulijq; Forum, multiq; Clauennam,
Cumanumq; lacum, multi petiére Tridentum.
Ipse Boëmorum regem, multosq; potentes
*Allobrogum, Sueuumq; Ducem, fidumq; * nepotem*
Te, Friderice, suum, Chunrado rege creatum,
Secum Rector habens, illas transcendere rupes,
Nomine quas veteri montem Iouis incola dixit,
Adproperat: iamiamq; domos, & rura iacentis
Italiæ cernens, fidas quas nouerat vrbes
Ticinum, Laudamq; suam, Cumamq; salutat
Lætus, & in Ligures violentam concipit iram.
Prima feros belli motus, regniq; furores
Tuta loco, fidensq; nimis, Ligurumq; suisq;
*Viribus, aduersis * excepit Brixia fatis:*
Quæ postquam Regi tentatis restitit armis,
Plus quoq; quàm potuit, tandem contrita solutis
Mœnibus, accepit dominum, quem fecerat hostem,
Vixq; redempta, suos multo luit ære tumores.

Vtq;

Vtq; Ducis totæ ſubierunt caſtra cohortes,
Ne quid inhumanum, linguis, ac moribus illæ
Diſſona barbaries, caſtris impunè moueret,
Conſenſu procerum tales à Cæſare leges
Compoſitæ, ſtabili caſtrorum iure, feruntur.
** Ne quis rixari ferro, pugnamq; mouere*
Audeat in caſtris: neu mota lite vocatus
Cum telo veniat, lorica tutus, habensq;
Quo tantum rixæ dirimat certamina fuſtem.
Neu belli ſignum, niſi fortè domeſtica quærens
Agmina, vociferet. miles ſi fecerit iſta,*
Iecto caſtris, & turpia plurima paſſo,
** Eripietur ei caſtrorum tota ſupellex:*
** Armiger exuſta candenti fronte metallo,*
** Detonſaq; coma, poſt verbera pulſus abibit.*
Vel domini ſpolijs redimetur, & omnibus armis.
Vulneris, aut cædis conuictus, voce duorum,
Qui modò non fuerint violato ſanguine iuncti,
Hic caput, ille manum perdet: ſi teſte carebit
Altera pars, facinusq; volet formidine pœnæ
** Abiurare reus, poterit iurare: volentem*
*Quilibet oblato licitè * reprobare duello,*
*Paſſurus ſimilem * non victo crimine pœnam.*
*Miles * equo curſore carens, clypeoq; vel haſta,*
Sit licèt oppoſitæ partis, regalia caſtra
Tutus adire poteſt: ſi quis violauerit illum,
Sicut & in ſocio pacem violaſſe feretur.
*Si fuerit * bellator equus, clypeusq; vel haſta,*
*Non erit * ille nocens, pœnamue merebitur vllam.*
Inſtitor à noſtro ſpoliatus milite, cuncta
Conduplicata feret: maxilla ſeruus aduſta,
Vertice detonſo, ſupponet terga flagellis:
Aut erit à domino prædicto more luendus,

Qui ſpoliare ſacras aliquem conſpexerit ædes,
** Si prohibere poteſt facinus, prohibere laboret:*
Si prohibere nequit, maneat ſecurus: at ille
Iudicis arbitrio pœnam pro crimine pendet.
Vrbem, vel caſtrum noſtro ſub nomine tutum,
Impugnans, poterit pacis violator haberi:*
**Non erit in noſtris nobiſcum fœmina caſtris.*
Qui reus extiterit, ſpolijs nudatus abibit
Turpiter, & naſo mutilabitur illa reciſo.
Seruus deprenſi conuictus crimine furti:
Si fur antè fuit, probroſa morte peribit:
Sin minus, abraſo ſignatus vertice frontem
Verbera dura feret, caſtriſq; fugatus abibit,
Ni fuerit domini ſpolijs, armiſq; redemptus.
Si continget equum cuiquam reperire vacantem,
Nec dominum norit, non detondebit, vt illum*
Ignotum faciat, nec clauſum fraude tenebit,
Sed ſtabulatori noſtro denunciet, ac ſic
Inuento vt proprio, nullo prohibente, fruatur.
Quem ſi faſce nouo dominus deprendet onuſtum,
Non erit hoc licitum deiecto pondere raptum
Tollere: portantem patiens in caſtra ſequatur,
Iamq; miniſterio liceat reuocare peracto.
Si quis pacificæ plebis villaſue, domusue
Vſſerit: abraſis ſignabitur ora capillis,
Et pulſus caſtris poſt verbera multa recedet.
Lex eadem pœnæ præſcripta, minoris ementi
Teutonico, caſtris vt pluris vendere poſſit.
Hoc tamen adiecto, quicquid venale ferebat
Eripiet cameræ turpi pro fœnore cuſtos.*
Miles Teutonicus ſocium de gente Latinæ
Non habeat, niſi noticiam ſermonis habentem
Teutonici: quòd ſi præſumpſerit, omnia perdat.

Iuuen-

Inuentor foueæ, nullo prohibente repertis*
Gaudeat: at si quis vim fecerit improbus illi,
Id noster digna stabulator corrigat ira,
Nemo parùm cautè, nimiumué potenter agendo,
Conterat educto vimaria vasa liquore,
Quæ præstare suum possunt castrensibus vsum.
Has, aliasq; sacro dictatas Principis ore,
Consensére patres, seruare per omnia, leges.
At Rex belligeras cupiens armare cohortes,
Vltricesq; viris incudere fortibus iras,
Editiore loco, blando spectabilis ore,
Et tamen ingenuæ reuerendus pondere vocis
Constitit, attentas implens his vocibus aures.
Maxima si dereo laudum præconia Regi,
Rex ego terrenus, modò si foret illa facultas
**Vocis & officij, meritò persoluere possum*
Cùm mihi deuoto tantos assistere cœtu*
Aspicio Proceres, quorum me munere regna
Accepisse iuuat, studijs retinere laboro.
Nam neq; me tanti mea gloria muneris vnquam
Immemorem faciet: vestriq; fauoris egentem
Viuere dum potero, bello, seu pace, fatebor.
** Sunt impressa meis suffragia vestra medullis,*
Quodq; magis recolo, magis hæc recolenda videntur.
„ ** Immemor officij non sat memor extitit antè,*
„ *Nec bene gratus erat, qui gratus desijt esse.*
Spem mihi de reliquo quæ præcessére dederunt.
Gratia præteritis, spes est adhibenda futuris.
Sed iam tempus adest, quo certo pignore possit
Vestra nitere fides: ad magna negocia verum
Venimus, ingentes belli concepimus iras.
Nec mihi res agitur, nec certos sponte labores
Aggredior: belli causas, iramq; coactus

Acci-

Actipio, iustosq; mouet vindicta dolores.
Cernitis in quantos sese efferat improba fastus
Vrbs Ligurum, regniq; minas, mandataq; nostra
Ridet, & antiquis à Regibus edita iura,
Quæ cum legifero statuit reuerendus Othone
Carolus, (ah pudeat,) nunc demum tempore nostro
Respuit, abiecitq; ferox ceruice superba
Imperiale iugum, manifestaq; bella fatetur.
*Hoc ego si patiar, * sine causſa censear ensem*
Inualida portare manu, Regumq; priorum
*Degenerem, dignumq; minus * perhibere nepotem.*
Ergone sæuitiæ meæ sunt electa nefandæ
Tempora, quæ tantos nequeant punire furores?
Fallitur ignauæ (nisi fallor) opinio plebis.
Quicquid in Imperium nostro committitur æuo,
Inuenit vltorem: dabit ah, dabit impia pœnas,
Interituq; graui commissa nefanda piabit.
** Si bene vos noui, si non mea pectora fallit*
Spectatæ toties vestræ virtutis imago.
Nam neq; vos nostri socios non esse doloris
Communis iactura sinit: quæ sponte dedistis,
Eripit inuito (nisi vos succurritis) hostis,
Munera vestra mihi parat extorquere: simulq;
** Vos, & me, socij, facto contemnit in vno.*
Dumq; putat bello, nec nostra requirere posse,
Arbitrium vobis, fructum mihi muneris ausert.
** Nunc age, Teutonici fortissima robora regni,*
Imperij vires, totius gloria mundi,
Magnifici Proceres, magnis intendite cœptis
Pectora, sitq; palàm, nullam, sub limite magni
Esse poli, nostris quæ tutò viribus obstet,
Legibus aut Latijs impunè recalcitret, vrbem.
Si vos à patrijs laribus, thalamisq; pudicis

Noster

Noſter amor,regniq; labor,iuſtiq; doloris
* Adduxit ratio:ſi dulcia pignora natos,
Plorantesq; domi liquiſtis ſponte * puellas.
Nunc ijſdem cauſsis vltrices acriter iras
In tumidos Latij depromite nominis hoſtes.
Atq; illud noſtro detergite dedecus æuo:
Ne noſtras impunè minas ſpreuiſſe feratur
Vrbs Ligurum,quas Roma timet.nec iura,nec vllæ
Hoc prohibent leges.quotiens iniuria * regnum
Vexat,& Imperij ſubito pax hoſte laborat,
Principis edicto iuſtiſsima bella gerantur.
Ille nocens populus;nos regni iura tuentes,
* Vltrices aquilas qui,publica ſigna, ſecuti,
Eximios * certè referemus laude triumphos.
* Vocibus Auguſti virtus accenſa ſuorum
Incaluit:fremuére mimæ,capuloq; reductas
Admouit grauis ira manus: vox omnibus vna.
Dicta probant,laudantq; virum,ſtimulisq; morantem
Impellunt,fidasq; vouent in prælia dextras.
Sed ne præcipiti quicquam prudentia motu
Regia, neglecto præſumeret ordine iuris,
Primùm propoſitis legalibus eſſe citandos
Hoſtes edictis,iuris ſuasére periti.
Vtq; ſibi certam Ligures incumbere cladem,
* Dilataq; vident offenſi Cæſaris iram
Iam * ſpe maiores ſcelerum depoſcere pœnas:
Electos de gente ſua, legumq; peritos
Miſerunt in caſtra viros, blandisq; potentes
Perſuadere modis: quorum ſermone diſerta
Poſſe putabatur miteſcere Principis ira.
Qui cùm ſe cauſsis grauiter pœnalibus angi,
Legibus Italicis, & ſtricto iure viderent,
Inq; coloratis ſuffragia nulla loquelis

Eſſe

Hosted by Google

Esse, vel in multa, quam promisére, moneta,
*Rebus * inexpletus, multùm frustraq; rogatus*
Principibus, mœsto repetentes mœnia vultu,
Impleuére suam magnis terroribus vrbem.
At Rex instructis properans ad mœnia castris,
Iam loca contigerat, quà certior Addua limes
Finibus ab Ligurum magnæ secat arua Cremonæ.
*Qui quamuis medias populis * iniecerit vndas,*
*Non tamen hostiles * poterat cohibere furores,*
Quo minùs alterno spumaret sæpè cruore,
Gurgite tunc pleno solito torrentior ibat,
*Auxerat & tumidas * resolutis Alpibus vndas,*
Nec se belligeris transmitti posse cateruis
Ponte, vado, remoq; carens sperare sinebat.
Nec minùs opposito Ligurinus in aggere miles,
Magnanimi iuuenes, vel si vada tuta paterent,
Excipere hos armis, ac propulsare parati
Constiterant, densaq; vadum statione tenebant.
Sic duplici caussa, fluuio, belloq; repulsus
Iratus mediis exercitus hæserat vndis,
Cornipedesq; virosq; simul grauis horror habebat.
Tantùm distantes alterno margine ripæ
Certatim validis torquebant tela lacertis.
Donec ab extrema riparum fronte, Boëmus,
Cum Duce Dalmatico, sese rapientibus vltrò
*Iniecére vadis: * hos agmina tota sequuntur.*
Vrget eques peditem, multis violentior amnis
*Lubrica fallaci vestigia * subruit vnda,*
Vorticibusq; cauis inuoluens arma, virosq;,
Et rapidæ feritatis equos, correpta deorsum
Cuncta trahit: sic penè viri periére ducenti.
*Alij non tam vectu, quàm * remige freti*
Cornipedum solida tandem vestigia ripa

Fixe-

Fixerunt: turpiq; fuga perterritus hostis,
Mœnia nota petens, infaustum ciuibus omen
Retulit: & cladis prænuncia signa futuræ.
Stabat in eiusdem deuexo margine ripæ
Turribus & valido castrum spectabile muro,
Nomen erat Trecium, Ligurum sub nomine tutum
Hactenus, & nullo tactum per secula bello.
Hoc latus excelsæ circumstant vndiq; turres;
Illud flumineа tutum defenditur vndа,
Ingentiq; rapax incingitur Addua ponte,
Quem seruat positis custodibus ardua turris.
Visa fuit Regi nostris accommoda castris
Illa satis sedes, propter compendia pontis,
Et magno ventura bono: iussitq; cohortes
Expugnare locum: paret festina iuuentus,
Tutaq; belligero cingit castella tumultu.
At qui præsidium seruabat & oppida miles,
Frustra tentato conatus mœnia bello
Defensare manu, postquam cognouit ab vrbe
Nil opis esse sibi, miseræ modò munera vitæ*
Depactus, totis patefecit mœnia portis:
Armaq; victori, castellaq; plena relinquens,
Nudus ad hostilem miserè compellitur vrbem.
Hos tamen euentus lætos, & gaudia rerum
Inuida turbauit casu fortuna sinistro.
Namq; nouæ quidam quærentes semina laudis,
** Præclarumq; sibi cupientes didere nomen,*
Mœnia terrifico strepitu Ligurima petentes,
*Exciuére suis * tutis de sedibus hostes,*
Sæuaq; conflictu mouerunt prælia duro.
Primus in his EKebertus erat, Comes ipse, sed alto
Sanguine, regifico minimè cessurus honori,
** Et magnos Reges animi virtutibus æquans.*

Hic

Hic dum prolapſum quendam, rapidoq; volutum
Turbine cornipedis cuperet releuare ſuorum,
** Haſta Ligus iuuenis vibrata per ilia magni*
Tranſijt, & latebris animam deprendit in altis.
Sunt tamen incolumi iuuenem qui corpore captum,
Hoſtilemq; manu tractum fateantur in vrbem,
Sæuaq; diſcerptis perpeſſum funera membris.
Hunc & Teutonici Proceres, Italiq; potentes,
Et Ligurum bona pars ægrè gemuiſſe feruntur:
Cuius & interitum lachrymoſo triſtia nectens
** Carmine Teutonicas defleuit fama per vrbes.*
Hic quoq; Cæſareæ multi periére cohortis:
*Quemq; * domi famoſa Ducem Rauenna potentem*
Miſerat, occubuit miſeranda clade, Iohannes.
Nonnulli rigidas collo ſubiére cathenas:
Aſt alij frænis redeunt ad caſtra retortis:
Quos grauiter Princeps verbis inuectus acerbis
*Corripuit, * pœnasq; rei fortaſsè luiſſent,*
Ni precibus blandis Proceres, multoq; rogatu
** Fortunæq; vices, incertaq; fata loquendo,*
Vix tandem iuſtam ſedaſſent Principis iram.
Qui mox permixta tantis cum luctibus ira,
** Vlciſci ſocios auidè feſtinat, & arcta*
Obſidione ream iam claudere cogitat vrbem.
Totaq; ſeptenis diſtinguens agmina turmis.
Ductorem cuneo præfecit profidus vni-
Cuiq; ſuum: nunc cornicines, ſonitusq; tubarum
Prælia terrifico committere prima tumultu,
Signiferosq; loco vel læta vel aſpera primo
*Laturos, acies æquè * diſpergit in omnes.*
At qua Cæſareæ, ſignum latiale, cohortis
** Regia fulget auis, magnorum denſa virorum*
Agmina, ceu magni glomerauit viſcera regni.

Hinc

Hinc famulûm ſuccincta manus, vulguſq; pedeſtre,
Pondera iumentis ingentia portat onuſtis,
Quæq; expugnandis creduntur idonea muris.
Vltima ceu modico ſubitura negocia voto
** Aere dato conducta cohors, & bellica miles*
Dona ſequens, precioq; ſuum mutare fauorem
Suetus, & accepto pariter cum munere bello,
Hunc habuiſſe, dator precij quem iuſſerit, hoſtem.
Sic pulchro felix acies inſtructa tenore,
Carmine belligero, longeq; ſonantibus hymnis,
Diuinam ſibi poſcit opem, Ligurinaq; ſenſim
Mœnia ſecuro petit imperterrita greſſu.
At qui ſollicita ciuis ſpectator ab vrbe
Prodierat, primasq; fores, vallumq; tenebat,
Nullo laſciuus ſtrepitu, (ſeu Regis honori
Hoc dabat, ingentis ſeu iam præſagia cladis,
** Pectore certa trahens,) nullo clamore ſuperbus*
Stabat, & inſignem ſpectabat ſedulus hoſtem.
At Rex diſpoſitis pulchro ſatis ordine caſtris,
Obſidet ingentem plus centum milibus vrbem.
Hanc per circuitum ſpacio ſpectanda capaci,
Planicies, centum ſtadijs diffuſior ambit,
Extructus quadris vallabat mœnia ſaxis*
*Murus: * at hunc vaſto præcinxerat agger hiatu*
*Ad ſubitos belli ſtrepitus, * captosq; fragores,*
Grandibus impenſis anno properatus eodem.
Turribus, & pinnis, tormentorumq; flagellis
Hoc minus inſtiterant, quòd nulla poſſe putabant
Obſidione premi plenam tot ciuibus vrbem.
Vnde nec Imperio ſeſe præſtare fideles
Curabant, ac ſæpe iugum ceruice rebelli
*Reſpuerant, * regnisq; diu plebs illa, ſuperbis*
Luxurians animis, tutò contempſerat iras.

Hosted by Google

Ergo vbi diuiſis ingentia mœnia portis
*Teutonici tota Proceres * indagine belli*
Vndiq; cinxerunt, & regia ſigna ſuperbi,
*Auſoniasq; ſuis * volucres colludere campis*
Viderunt Ligures, & opertos milite fines:
Prima viris alta tentoria cingere foſſa
*Cura fuit, * denſare ſudes, & ducere vallum,*
*Caſtrorum munire ſinus: ne clauſa * latenti*
Turba dolò, vel Marte palàm fremebunda diurno
Erumpat, ſubitoq; viros, & caſtra furore
Turbet, & incautos inopina clade laceſſat.
Nam neq; tormentis, neq; rapto mœnia bello
Poſſe capi populoſa putant, meliusq; videtur
Expectare famem. (vi namq; hæc cuncta potenti
Expugnare ſolet) vel ſi confiſus ad arma
Proſiliens pugnam ferus vltrò conſerat hoſtis,
Fortunam tentare manu, facilesq; triumphos.
Vnam portarum ſocia virtute premebant
Cognati iuuenes, quorum Comes aulicus alter
Nomine Chunradus, Regis quoq; frater: at illum
*Ductorem Sueuis * Chunrado patre relictum*
Æquiuocum, iunctumq; ſibi Fridericus amabat:
**Promptus vterq; manu, formaq; verendus vterque,*
Nobilitate pares, & eiſdem, in finibus æui.
Hos, vel quòd teneris vigiles minus eſſe ſub annis
Credebant Ligures, vel quòd vicinius vrbem
Terrentes, ſocijs procul abſediſſe videbant,
Hos primùm tentare parant: tacitasq; cohortes
Nocte pruinoſas mundo referente tenebras,
Mœnibus educunt, quo tempore membra diurnis
Extenuata malis primo ſopor irrigat imbre:
Tunc etiam primo ſomni torpore grauatos
Inuadunt, turbantq; viros, & caſtra laceſſunt.

Pro-

Prosiliunt stratis stupidi: vix sumere tela
Noxué timoruésinit: ferit horridus aëra clamor,
Multiplicatq; metus, veris grauiora timentur.
Non tamen in tanto discrimine, mente carentes,
Immemoresué sui, validis hortatibus iram
Extimulant iuuenes: sumptisq; viriliter armis,
Quæ tempus, casusq; dabant, certamina dura
Instituunt, ferroq; simul, lapidumq; rotatu,
Et quocunq; licet telo depellere castris
Nituntur tumidis *sublatos viribus hostes.
Iamq; Boëmorum tentoria proxima clamor,
Armorumq; *sonus per opaca silentia noctis
Impulerat: qui mox tremulo clangore tubarum,
Raucaq; terribili quatientes tympana pulsu,
Vicinam testantur opem: iam castra tenebant,
Iam sua Teutonicis sociarant arma cateruis:
Attoniti subita miseri formidine ciues,
*Degenerem petiére fugam, turpiq; relapsu
Mœnia nota petunt: sed nox, & porta, timorq;
Impediunt aditus, compressaq; turba laborat.
Sic bona pars ferro cecidit prostrata cruento,
Aut iniecta tulit captiuo vincula collo:
Semineces alij, numerosaq; *vincula passi,
Illæso penitùs redierunt corpore pauci,
Exemplumq; suis, documentaq; certa dederunt,
Ne spem nocturnis auderent ponere furtis.
Sed quia festino bellum procedere motu
Obsessi fortuna loci prohibebat, & *ingens
Tempora multa labor, momentaq; tarda petebat:
Multorum virtus torpescere nescia, tardas
*Non poterat tolerare moras, longamq; quietem
Oderat, & steriles ignaui temporis horas.
Ergo Palatinus geminis cum fratribus ille

Eximiæ virtutis Otho, firmissima nostræ
Robora militiæ, flagrantes laudis amore,
Grande aliquid patrare manu, dignumq; referri
Inter magnorum celeberrima facta virorum,
Vesperе iam penè referente crepuscula noctis
Eduxére suas castris ad mœnia vires,
Atq; crematuras portam cum ponte latenter
Admouére faces: rapido tabulata vapori
** Materiam, fomenta dabat violentior aura.*
Protinus è totа raptim concurritur vrbe:
Omnibus hostiles amor est restinguere flammas.
Nam præter pontis discrimina, tota patebat
Vrbs Ligurum flammis, si non consideret ignis.
Nec mora, conflictu magno certatur vtrinq;.
Hi prohibere parant incendia pontis: at illi
** Oppositi prohibere volunt prohibere volentes.*
Tela volant, stridunt lapides, densusq; sagittis
Aër nocturnas & vincit, & adiuuat vmbras.
Tandem restincta multo discrimine flamma,
Penè pari casu sera vix nocte dirempti,
Alternas cædes, & mutua vulnera passi,
Hi muros subeunt, illi sua castra reuisunt.
Nec Ligures nostris tardi magis, aut minus esse
Audaces, tumidiq; volunt, factoq; recenti
Sponte referre vicem, pulchrum & laudabile credunt.
Sæpiùs obsessis gaudent excurrere muris,
Et iaculo, fundaq; leui, celeriue sagitta
Incautos turbare viros, crebrisq; lacessunt
Castra latrocinijs: portaq; frequentiùs illa,
Quam ductor validis obsederat Austricus armis,
Erumpunt: tandem stimulis grauioribus ardens
Impulit ira Virum totis educere castris
Agmina: collato muros accedere bello.

At

At Ligures non iam muros defendere, verùm
Obuia ferre viris vltrò venientibus arma
Accelerant, miſcentq; grauis certamina pugnæ.
** Prima volatilibus mandantur bella ſagittis:*
Protinus excuſſis auidè concurritur haſtis.
*At ſimul ad gladios, & * ſtrictas comminus iras*
Incaluit virtus: tunc verò horrendus vbiq;
Clamor, & ingenti penitùs colliſa fragore
Arma ſonant: timnire cauas mucronis abictu
*Audires galeas, * incuſſa trementibus haſtis*
Scuta graui mugire ſono, gemituq; cadentes
*Oppetere, & rigido * terram proſternere trunco.*
Inſtant caſtrenſes, aduerſaq; pectora ſæuis
Vulneribus lacerant, indignanturq; reſiſti.
Nec cedunt Ligures, nec de ſtatione mouentur
*Obnixi, * pariterq; necant, pariterq; necantur.*
Donec vix tandem magna virtute repulſi,
*Et noſtris * multa reſperſos cæde triumphos*
Linquentes, refugo tenuerunt mœnia curſu.
Hic inter multos ſtolidiſſimus occidit ille
Statius, infauſti ſibi quem præponere Regem
Optabant Ligures, & ſceptra dicare parabant.
Cuius & à noſtris multo ſimul ære redemptum,
Et captiuorum numeroſa plebe cadauer
** Mutatum ſolito Regum ſepeliuit honore*
*Stulta ſuperſtitio, quodq; huic ſors iuſta * negaret*
Viuenti, ſtolidus morienti contulit error.
Non mihi cuiuſdam Liguris reticenda videtur
Improbitas, ſtultæq; ferox veſania mentis,
Qui rapido fremebundus equo, fulgentibus armis
Conſpicuus longè, noſtris illudere caſtris,
Militiæq; rudes, equitandi lege carentes
Dicere Teutonicos probroſaq; multa pudendis

Gaudebat iactare ſonis, vanamq; ſuperbus
Oſtentans artem, rapido modò turbine vectus
Quadrupedantis equi, nunc certa lege reductis
In gyrum frænis ſinuoſa volumina torquens,
Vnum de multis, potiusué ex omnibus vnum
Electum, dignumq; ſibi concurrere, crebrò
Poſcebat, captosq; metu ridebat inani.
Vt quondam pueri periturus laude ſuperbus
Ille Philiſtæus, trepidanti probra minasq;
Iactabat populo, donec paſtoris Hebræi
*Procubuit tumidam * ſignatus vulnere frontem.*
** Non tulit elatæ Comes oſtentamina mentis,*
(Albertus Tyrolenſis erat) vanamq; ſuperbi
Stulticiam Liguris digna compeſcere pœna,
Teutoncaq; parat gentis remouere pudorem:
Non tamen aut galea muniri tempora curat,
*Aut gladio lumbos, aut ferro pectora * texit,*
Aut curſoris equi, quo prælia ſemper agebat,
** Officio fungi, clypeo contentus & haſta,*
Terga minora premens, vibrata cuſpide, ſegnem
Impulit, armatumq; ſolo deiecit inermis.
Sed neq; degeneri dignatus tingere ferrum
Sanguine, non ſpolijs nullo diſcrimine partis
Victrices ornare manus, tellure iacentem
*Liquit: & * hoc alijs magni reputantibus, * ipſe*
Negligit, & modico factum metitur honore.

Libri ſeptimi finis.

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI VIII.

Octauo Ligurum ſpeculatur prouidus vrbem
Cæſar: & antiqui theatri procul aſpicit arcem.
Mutua bella gerunt Ticinus, Cremonaq́; fortis.
Inde fames, peſtisq́; ferox Ligurum vrbe fremebat.
Guido Bladerenſis cauſſam, ſed pacis agebat.
Vt Cæſar pacis dederit mox conditionem
Ciuibus: & pulchrum duxit de morte triumphum.
Dimittit Proceres, Tiſuidum, & caſtra reformat.
Curia Roncalijs mandatur: caſtra metatur:
Conſilium celebrat, Feudalia iuraq́; dantur.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE GESTIS FRIDERICI I. Ænobar. Aug. Lib. VIII.

HAs inter laudes, & fortia facta virorum,
*Illam præcipuè * curam Fridericus agebat,*
Vt ſine iactura grandi, ſine clade ſuorum
Conficeret cœptos optato fine labores.
Et modò cum paucis, denſo modò milite cinctus,
Ardua ſollicito luſtrabat mœnia greſſu:
Spectabat muros, ſpectabat robora valli,
Quæq́; locum vaſto cingebant aggere foſſas.
Quaq́; viam cœptis facilem fortuna parare
Tuta videbatur, cura ſtudioq́; ſagaci
Acriter intendens, oculis & mente notabat.
Hæc ita concuſſit trepidos vigilantia ciues,
Vt quotiens illum muros ambire videbant,
Non ſecùs, ac ſi iam validas effringere portas,
Turribus aut celſis infligere ſaxa pararet,

Mœnia tota graui tremerent conſuſa tumultu.
Tunc varius totam clamor, ſtrepitusq; per vrbem,
Signaq; diuinas trepidè pulſata per ædes,
Fœminei planctus, lamentaq; mœſta ſonabant.
At tuba pinnigeri iuuenes ad culmina muri
Terribili clangore vocat, denſaq; corona
Vndiq; conſiſtunt, & propugnacula ſeruant.
Stabat ab obſeſſa non multò longiùs vrbe
Quàm ſemel exiliens arcu iaciente ſagitta
Ire poteſt, quadris moles incognita ſaxis,
Romano conſtructa modo: quam fama ſuperſtes
Dicere Romanum vulgo conſueuerat Arcum.
*Quattuor * hæc validis ſurgebat fulta columnis,*
Tam ſibi conueniens, vt viſu nemo ſagaci
Poſſet ab alterutris vnum ſecernere ſaxis:
*Formam turris habens, * cameras, tabulataq; multis*
** Internis ſortita locis, altasq; feneſtras:*
*Equibus & * totos ibat proſpectus in agros,*
Et facili poterant conamine tela rotari.
*Hanc Romanorum * quendam pro fornice Regum*
Erexiſſe ſui certiſſima ſigna triumphi,
Vel magis iratos alio quoq; tempore Reges
Mœnia victa per hanc ſibi ſubieciſſe ferebant.
Præſidium plebs illa loco, ſumptusq; ciborum
Ad ſpacium belli, longosq; locauerat vſus.
Id cautè feciſſe putant. nam quicquid ab hoſte
Exteriùs fieret, ſpectantibus inde videri
Et facili ſocijs poterat noteſcere ſigno.
** Hic transferre ſuis Fridericus commoda caſtris*
Cogitat: & iuuenes iaculo, celeriué ſagitta
Corpora vel longè diſtantia figere doctos
Stare iubet contrà, certosq; intendere iactus:
Vt ſi quis patulis, aut mittere tela feneſtris,

Aut ſpectaturos etiam producere vultus
Audeat, aduerſis configant ora ſagittis.
Ipſe flagellatam tormento rumpere molem
Apparat, & duro penitùs confringere ferro.
*Attoniti ſtupuére viri, * dextrasq; petentes*
Vitam depacti tradunt munimina Regi:
Qui poſtquam ſociam tutos dimiſit in vrbem,
Collocat ipſe ſuos in tuta ſede fideles.
*Hoc tamen in bello * veteris non immemor iræ.*
Acriùs in Ligures Ticini ſæua iuuentus,
Atq; Cremonenſes, odio graſſante fremebant.
Namſi quis Ligurum, fatis agitatus iniquis,
Illorum quandoq; manus, infeſtaq; tela
Inciderat: tunc dira ſui monimenta furoris
Aſpicienda dabant, iuguloq; videntibus illis
Condebant gladios: aut duro ſtipite vinctum
Certatim miſſis figebant vndiq; telis.
*Nec minùs ex illis, ſi quiſquam * ſorte maligna*
Venerat ad Ligures, diſcerpti corporis artus
Truncaq; de ſummo ſpargebant funera muro.
Tantus ab antiquis furor & diſcordia cauſſis
Inter vicinas ſemper ſpirauerat vrbes.
Iamq; fames Ligurum, noſtris optata, ſuperbas
Cœperat inſolito mentes contundere morbo,
Ac, reor, à ſummi proficiſcens iudicis ira
Squallida tabificum corruperat aëra peſtis.
Caſtra tamen Procerum vindex ſecreuit ab vrbe,
Perſequiturq; reos, parcens inſontibus aër:
Caſtra vigent: non peſte famis, cœlíue laborant:
Vrbs eget, & dubio tabeſcit languida cœlo:
Iamq; fugam propria multi meditantur ab vrbe,
Exagitat q; ſuos ſedes natalis alumnos,
Sunt quibus extrema pro libertate tuenda

Dulce ſit intrepido mortem promittere voto,
Eſuriem, cœlumq; pati, belliq; labores,
*Dum modò pro patriæ * ſunt hæc toleranda ſalute.*
At quibus in miſeris turbato pectore rebus
Plus aliquid rationis adeſt, mentiſq; profundæ,
Fœdera proiecto pacis depoſcere ferro,
Quasq; velit Princeps ſuadent admittere leges.
Maximus inter eos ſuadendi fœderis autor
Vtile conſilium Guido Blandratenſis agebat.
Hic comes eximius Ligurum conciuis, & idem
Charus erat Regi, nec ob hoc ſuſpectus in vrbe.
**Talis fama viri vulgauerat inclyta mores.*
Hunc igitur medio trepidantis in agmine vulgi,
Cùm iam de ſummis ageretur quæſtio rebus,
Inter Cæſareum pariter, patriæq; fauorem,
Talia prudenti cognouimus ore locutum.
Si mea pro veſtris nunquam ſollertia rebus
Pigra fuit, ſi veſtra libens mandata peregi
Semper, & hoc ipſo vobiſcum tempore dura
Malo pati, & triſtes partiri gaudeo caſus:
Non modò quid moneam, ſed quo pietatis amore,
Quáue fide, ciues, animo tractate ſagaci.*
Quæ facies rerum, quæ temporis huius imago,
Qui ſtatus, aut quæ ſit noſtrorum forma malorum,
Plus quoq; quàm ſatis eſt ipſi cognoſcitis, ipſi,
*Certaq; fortunæ * clarent exempla ſiniſtræ.*
**Senſimus, vt multi, mortalia quæq; regentem*
Nos quoq; Fortunam: non culpa fortè caremus.
Nouimus hunc olim populum, Regesq; creaſſe,
Et virtute ſua quosdam pepuliſſe creatos.
Nouimus Italicas leges & iura per vrbes
Ex iſto fluxiſſe loco: ſed durior æquo
(Pace bona dixiſſe velim) dominatio noſtra

Extitit:

Extitit: immodicis vicinas legibus vrbes
Terruimus: scit Cuma quid est, scit Regia Lauda.*
**Quasq; per Italicos, vrbes aut oppida, fines*
Strauimus, aut validis seruire coëgimus armis.
Mutauit fortuna fidem, dextramq; retraxit,
Atq; noua longum compensat clade fauorem.
Non vltrà stabilire suos, aut pellere Reges,
Sed Latio seruire Duci Ligurima necesse
*Vrbs habet: & *recto, liceat modò vera fateri,*
Ordine res agitur: Reges Alemannia nobis,
Vrbibus Italicis leges & iura daturos,
*Mittere ritè solet: * postquam de partibus illis*
Carolus, & Magni regnum surrexit Othonis,
Ausoniaq; frui Reges cœpére corona
Teutonici: quorum tutò contempsimus antè
Respuimusq; iugum; nunc iustis vltor in armis
*Bellator Fridericus adest: * quem nescia vinci*
Mensq; manusq;, suis facit hostibus esse timendum.
Exemplo testata suas Terdona ruinas
Esse potest, quam ne vetito de puluere frustra
Iusserit erectis vrbs nostra resurgere muris,
Haud modicus timor est. exemplo debuit esse
Spoletum, iusta deletum vindicis ira:
Quæq; per Italiam conata resistere frustra
**Oppida, Teutonicis victor pessundedit armis.*
Nec timeo, socij, fateor, ne Regis amore
Falsa monere puter: dudum benè cognita vobis*
Nostra fides certis potuit notescere signis.
Nam quòd nil propriæ prætextu suadeo caussæ,
„ *Nec* fauor, aut odium, quæ publica commoda sæpè*
„ *Impediunt, sed certa fides, & pura voluntas*
*Hæc suadere iubent. * scrutator pectoris alti*
Scit Deus, & proprij mihi mens benè conscia voti:

Omnia

Omnia discutiens animo, nihil esse salutis
Censeo, placata nisi primùm Cæsaris ira.
*Arma mouere libet, * nudamq; lacessere pugnam?*
Sed vix obstructis prohibemus mœnibus hostem.
Tuta loco clausis seruabimus ocia muris?
Sed prohibet violenta fames, miserosq; fatigat
Pestis, & aduersus pro Cæsare dimicat aër.
Omnia securi pro libertate feremus?
Sed libertatem contempta nemo salute
Sanus amat. neq; enim certæ susceptio cladis,
Quam vitare queas nisi cum ratione salutis,
*Libertatis amor, sed * gloria vana putatur.*
Nunquid & in brutis, immansuetisq; videmus
**Hoc ius esse feris? * vti vasta minoribus vltrò*
Imperitare velint, maioribus infima cedant.
His ego de caussis, adsit modò vestra voluntas,
Cæsareos ambire pedes, & fœdera pacis
Poscere, præcipuam fateor certamq; salutem.
Nec placido Regi victos parere pigebit.
Nullus honor siquidem populi, vel gloria maior,
Quàm domino seruire pio. Postrema loquentis
Verba viri mixto suscepit turba tumultu.
Consilium plerique probant, pacisq; petendæ
Fœdera: nec desunt alij, qui dicere contra
**Conuentus, fœdumq; putent, dignumq; pudore:*
Cum patria potiùs pro libertate cadendum.
Tandem compresso fremebundæ murmure plebis,
Prævaluit ratio: missisq; potentibus vrbis,
Austricus ille potens ductor, cum rege Boëmo
Accitur. per eos Ligures mandata, precesq;
Insinuanda Viro cupiunt offerre potenti:
Qui neq; difficilem sese, durumq; rogatus
Exhibuit, gaudensq; ream cum ciuibus vrbem

Pœnituis-

Pœnituiſſe ſui, leges & fœdera pacis
Prouidus in ſcriptum tali ratione redegit.
*Prima quidem Ligures fidei, paciſq; tenendæ
Iuramenta dabunt: Omnes quoſcunq; nec ætas
Pupillaris habet. nec ſeptugeſimus annus
Contigit, in medio iurabit quilibet æuo.
Appendentq; nouem, pœnæ ſub nomine, fiſco
Milia marcarum puro conflata * metallo.
Præterea veterum neglecta palatia Regum,
Lapſaq; correctis reuelabunt tecta ruinis.
Vt quotiens magnam, vel Rex, vel Regius vrbem
Fortè procurator, * cauſſa ducente ſubibit,
Digno magna loco tractare negocia poßit.
Oppreſſasq; diu Cumam, Laudamq; ſolutis
Legibus, & longa penitùs ditione remota,
Reſpirare ſinent: non priſca tributa requirent,
Præterquàm * veterem diuini iuris honorem,
Quo ſuper has vrbes Ligurum viget inclyta ſedes.
Sincera quæ cuncta fide complenda trecentis
Firmabunt vadibus de quolibet ordine ſumptis:
Hosq; per Italicas ſeruandos cautiùs vrbes
Principis arbitrio cuſtodia mitis habebit.
Et quibus illa locis fuerit commiſſa iuuentus,
Protinus expleto ſeruatos reddere pacto,
Chara ſuis patribus iurabunt pignora natos.
Conſulibus poſitis, & facta pace repertis
Stare licet, plenus dum ſe conuerterit annus.
Poſtea nullus erit, niſi quem Rex ipſe probárit
Electum populo: quibus hæc ad iura vocatis
Si tunc Italicis Princeps habitabit in oris,
Hunc electorum bona pars reuerenter adibunt:
At duo ſufficient, ſi tranſalpina tenebit:
Iurabuntq; fidem Regi, dignumq; fauorem,

Tam

Hosted by Google

Tam ſibi, quàm ſocijs, ea regni dona petentes.
Nec minùs abſentes accepto munere Regis
Coram plebe ſua, coram primatibus vrbis
Præſtabunt eadem iurandi fœdera iuris.
Si tamen Italicis fuerit legatus in oris
Regius, hoc ipſum Regis vice iuris habebit,
Et de conſulibus diſponere cuncta valebit.
Antè tamen, clauſa quàm victor ab vrbe recedat,
Captiuos omnes, veteresq; nouosq; Boëmo
Committent Ligures: quos protinus ille paternis
Reſtituet laribus. ſi iuſſu Principis illas
Cum populo Ligurum concordia iunxerit vrbes,
Accipientq; ſuos Ligures verſa vice captos,
Quæq; iuuant illos ſocijs conatibus vrbes:
Sin minus, in ſolito retinebunt carcere vinctos,
Nec tamen hinc aliquam patientur Cæſaris iram.
Obſidibus poſitis, captiuis ritè ſolutis,
Proxima lux Regis diſcedere caſtra videbit.
** Argenti ſummam Ligures pro pace ferendam*
** A ſibi ſubiectis * poterunt conflare colonis:*
Dum tamen immunes Laudam, Cumamq; relinquant.
** Nauigium, portus, vectigal, ſiue monetam,*
Vel quæcunq; ſibi defendit commoda fiſcus,
Nec rapient Ligures: nec ſi quis fortè nefando
Innaſu rapuiſſe volet, patientur imultum.
Has poſtquam leges, & ſpe leniora rebellis
Iamdudum populus, gratanter pacta recepit,
Continuò totis effuſi mœnibus omnes
Procedunt: primusq; ſuo cum Præſule clerus
Veſte ſacra nitidus, nudo pede, ſupplice vultu,
Vertice demiſſo, noſtræ monimenta ſalutis
** Signa crucis præfert: pòſt hinc in vellere pullo*
Infauſti ciues, veſtigia nuda prementes,

* Iudi-

*Iudiciumq; sui pariter, pœnamq; reatus
Admotos nudis* portantes faucibus enses,
*Tacta pudore graui perfundunt fletibus ora.
Protinus è totis fluit ad spectacula castris
Miles, & adstantes densas hinc inde cateruas
Angustus dirimit medio discrimine limes:
Quo vix turba gemens ad regia Cæsaris ora
Peruenisse queat, placida qui fronte serenus,
Pectore contritos, & se peccasse fatentes
Suscipit, & tali summo pro munere Regi
Grates lætus agit, sæua qui mente rebelles
Contudit, & *tumidos tandem resipiscere iussit.
At Ligurum primi prostrati corpore toto
Cæsaris ante pedes, trepidis confusa querelis
Pauca gemunt, veniamq; suis excessibus orant.
Hoc tantùm, veniamq; sonant, veniamq; loquuntur:
Non odio regni bellum mouisse; sed illas,
Quas sibi vicinæ fecissent sæpiùs vrbes,
Non potuisse pati tranquillo pectore noxas.
Nunc veniam nactos, operam, curamq; daturos,
Vt redimant* antiqua nouis, præmissa futuris.
Mox vbi præscripti recitata est pagina pacti,
Atq; probata viris, optatæ pignora pacis
Accipiunt, iunctas consorti fœdere dextras.
Nec minùs emissi Ligurum de carcere longo,
Duraq; temporibus multis* ergastula passi
Captiui dudum varijs ex vrbibus* hostes,
Ordine diffuso circa vestigia magni
Consedére Ducis,* squallentia tegmine fœdo
Corpora velati: miserandos possidet artus
Fœda situ macies, deformia turpis & æger
Inficit ora color, * pressis cutis arida membris
Insidet, humanæ tantùm vestigia formæ

Seruat

Seruat & antiquam retinet natura figuram:
Et, si vera velis imponere nomina rebus,
Non homo, sed viuens hominis videatur imago.
* Et tamen exultant longos fugisse labores
Carceris, & duras semel abiecisse cathenas:
Ignotumq; diu post tristia nubila læti
Aspiciunt Solem, Regemq; libentius ipsum,
Cuius ab exilio sese virtute reductos,
Ac velut è Stygijs tractos meminére tenebris.
Quis referat fletus, * lachrymosaq; gaudia tantæ
Plebis, & interna * tactos pietate dolores?
Cùm captiua diu post durum corpora tetri
Carceris exilium, lætis sic reddita tandem
Ciuibus, & natos vix agnouere parentes,
Iam * niueos canis, primo quos flore nitentes,
Vltima non fastis ad bellum miserat hora
Auspicijs, longas damnatos ferre cathenas.
Nec solùm miseros spacioſi temporis ætas
Fecerat ignotos, sed squallor, & hispida vestis,
Et situs, & macies, & nullo pectine tacta
Vtraq; cæsaries, agnosci penè vetabant.
Tunc demum victa Fridericus ab vrbe recessit,
Modionumq; petens, prisco dignatus honore
Illustrare locum, sacro diademate crines
Induit, & dextra gestauit sceptra potenti.
Hanc fortunædiu, Ligurumq; potentia diues
Eximiam regni proauorum tempore sedem
Presserat, & longa victam ditione tenebat.
Sed placidus Princeps primæuo cuncta decori
Restituenda putans, iniustis legibus illam
Exemit, priscumq; loco reparauit honorem:
Sumptibus & proprijs veteres sarcire ruinas
Iussit, & annosi feniuum deponere fati.

Tunc

Tunc bene regesta, cunctiúq; in pace locatis,
**Cæsaris à facie cum tellus tota sileret,*
Militiæ partem placuit dimittere castris.
Austricus Allobrogum dux cum Duce, Rexq; Boëmus,
*Pannoniæq; simul sub eodem * Rege cohortes,*
Et Moguntino proceres cum præsule multi,
Rege salutato, meritis & laude venusti,
Discedunt castris, conuersaq; signa ferentes,
Teutonicas repetunt transcensis Alpibus vrbes.
Ipse satis multos secum, ceu nullus abisset,
In castris retinens, ad certa negocia regni
Ducitur, & pulchros inuicta mente labores.
Non tamen in tanto clari victoris honore,
Italiaq; metu stolidæ vesania gentis,
Exemplo Ligurum, penitùs compressa quieuit.
Namq; satellitio quidam stipatus iniquo,
Ciuis erat Veronatuus, Tusuidus, vt aiunt,
** Nomen, ab infida caussas tacitosq; furoris*
Vrbe trahens stimulos, Castrum regale, (quod illi
*Appellare solent * vulgato nomine Gardam)*
*Inuasit, cepitq; dolo: * iussuq; relicto*
*Sæpiùs insanis * illo desistere cœptis,*
Spernebat Regem demens audire iubentem.
Infremuit tandem Princeps, Athesamq; rapacem,
Nec ratis officio, solitis nec pontibus vsus,
(Feruida quippe vadum fluuio iam fecerat æstas,)
Contemptis transiuit aquis, vrbisq; superbæ
Depopulatus agros, quædam castella nocentum
*Diruit, & spretas impunè * retransijt vndas.*
Nec minus egregium quiddam Comes aulicus ille
** Tunc quoq; gessit Otho: quite, Ferraria, iussu*
Regis adire parans, intactas omnibus antè
Eridani fregisse vado nil territus vndas

Dicitur, & tumidum primus transisse per amnem.
Hæc quoq; res multùm curæ, iustiq; timoris
Vrbibus Italicis, & magnæ nomina famæ
Adiecit nostris, claro sub Principe, castris:
Quem nihil aggressum frustra natura vereri
Ipsa putabatur: cui sic famulantibus vltrò
Subdita more nouo studijs elementa fauebant.
Ergo Palatinus stupidæ formidine magna
Plebis, & ingenti pariter susceptus honore,
Regia sollerti studio mandata peregit.
Vtq; quater denos fidei pacisq; tenendæ*
Accepit monimenta, vades, ad regia castra
Vertit iter, cunctis digna cum laude peractis.
Hoc quoq; conueniens, & tanto Principe dignum,
Atque inter castos memorabile Cæsaris actus
Scribendumq; puto, quòd tempore Rector eodem
Illecebrosa suis purgauit scandala castris,
Eq; suo cœtu lixas, & scorta, nociuum*
Ac petulans vulgus, satis indignanter abegit:
Nec docilis tolerare moras, pigrosq; quieti
Indulgere dies excluſis pectore sacro
Bellorum curis, pacis benè ponere tempus
Cogitat, & mundo prodesse laborat inermis.
Neue retractato Ligurum inconstantia pacto
Absiliat, solitaq; fremens Laudensibus ira
Immineat, totos vrbis transferre penates
Et veterem mutare situm festinat, & vrget:
Describitq; locum, quem torrens Abdua totum*
Gurgitibus flexis aditu breuiore relicto
Circuit: vt modico muniminatuta labore,
Artificis præstare queat sollertia curæ.
Huc transferre lares, antiquaq; mœnia Rector
Imperat: atque nouam regni sub nomine Laudam

Gran-

Grandibus impensis sese Pater auspice fundat.
Inde per Italicas famosa potentibus vrbes
Curia Roncalijs certo mandatur habenda
Tempore, quo pacis leges, & publica iura,
Aut ea, quæ fisci rationibus applicat vsus,
Omnibus in medium, strictè seruanda, ferantur.
Commemorare iuuat, populo quod fortè sequenti
*„ Proderit exemplo: * ne quis fore credat inultum,*
„ Quicquid in Augustos ausus committere Reges,
*„ * Vel meditatus erit. nam tempore seruus eodem*
Argolici regis (Græci cognominis vsu
*Hic * Caniclinus erat, nobis Camerarius idem*
Esse potest) domino secreta fraude parabat
Sanguinis insidias, & tres sibi criminis huius
*Addiderat socios, quos ad mala * gaudia promptos*
Perdita sacrilegis audacia fecerat armis.
His malè præmonitis peragendæ fraudis iniquæ
Infandum mandarat opus. mox cæde peracta
Vsurpare sibi manibus diadema cruentis,
Et desolatum cupiens inuadere regnum,
** Nescius ipse sui tractabat inania fati.*
*Nam re comperta, priùs illi * lumina lictor*
Fodit, & exerta terebrato gutture lingua,
** Cum socijs longa cruciatum perdidit ira.*
Iam loca iussa petens ex omnibus vndiq; terrú
Principis edicto clarus conuenerat ordo,
Tantaq; Roncalias magnorum turba virorum
Fluxerat, vt nec se similem vidisse priores
Crediderint, nec iam visuros esse sequentes
** De reliquo sperare queant: tentoria ponunt*
Vndanti vicina Pado, quæ more Latino
Ductus ab antiquo talis determinat ordo.
** Semper in æquali Romanus tendere miles,*

Si patitur natura loci, planoq́; laborat.
At si difficili fuerint loca pendula cliuo,
Asperiusue solum, primò correcta labore
Complanare solet, iacto mox aggere fossam
Ducit, & ingenti cingit munimina vallo.
Protinus in quadram vergentia, siue rotundam,
Pro ratione loci, ponit tentoria formam.
**Principis in medio, digno spectanda decore*
Castra nitent, celsi speciem referentia templi.
Quem circa Proceres, condigno iuris honore
Cuilibet exhibito, propius, seu longius absunt.
*Inq́; modum magnæ spacioſis * frontibus vrbis*
Dirigit immensas ad portam porta plateas.
Ante fores ipsas regalia castra secuti
Artifices operum, seu qui venalia portant,
Castra minora locant, faciuntq́; suburbia quædam.
Sic tanquam subitis, properata colonia tectis,
Atq́; repentinæ noua cernitur vrbis imago.
Tunc quoq́; præscripti seruato fœdere moris
Regia dispositis sederunt agmina castris.
Nec minus oppositæ Ligures in margine ripæ
Atq́; alij ciues, tentoria iuncta tenebant:
Brixia quos genuit, quos misit Pergamus, & quos
Italiæ plures, in ijsdem partibus vrbes.
Hæc quoq́; castra suus porrecto ponte per amnem
Continuare parat Princeps, biduoq́; labori
Impenso, medias cinxit pons peruius vndas.
** Nomina magnorum, quos præsens curia vidit,*
Commemorare patrum numerum, gentemq́; referre
Non satis est promptum, non multùm pertinet ad rem.
Id potiùs certa nobis ratione videndum,
Quid bene dispositum, quid ab his feliciter actum,
Quæ noua prodierint tanto sub Principe iura.

Quasue

Quaſúe recenſuerit celeberrima curia leges.
Ergo ſacros tantùm patres, iuriúq; peritos,
Et de Principibus paucos, quibus ipſe timorem*
Norat ineſſe Dei, tacitis Fridericus adaptans
Colloquijs, triduo ſecreta negocia toto
**Rimatur: iuriúq; vices, legumq; tenorem*
Conſulit: hanc illis gaudens iniungere curam,
Vt ſuper Eccleſiæ, ſeu regni iure, ſalubri
*Conſilio monituq; * virum formare laborent.*
Tandem prolato poſt longa ſilentia vultu,
In medio procerum ſpectabilis vndiq; cœtu,
Talibus oramodis Princeps facunda reſoluit.
Si modò non fruſtra, quotiens in nomine Chriſti
Tréſue, duóſue pari conſenſus iuris amore
Congregat, in medio perhibet ſe Chriſtus adeſſe,
Quis dubitet tantis ad commoda tanta vocatis
More ſuo medium primatibus aſſore Chriſtum?
Abſit, vt hos vnquam Chriſti præſentia patres
Deſtituiſſe velit: quibus Eccleſiaſticus ordo,
Imperij leges, & publica iura reguntur.
Nunc igitur Proceres, communi fœdere iuris
Quicquid ad Eccleſiæ, vel regni commodaritè
Pertinet, in medium Chriſto præſente feramus.
** Ipſe quidem quamuis diuino munere Princeps*
Summus in orbe ferar, legumq; immunis, & expers
Non ſeruire quidem cogar, ſed condere iura
Fas habeam, veſtru cupio diſponere cuncta*
Conſilijs: noſtro non ægrè ſpondeo iuſſu,
Vel ſancire nouas, vel priſcis legibus vti.
Nam nihil, vt verum fatear, magis eſſe decorum,
Aut regale puto, quàm legis iure ſolutum,
Sponte tamen legi ſeſe ſupponere Regem.
Gratia ſit magno, qui temperat omnia Regi.

Vndiq; bellorum tumidos ſuppreſſimus æſtus,
Bellatrix poſitis Alemannia conticet armis,
Et vetus Italici deferbuit ira furoris.
Sed veterum leges, edictaq; regia longo
Iuſticio ſuppreſſa ſilent, quæ Carolus olim,*
Quæ noſter vulgauit Otho: veſtigia iuris
Paucæ ſui Italicis agnoſcit fiſcus in oris.
Conſulite in medium, quas me vel ferre recentes,
Vel ſenium paſſas leges renouare velitis.
Ac primùm moneo, quicquid ſtatuiſſe libebit,
**Vtile ſit, iuſtum, naturæ, moribus aptum,*
Temporis atq; loci patiens, & prorſus honeſtum.
Aſt ego quicquid erit, tota virtute tueri,
Et ſancire paro: nec me regnante licebit
Has cuiquam noſtras impunè laceßere leges.
Ac ſi quis tumidus præſumpſerit obuius ire,
Supplicium præſens, manifeſtaq; pœna docebit,
** Non magis inuictum bello, quàm legibus eſſe.*
Talia facundo regaliter ore ſonantem,
Spectabat ſtudio miratrix Curia vultu:*
Quòd neq; doctrinæ ſtudijs imbutus, & æuo*
Penè puer, canos, ſcripturarumq; peritos,
Senſibus & blanda præcederet arte loquendi.
Protinus ingenuo quidam ſermone diſerti
Ora fatigantes, pro conſuetudine gentis,
Siue ſuum Regi ſtudium iactare volentes,
Siue facultatem potiùs monſtrare loquendi,*
Officio linguæ ſtudijsq; loquacibus illum
Inſumpſére diem: quos inter clarior vnus,
(Præſul erat Ligurum) vix exæquanda relatu
Gaudia cunctorum, facundo protulit ore.
Omnibus, à primo quos, inquit, vidimus, æuo
Lætior iſte dies, & clarior eſſe meretur,

Cùm

Cùm te pacificum populi, mitissime Princeps,
In medio residere sui, legesq; citantem
Hactenus extinctas, gaudens videt Itala tellus.
Hæc est illa salus, quam tot iactata procellis
Expectare solet miseræ fors naufraga terræ.
Scimus ab antiquo, quantos, qualesue tyrannos
Senserit Italicæ fortuna miserrima plebis,
Cùm totiens proscripta bonis, addictaq; ferro,
*Aut spolijs * nudas aut sanguine pasceret iras.*
Nec legem ratio, sed Regum sola libido
Poneret, & ferro gaudens, non iure potestas.
Nec minus infestus gens hæc malefida tyrannis,
Atq; his sæpe suo conata resistere damno,
Pressa metu potiùs, quàm læta fauebat amore.
Hinc odium populis, & seditiosa simultas,
Et furor Italiæ multos grassatus in annos
Prodijt, & geminas fecit dissensio partes:
Et partim patriæ, partim regnantibus vrbes
Adsistunt: sæuoq; diu collisa fragore
Bellorum, alternam senserunt mœnia cladem.
Quis Ligurum cædem, quis vulnera sæua Papiæ,
Quis referat Cremæ, quis tristia damna Cremonæ?
Hæc inter varias oppressus legibus vrbes
Exarsit rabies, & longa licentia ferri.
Tu velut eximium post tristia nubila tandem
Sidus ades, tu bella fugas, pacemq; reducis:
Tu leges & iura nouas: te præside rerum
Grata redit facies, certusq; renascitur ordo,
*Nunc age, diuinæ * quicquid sententia mentis*
*Dictabit ius esse, iube: pro * lege voluntas*
Principis esse solet: quicquid decreuerit ille
Esse ratum, mos est & iuris habere vigorem.
Vtere iure tuo, quicquid rectumue, piumue

Esse putas, seruare iube: nos verò volentes*
Omnia suscipimus: libertas maxima nobis
Tàm placido parere viro. Sic ore diserto
Præsul in assensum Regis propensiùs omnes
Impulit, & magno percussit corda fauore.
Tunc quoq; compositis quidam resonantia verbis
Regia Cæsareæ cecinerunt carmina laudis.
Postera lux aderat, solio reuerendus in alto
Considit Iudex: ex omnibus vndiq; multi
Vrbibus ac vicis aderant, queruloq; ferebant
Innumeras clamore cruces (hoc quippe querelas
More solent aperire suas.) Rex omnibus aures
Commodat, & querulis iudex clamoribus idem
Æquus adest, certo dirimens examine lites.
Sed quia tam multis finem dare Curia præsens
Non poterat causis, placuit satis vtile quiddam
Ingenuo pulchrumq; Duci, cunctasq; per vrbes
** Edoctos in iure viros, veriq; sequaces*
*Imposuit, * medio qui cuncta negocia iuris*
*Limite discuterent, * nec eos ex vrbibus ijsdem*
(Ne fauor, aut odium sensus corrumpat eorum,)
Sed magis ex alijs, ad munera pulchra vocatos
Elegit, sacra vel delegauit ab aula.
*Postea sollicitè * regni de iure vetusto*
Quæstio mota fuit: quod desuetudine longa
Priscus inumbrabat neglecti temporis error.
Ac primùm Ligures super hoc à Rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ iura monetæ,
Cumq; molendinis, teloneа, flumina, pontes,
Id quoq;, quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et capitolicium certo sub tempore censum,
** Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.*
*Hæc, & * si quæ pari fuerant obnoxia iuri,*

Præ-

Prælati, Proceres, missúq; potentibus vrbes
Libera Romano liquerunt omnia regno:
Tanta tamen clari fuit indulgentia Regis,
Vt quicunq; bona priscorum * munere Regum
Hactenus ista fide * possederat, idq; probare
Legitimis poterat, vel demonstrare tabellis,
Principis assensu titulo gauisus eodem
Nunc quoq; possideat: reliquis in iura relatis
Regia, * librarum triginta millia puri
Annuus argenti fisco solet addere census.
Tunc Proceres stabilem * iurando nectere pacem
Rector, & adiecta certo sub nomine pœna,
Italicas latè iussit vulgare per vrbes.
* Mox de communi feudorum iure, quod illa
Perspicuis nondum scriptis expresserat ætas,
Has dedit, & scripto iussit notescere leges.
Si quis habens feudum, precio seu vendere totum,
Seu pro parte velit, dominiq; licentia desit,
Seu dare, seu vadio supponere * cogitet, illud
Qui dedit amittet, non qui suscepit habebit:
Nullaq; vel longi præscriptio temporis obstet,
Quò minùs ad dominum redeant translata priorem.
* Emptoriq; bonæ fidei præstetur in illum
* Actio, quæ precium cogat redhibere solutum.
Hæc magnus fieri vetuit Lutherius; at nos
* Facta retractari volumus, facienda cauteri.
Successor feudi, totum si fortè per annum
Atq; diem, tacto primæ iam tempore pubis,
Siue dolo, seu desidia, seu mente superba,
Spreuerit à domino feudalia poscere iura,
Perdat, & hæc dominus proprios assumat in vsus.
Publica militiæ vasallus munera iustæ
Non renuat, dominiq; libens in castra vocatus

 Aut

Aut eat, aut alium pro se submittat iturum
Arbitrio domini, vel quàm laudauerit ille,*
Compenset, redimatq; suum mercede laborem.
Si patris dominum vassalli filius acri
Læserit offensa, festinet prouidus illum
Conciliare pater: quòd si contemnet agendum,
Munere priuetur: si verò audire monentem
Filius indomita neglexerit aure parentem,
Non erit in feudo successor idoneus illo,
Ni priùs accensam domini placauerit iram.
Si tuus ex feudo cuiquam vasallus id ipsum
Contulit, atq; tuo vasallum munere fecit
Ipse sibi, si fortè tuam iam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa domino mediante secundo
Fecerit ipse satis, reprobato protinus illo
Ad dominum redeant feudalia iura secundum.
Si tuus ille suum tibi conciliare fidelem
Spernit, & aut torpens, aut perfidus esse probatur:
Ambobus spretis ad te tua iura recurrent.
Inter vasallos vnius fortè patroni
Quæstio de feudo quoties agitatur, eodem
Quo feudi domino gaudent, hoc iudice certent.
Si tibi pro feudo, quod te tribuente fatetur
Acceptum, tu verò negas, vasallus agendam
Fortè mouet litem, non tu, sed curia iudex
Audiat, & certo determinet ordine caussam.
Marchia, seu Comitis possessio, siue Ducatus
Integra permaneant: feudalia cætera multis
Participanda patent, domino dum quisq; fidele
Spondeat obsequium, iurandaq; fœdera præstet.
Sic tamen, vt dominos eiusdem nomine plures
Vasallus feudi non compellatur habere.

Præ-

Præterea quotiens feudali iure recepto
Vasallus domino fidei iuramina præstat,*
Excipiendus erit Romanus nomine Princeps.*
Omnibus his leges voluit subnectere pacis
Cæsar, vt extremo positis in fine loquendi
Vocibus, admonitas penetrarent altiùs aures.
**Omnibus in nostro, quod toti præminet orbi,*
Gentibus & populis edicta potentia regno
Tradimus: vt cuncti bellorum clade remota,
Tempore iam nostro pacis seruare quietem
Incipiant homines: pœnasq; nocentibus vltrò
Addimus, & iustam legum proponimus iram.
Hanc Proceres cuncti, Comes, an Dux, Marchio, Con-
Et cum iudicibus, capitanea turba, verendis, (sul,
Miles, paganus, ciuis simul atq; colonus,
Et cum plebeio pariter grege nobilis ordo,
*Omnes hanc inquam penitùs, quoscunq; * nec ætas*
Pupillaris habet, nec septuagesimus annus
Contigit, in medium concordi fœdere iurent.
Ac ne fortè sacræ veniant obliuia pacis,
Singula iuratam renouent quinquennia formam.
Iudicis officio sua cuncti iura sequantur,
Contineantq; manum: vaginæ redditus ensis
*Torpeat: & * scabie rubeat, non sanguine ferrum.*
** At si quid temerè contemptis legibus actum,*
Et violata sacræ fuerit reuerentia pacis,
Vrbs centum libris puri mulctabitur auri:
Oppida vicenis: at Marchio, seu Comes, aut Dux
Quinquagena dabit læsa pro pace talenta:
*Magnates bis dena viri, * bis sena minores.*
Vulnera, vis, cædes, liuor, mutilatio membri,
Insidiæ, fraudes, iniuria, furta, rapinæ,
Damnaq; legitimus mulctentur subdita pœnis.

* Maior,

* *Maior, qui pacis noxas punire recusat*
Conuictus iudex, fului bis quinq; metalli
Appendet libras, damnumq; resarciet omne
Legis ad arbitrium: minor atq; pedaneus in tres
*Condemnandus erit: * cuius fortuna laborans*
Non potis est auro pœnales soluere noxas,
Arctatum vinclis, grauioraq; verbera passum,
Sedibus à patrijs hunc quinquagesimus annos
Amoueat per quinq; lapis, tandemq; reuerti
Fas sit, & optatos patriæ contingere fines.
Ne conuenticulum, vel conspiratio fiat,
Siue sodalitij, seu iuncti sanguinis æstu
Vrbibus in nostris, tali sub lege vetamus:
Qui conuictus erit, libra mulctabitur auri.
Pontifices, sanctiq; patres, anathemate sacro
Spretores pacis, damnataq; legibus ausos
Intrepidè feriant, humanaq; iura supernis
Legibus, & iustum studeant sancire timorem.
Hactenus Italicas fieri consueta per vrbes,
Angarijsq; sacras etiam vexare frequenter
Ausa domos plerunq; suis, exactio cesset:
Aut exacta duplo redhiberi plura iubemus.
Qui pacis iurare modum formamq; tenere
Improbus abnuerit, quæ possidet omnia vulgo
*Diripienda patent, * euertendiq; penates.*
Qui violatorem pacis fouet, atq; receptat,
Consensu culpæ meruit consortia pœnæ.
Iuramenta metu, mortisue dolore coacta,
Præcipuè ne quis multis nocitura loquendo
Publicet, aut in se crudeliter acta queratur,
Nullius meriti, vel ponderis esse iubemus.

Libri Octaui finis.

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI IX.

Aëre Placentius Cremonenſes damnat: & inde
Cæſar Sardiniæ fines Ianuamq; tenebat.
Ille Friſingus Otho moritur: mox Papa ſuperbit.
Deficiunt Ligures: veniunt legata: Ligurque
Victus erat, Papæ ſua priſtina iura reponens.
Pugnaq; conſeritur, cum magna clade ſuorum:
Depopulatur agros, & cingitur obſidione
Ligur, & ingentem capiunt ſua mœnia cladem.
Cumq; fame iam peſtis adeſt: & crimine magno
Inſidiæ Regi, Ligurum de more, ſtruuntur.

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE REBVS GESTIS Friderici I. Ænobar. Aug. Lib. IX.

INter cauſſantis creberrima iurgia turbæ,
Et querulas varijs ex vrbib. vndiq; lites,
Magna Placentinos, & pulchræ rixa Cremonæ
Vexabat ciues, & adhuc vetus illa ſimultas
Spirabat, ſtimulisq; viros agitabat acerbis.
Nam licèt has iunctis connexas finibus vrbes
Gurgite vix medio dirimat Padus, illa Papiæ,
Hæc vrbi Ligurum, concordi fœdere iuncta,
Hactenus alternas ſtudijs hoſtilibus iras,
Atq; graues odij ſtimulos agitare ſolebant.
Sed tunc antiquis acceſſerat hæc quoq; cauſſis.
Nam dum Roncalias peteret Fridericus, eumq;
Signa Cremonenſis ſequerentur bellica turmæ,
Emiſit tumidos inimica licentia ciues,
Irritansq; viros, quaſi per colludia quædam,

Inſti-

Instituit verum collato milite bellum.
Nec sine cæde quidem, nec prorsus sanguinis expers
Pugna fuit, sed vtraq; viris ex parte peremptis
** Præbuit alterno casus solatia damno.*
*Ergo Cremonenses * cauſſa meliore simulq;*
Ingenuis freti facundi laudibus oris,
Acribus inuidiam stimulis, & Principis iram,
(Quippe nec illicitos satis excusantibus ausus
Hostibus) accumulant: donec vix deniq; multo
Ære dato, taliq; reis est reddita pacto
Gratia, deiectis vt tota turribus vrbe
Mœsta ruinosis lacerarent mœnia muris.
Quasq; metu Regis cœpissent ducere, rursus
Ingesto patulas implerent aggere fossas.
Hactenus Italicis pulchro satis ordine rebus
Dispositis, ad quæq; volens extendere Cæsar
** Vlteriora manum, Tyrrheno gurgite clausos*
Sardiniæ fines, & Corsica rura potenter
Conciliare suis parat atq; adsciscere regnis:
Atq; ideo geminos proceres præmittere, quorum
** Hic Comes, hic Præsul, suspectaq; pectora gentis*
Pacem, an bella velint, cogendi, an sponte sequantur,
Attentare libet. Securos Ianua missis
Altaq; Pisa viris aditus præstare iubentur.
Vtraq; Tyrrhenas longè metuenda per vndas,
Vtraq; famosis latè vulgata triumphis.
Quid tamen inciderit, cur hæc legatio finem
Non fuerit sortita suum, perpendere nobis
Inde licet: quòd ab his regionibus vtraq; sedes
Plurima ferre solet dominatu commoda longo.
Vnde satis liquidè mandata negocia regni
Præpedijsse queunt occulta fraude videri.
Sed neq; tuta dolo versutæ Ianua plebis,

Nec

Nec ſale Tyrrheno, nec quos natura locorum
Vix aditu ſtricto, multoq; labore petendos
Oppoſuit montes, irati Principis acres
Eualuit vitare minas: veniaq; petita,
Vix precio fraudem marcarum mille redemit.
Hoc tamen adiecto, * ne claudere pergeret vrbem,
Iuſſus ab incepto populus deſiſtere muro.
Cœperat æſtiuis ſuccedere torpida caſtris
Conuerſo iam bruma gradu, placuitq; potenti
* Multimodoq; Duci, terræ melioris opima,
Intactosq; priùs diducto milite paſſim
Et latè ſparſis fines inſidere caſtris.
Nec mora, frugiferu opulentam finibus Albam
Occupat, hibernis ſatis hoſpita mœnia caſtris.
Hîc quanto poterat Princeps terrenus honore
Proxima ſidereicoluit natalia regis.
Inde per Ethruſcas legatos deſtinat vrbes,
Campanasq; domos, & quas in littore curuo
Æquorei lauat vnda ſalis: qui debita fiſco
Iura vetuſta petant, per quos ſtatuantur in omni
Vrbe magiſtratus, & * ciuica quæq; poteſtas.
Prætereareditus, cunctis de finibus illis,
Quos famoſa priùs poſſederat illa Mathildis,
Pluribus inuaſos, Rex in ſua iura retraxit.
Inde recollectos, & tanquam corpus in vnum
Partibus ex multis quadam grauitate reductos,
Neſcio, quid priſci ſe iuris habere volenti,
Ac velut hæredi, cumulato munere Princeps
Conceſſit Catulo, qui Regis auunculus, illo
Tempore Dux validus felicia caſtra * nepotis
Milite non pauco, mentisq; vigore iuuabat.
Hunc ex Romano Catulorum ſanguine clarum,
Et genus, & nomen (niſi fallit fama) trahentem,

Teuto-

Teutonicus verſo Vvelfonem nomine ſermo*
Dixerat, ambiguæ deceptus imagine vocis.
Inter ſucceſſus lætos, & proſperarerum
Magna repentino Regem tactura dolore
Perculit, & placidæ turbauit gaudia mentis.
Nam Procerum multi, ſeu qui ſub Principe claro
Caſtra ſequebantur, ſeu qui ſub pace quieta
Teutonicas vrbes, nataliaq́ arua tenebant,
Extremum clauſére diem. Quo tempore Præſul
Ille Friſingus Otho, maioris cauſſa doloris
Extitit ingenuo comperta morte nepoti.
*Hic patruus Regis, * ſtudijs in vtrisq́ peritus,*
** Regia ſigna ſequi ſemper conſueuerat; at nunc*
Credo equidem, reuocante Deo, languore grauatus
Manſerat, vt medius fratrum, cleriq́ gementis
Inter luctificos pſalmis modulantibus hymnos,
Non in caſtrorum ſtrepitu, ferriq́ fragore
** Expirare ſacram diuini muneris auram*
*Poſſet, & * æthereo tandem ſua reddere regi.*
Interea veterem prauis auctoribus iram
Summus, & extinctas animo refricare querelas
*Cœperat antiſtes, magnumq́ * potentis honorem*
Anxius inuidiæ ſtimulos Adrianus habebat:
*Præcipuè * poſtquam ſua iura recognita fiſco*
Aſſenſu Procerum per cunctas comperit vrbes,
Indoluit facto, quantumq́ videbat honoris
Acceſsiſſe Viro, tantum Pater ipſe putabat
*Deceſsiſſe ſibi: tunc * quicquid atrocius actum*
Antè videbatur, legatorumq́, ſuosq́
Contemptus, regniq́ minas, mandataq́ duris
*Aſperiora notis, * ceu quædam pabula flammæ*
Inuidiæq́ faces, ardenti ſponte camino
Adijcit, & rapidos fornaci ſuggerit æſtus.

Hæc

Hæc quoq; cauſſa recens aderat, quòd regia miſſi
Quærere iura, Viri, dum per caſtella, locosq;
Pontificis ſummi, mandata fidelius æquo
Publica conficiunt, nimia feritate timendi
Inſolito miſeros vrgebant pondere ciues.
** Ergo noua veterem cauſſa ſtimulante dolorem,*
Gaudebat crebris Regem culpare querelis,
Iniuſtum, ſæuumq; vocans, regnoq; ſuperbum,
Ingratumq; ſibi, qui tanti culminis vlrò
Nomen, & Imperij ſummum tribuiſſet honorem.
Ac primùm ſcriptis leuioribus, atq; paterno
Affatu ſuadere viro: mox acriùs illum
Corripere, & nimiùm verbis inſtare moleſtis.
*Nec minùs ille * vicem maledictis reddere gaudens*
Verba remittebat chartis odioſa ſuperbis.
Sic alterna ferens diuerſæ iurgia partis,
Acriùs incenſas ſtimulabat epiſtola mentes:
Conflictuq; graui totius maxima mundi
Nomina, magnarum quatiebant prælia rerum.
** Nec fuit ambiguum, multis (ſi credere fas eſt)*
** Pontificis ſummi ſcriptis, crebroq; rogatu*
Pellectos Ligures, iterum ceruice rebelli
** Abrupiſſe ſacras, contempto fœdere, leges.*
Ergo vbi cum claro præſul Reinaldus Othone,
Signifer hic prudens, & Cancellarius ille,
Et Comes eximiæ laudis Gozuinus, ad Vrbem
Magna peracturi venére negocia regni,
*Infremuit, * cœpitq; furens concurrere vulgus.*
Quaq; receptus erat Præſul famoſus in æde,
(Nam Comites ambo, muros, ſuſpectaq; cauti
Mœnia vitantes, extrà prudenter agebant)
Hanc lapidum ſæuo Ligures euertere iactu,
*Atq; ipſum * magni legatum Cæſaris alta*

Pontificem fama, mentiq́; vigore timendum,
Certatim sæuo properabant tradere letho.
Nec prohibere potest Regi deuotior ipsa
Nobilitas, nec qui socia conciuis in vrbe
Egregium nomen Guido Blandratensis habebat.
Vix tandem rabidas, eiusdem præsule sedis
Subueniente, minas effugit præsul, & vrbis
Pestiferæ muros, infidaq́; tecta reliquit.
Protinus infectis legati regia rebus
Castra petunt, sociasq́; gradu properante cateruas.
Interea Regum legatio fida potentum,
Diuersis studijs, ad magni Cæsaris aures
Attulit ex varijs mandata recentia regnis.
Principis Argolici quidam mandata ferentes,
Securos in castra gradus, pacemq́; petebant.
Iamdudum siquidem Stapulensis morte Vuibaldi,*
Quem lux Argolicis oppresserat vltima terris,*
Suspectos Regi sese vehementer haberi
Audierant, gentemq́; suam purgare parabant.
Nec minus Hungariæ rector, iam fraude recenti
Compertæ Ligurum, mandata fidelia pacis
Scripserat Augusto, pluresq́; prioribus illi
In pœnam sceleris spondebat mittere vires.
Anglus, & vrbanis illo qui tempore Gallis
Rex erat, ambo viros ad regia castra fideles
Legarant: pacisq́; fidem, magniq́; fauorem
Cæsaris oblatis certabant poscere donis.*
** Hos inter Reges vetus & grauis inde simultas*
Orta ferebatur, quòd Galli Principis vxor,
Coniuge dimisso rectori nupserat Anglo.
Inde ferox odium, stimulisq́; ardentibus ira,
Sæuaq́; limitibus dirimentis bella furentes
Vexabant: ideoq́; sibi properabat vterque

Alterius

Alterius damno conſciſcere Cæſaris arma.
Hos omnes hilari vir prudentiſſimus ore
Laudauit, donisq; ſuis dimiſit onuſtos.
Interea reduces legati caſtra ſubibant,
Fœda reportantes Ligurini criminis auſa.
Cognita res, cunctos, Regemq; ferocibus ipſum
Concuſſit ſtimulis, iterumq; recanduit ira.
Ne tamen Auguſto quicquam ſub Principe certo
Ordine non fieret, rurſus tribus eſſe citandos
Edictis Ligures iuris ſuaſere periti.
Quæ poſtquam tumida ſpreuerunt mente ſuperbi,
*Curia damnatos regni * denunciat hoſtes.*
Vtq; viros iuſtæ ſtimulis grauioribus iræ
Rurſus ad armiferos incenderet ipſe labores,
In medio Procerum cœtu, vulgiq; corona,
*Talia * melliſluo Fridericus protulit ore.*
*Sæpe quidem veſtras ad prælia * cogere vires,*
Et fidas adhibere manus, iterata malorum
Improbitas, Ligurumq; frequens iniuria cogit.
*Res oneroſa quidem, nec * ſi dubitabilis eſſet*
Grata fides, totiens ad magna negocia pigras
Atque recuſantes auderem poſcere dextras:
Sed quia communis labor eſt, vobisq; minori,
Quàm mihi, quod geritur, curæ non ſuſpicor eſſe,
Auxilij quotiens veſtri, certiq; fauoris
Tempus eget, regnumq; recens fortuna laceſſit,
** Tutus ad inuictum veſtræ virtutis amorem*
Confugio, certusq; manus imploro fideles.
Scitis, & horrendum vobis durumq; videri
Ceu mihi, non dubito, periuræ ſæpius vrbis
Prodigiale nefas, quam vix modò munere noſtro
Delicti veniam, fructumq; ſalutis adeptam
*Excitat in ſolitos ferritas * recidiua furores.*

Hosted by Google

Quæiam de reliquo fidei, pacisq; tenendæ
Spes superesse potest, cùm sacramenta, fidesq;,
**Totq; vades Italas nostro sub iure per vrbes*
Infidæ rabiem nequeant compescere plebis?
Det pœnas periura graues, crudelia tandem
*Facta luat, meritoq; cadat, *quæ stare recusat.*
Audierant, aliusq; alium certante fauore
Præueniunt, stimulusq; virum maioribus vrgent.
At Rex rem tantam, tantiq; laboris egentem,
Non nisi Teutonico peragendam robore credens,
Germanos Proceres, cognataq; signa nepotis
Baugariæ Ducis, atq; alios plerosq; potentes,
Teq; thori sociam sacri generosa Beatrix,
Ex transalpinis ad sese conuocat oris.
Ipse per Italicas paucis comitantibus oras
Vndiq; discurrens, bello quæcunq; sequenti
Vel prodesse sibi, vel obesse putauerat hosti
Accelerat, castella viris, armisq; cibisq;
Instruit, atq; nouam valido munimine Laudam
Cingit, Ticcini passuram pondera belli.
Cumq; sibi fidæ tetigisset mœnia Cumæ,
Belligeras vires, atq; auxiliaria poscens
Agmina, plura suus vltrò collata petitis
Accepit, fidæ gauisus plebis amore.
Cumano præcincta lacu iacet insula quædam,
Belligeris fœcunda viris, quæ fœdere prisco
Infidæ Ligurum sese sociauerat vrbi:
Nauigioq; potens piratica bella gerendo,
Gaudebat crebris stagnum infestare rapinis:
Hanc Rex ob varios bellorum prouidus vsus,
Conciliare suis sapienter cogitat armis.
**Nec fuit hoc frustra: structa nam classe, paranti*
Assultum bellumq; Viro, deuecta carinis

In medi-

In medium plebs illa lacum, victore recepto
Ceſsit, & ex illo generoſo tempore Regi
Fida fuit, puroq; fidem ſeruauit amore.
Tunc quoq; conceptum, tacitumq; Placentia virus
Quo minus euomeret, ſeſe cohibere nequiuit.
Nam dum Cæſarei per fines vrbis iniquæ,
Nomine pœnali quæ Ianua ſoluerat, æra
Legati ferrent, ipſa mox vrbe latrones
Egreſſi, ſpoliare viros, & regia fœda
Non timuére manu contingere turpiter æra.
Ergo graui Princeps ex hoc quoq; concitus ira,
Maieſtate ſui ſecurus nominis, vltrò
Ingreditur trepidam paucis comitantibus vrbem,
Regalesq; minas, metuendaq; verba ſuperbis
Ciuibus incutiens, vix exoratus ab illis,
Quam tulerant ſummam conceſſa pace recepit.
Inſtabat veneranda dies, qua Chriſtus ab imo
Ora ſolo turbæ referens optata fideli,
Victor ab * *infernа captiuos ſede reduxit:*
* *Hanc quanto potuit Mutinenſi Cæſar in vrbe*
*Egit honore diem, finesq; * Bononia iuris*
Ingreditur ſtudioſa tuos, vbi caſtra, ſuasq;
Tempore iam longo non viſas ille cohortes
Liquerat, eximio magnis in rebus Ebrardo.
Ergo vbi legitimis Ligures iam ſæpe citatos
Edictis ſpreuiſſe videt, nimiumq; tenaci
Proposito * *fixiſſe pedem, ne vel modò quicquam*
* *Præcipitanter agat, famoſa Rector ab vrbe*
Præcipuos in iure viros, legumq; peritos
Euocat, & quæ ſit contemptus pœna requirit.
Quæ diſcuſſa diu, cunctorum deniq; talis
Iudicio deſcripta fuit: * *direptio rerum,*
Seruitium populi, ſubuerſio funditùs vrbis.

*Intererant castris à summo Præsule missi
Prudentes, clariq; viri, Guilhelmus, & ille
Qui pòst schismatica longum feritate rebellis
Perstitit ad tumulum, successoriq; reliquit.
Hi post sermonum primordia blanda suorum,
Et delinitas facundis vocibus aures,
Aspera, nec placida Friderico mente ferenda
Attulerant, certis ita definita figuris.
Non licet Augusto, nisi tantùm Præsule summo
*Conniuente, sacram legatos mittere ad vrbem,
In qua, iura Petrus meritò tenet omnia solus.
*Non licet & fisco castella, vel oppida Papæ,
Collectis vrgere suis, nisi tempore tantùm,
Quo Princeps primam Romæ gestare coronam,
Imperijq; nouos admittere gaudet honores.
Pontifices Italos omnes non expedit esse
Principis ad fidei modò iuramenta vocandos.
*Non licet & cuiquam Regis mandata ferenti,
Pontificum vexare domos: hunc more vetusto
Solus ritè sibi Princeps defendit honorem.
Quicquid ad eximij rectè patrimonia Petri
Pertinuit dudum, possessio, siue tributum
Restituatur ei, comitissæ terra Mathildis,
Et Spoletanus sub eodem iure Ducatus.
Quicquid ab excelsis Romanæ mœnibus vrbis
Pendentem seiungit Aquam, Ferrariæ, Massa,
Et cum Sardois vberrima Corsica campis,
Pontifici summo prisco de more tributum
Soluat, & antiquas iusto sub * canone leges.
Hæc *satis argutis rationibus omnia Princeps
Extenuans, doctus dissoluit singula verbis,
Oppositq; suam ruptæ de pace querelam,
Quam secum tali firmatam lege ferebat:

No

Ne cum Romanis, Siculo, Graióue tyranno
Ipsius iniussu sociaret fœdera Præsul.
Denig; vel* stricto iuri, legumq; rigori
Stare, vel arbitrio sapientum velle virorum,
Facturumq; satis, suscepturumq; libenter
Conditione pari sese promisit. At illi
Accepisse quidem, sed non præstare paratos,
(Ridiculum quiddam,) sese venisse, ferebant.
Nam se iudicio * Papam, qui iudice nullo
Fungitur in terris, supponere posse negabant.
Pluribus exhibitis frustra, subiecit & illud
Cæsar, vt electis bis tres à Præsule summo,
Totq; sua de parte viri, quibus omnia vero
Postponenda quidem certa ratione putentur,
Omnia sollicita dirimenda negocia cura
Suscipiant, certoq; Dei peragenda * timore.
* Sed nec in hoc Præsul consensit, & omnia nutu
Ire suo cupiens, iustæ se subdere legi
Respuit, vt magnæ causas qui quæreret iræ.
At Ligures tacitæ molimina fraudis * in actum
Sæuitiæ proferre parant, Trecium q;, quod illis
Ereptum valido iamdudum milite Rector
Munierat, terrore graui, validaq; minantur
Expugnare manu, tormentaq; bellica * raptim
Secreto fabricata dolo, subuectaq; plaustris
Marte graui seiuncta ferunt, magnaq; repentè
Mole leuant, castrumq; nouis assultibus vrgent.
Missilibus telis alij, celeriq; sagitta
Mœnia summa petunt, lapides agitata minores
Fundà rotat; * magnos balearica machina muros
Incutit, & duro munimina verberat ictu.
Ast alij * clypeis densa testudine iunctis
Fossarum supplere lacus, murosque latenti

Suffodisse dolo, seu duri roboris ictu
Frangere, seu gradibus scalarum scandere turres
Acriter, & celsas properant comprendere pinnas:
** Hoc magis vrgentes, quòd regia signa propinquis*
Finibus, & magnas metuebant Cæsaris iras.
Nec minus è summis animosi turribus hostes
Saxa rotant, frangunt q3 suos in præliа muros.
Vndiq3 tela pluunt, balistæ turbine ruptus
Sibilat, & longis resonat stridoribus aër.
Prima sequens q3 dies, cœpto momenta labori
Magna dedit; victos patefecit tertia muros.
** Iam q3 fatigatis toto iam corpore nostris,*
Nec reuocare manum, nec respirare licebat,
** Aut mutare locum, primò quem quisq3 tuendum*
Ceperat: at Ligurum sibi mutua signa frequenter
Succurrunt, mutant q3 vices, semper q3 videtur
Augeri numerus, semper succrescere vires.
Succubuit numero virtus, sæuo q3 tumultu
Effractæ patuére fores, pugnax q3 iuuentus
Aut misero gladios hostiles sanguine tinxit,
Aut tulit iectas collo manibus q3 cathenas:
** Hîc tamen in duris habito discrimine rebus.*
Nam quoscunq3 illic victor de gente Latina
Repperit, ense ferox, & inexorabilis omnes
Perculit, & ferrum gentili sanguine pauit:
*At quos Teutonici manifestè * sanguinis index*
Lingua venustabat, tractandos mitiùs esse
Credidit, & captis sublata cæde pepercit,
Hus q3 quater denis, regni quos fama clientes
Vera fatebatur, in vincula dura coactis,
Infandis alij perierunt cædibus omnes,
Ipsa q3 castelli fractis munimina muris
Euersa, & rapidæ cecidérunt tradita flammæ.

At Cæ-

At Cæſar tantæ comperto vulnere cladis
Indoluit, luctuq; graui commotus, & ira
** Continuit gemitum, preſſitq; in corde dolorem,*
Fortia Principibus præbens exempla dolendi.
Non placuit meritas noxarum ſumere pœnas,
Vlciſciúe ſuos, aut bella mouere, priuſquam
Curia Roncalijs iamdudum indicta coiret.
Hîc Ligurum fraudes, & fœdera rupta, ſuasq;
Omnibus offenſas mirantibus, atq; ſuperbæ
Perfidiam plebis iuſto damnantibus ore,
Edidit, atq; ſuæ conſciuit robora cauſſæ.
Protinus hoſtiles infeſto milite fines
Irruit, & latos ferro, ſimul igne, rapina,
Depopulatur agros, ficus, vineta aq; ferro
Cædit, & arboreos detracto cortice truncos
** Excoriat, nullus vltrà iam fœtibus aptos:*
Vtilius reputans damnis, quàm ſanguine fuſo
Deterrere reos, tumidasq; retundere mentes:
Aut ſi fortè truces vel ſic reſipiſcere nolint,
*Conſumpti pereant, vel deditione * ſupremi,*
*Vel famis exitio ſumptu * breuiore ciborum,*
Seq;, ſuosq; ſimul cogantur tradere muros.
*Præterea * portas poſito cuſtode per omnes*
Abſtulit vtilium clauſis commercia rerum.
Neúe quis hoſtili venalia deferat vrbi,
** Audenti pœnam, prodenti præmia fixit.*
Sæpe fores vrbis ſtipatus milite forti
Accedit, tutos vt mœnibus euocet hoſtes.
Sæpiùs egreſſos impunè, iterumq; reuerſos,
** Egregia tandem Fridericus fraude fefellit,*
Eductoſq; ſua Ligures pauliſper ab vrbe,
Conuerſoſq; fuga, ſocijs præcurrere iuſſu,
Faucibus anguſtis intercipit, atq; negato

Portarum ingreſſu, captis, ferróue peremtis
Pluribus, incolumes vix paucos reddidit vrbi.
Cumq; procul Ligurum fines penetraſſet, agrosq;
Depopulans, magno * momenta potentia bello
Adderet, hoſtili velox equitatus ab vrbe
Quingenti iuuenes, animis armisq; valentes
Regia tranſlatæ petierunt mœnia Laudæ,
Inuentosq; greges latis armentaq; campis
Ad ſua conuerſo cogebant mœnia curſu.
Hos Dux Anconæ raptis * Guarnerius armis,
Atq; alius, ſub quo tunc præſule diues agebat
Mantua, præcipuæ meritus præconia famæ,
A tergo iuuenum valida comitante caterua,
Horribili clamore premunt, prædaq; recepta
Sexq; decemq; viris Ligurum de gente peremptis,
Vix alios muris pauidos vrbs mœſta recepit.
Iamq; quater denus ferro flammaq; diebus
Inclitus hoſtiles Princeps vaſtauerat agros,
Oppidaq; & valitis munitas turribus arces
Ceperat, inter quas nulli ſuperabilis antè
Ceſſerat inuicto quædam munitio Regi,
Quam Montem ſancti plebes vocat illa Ioannis.
Iamq; ferè * cunctis mutilauerat vndiq; membris
Infidum reprobumq; caput, tantumq; relictis,
Cætera ſubdiderat victor ſibi caſtra duobus.
His aliud quiddam pulchrum fortuna recensq;
Addidit, & largi cumulauit dona fauoris.
Namq; ſuos equites * opulenta in rura Cremonæ,
Et prædabundas emiſit * Brixia turmas.
Cumq; per inuaſos latè diſcurrere fines
Cœpiſſent, nulloq; metu ventura cauerent,
Præmoniti dudum, latebroſis ſedibus hoſtes
Proſiliunt, terrentq; viros, ſunduntq;, fugantq;,

Attoni-

*Attonitosq; necant, & * ferrum sanguine pascunt.*
Sic sexagenos equiter, peditesq; trecentos
Vel gladius fudit, vel constrinxêre cathenæ.
At Cæsar reprobæ vastatis finibus vrbis
Fida suæ repetit victor munimina Laudæ.
Hîc iam dimissis Italis, vxoria signa,
Et transalpinas libet expectare cohortes.
Creuerat interea Ligurum cum tempore pestis,
Appositisq; malum capiens augmenta diebus
Ingruerat, totamq; fames possederat vrbem.
Non tamen infaustos homines mala tanta docebant
Pœnituisse sui, quos desperatio tutos
Fecerat exclusa certæ formidine cladis.
Vnde nec insidias infandi, occultaq; mortis
*Expauére sacro * molimina reddere Regi.*
Protinus immani metuendum corpore quendam,
*Cuiq; erat * ex facili verum simulare * furorem,*
Allectum precio stimulant, vt regia castra,
Vesanum simulans verbis ac gestibus, intret,
Exceptumq; dolis, inuento tempore, Regem
Interimat quocunq; modo: nec tardior ille
Consilijs parere malis, hostilia magni
Proxima conspicuæ Regis tentoria Laudæ
Subuersa facie, cunctis incognitus intrat.
Exceptusq; semel, totis ludibria castris,
Et faciles præbere iocos, risumq; mouere
Gaudebat, stultæ simulator callidus artis:
Squallidus, illota facie, barbaq; comaq;
Horridus impexa, scisso pannosus amictu,
Fulgur habens oculis, spumanti sordidus ore,
Nunc pauidus vultu, nunc efferus: & modò mitis,
Et modò trux: modò blanda loquẽs, modò iurgia nectẽs:
Nunc humilis, nunc ore minax, ac feruidus ira:

Nunc

Nunc celer inceſſu, nunc tardior: & modò pallens,
Et modò terribili ſuccenſus lampade vultum:
Nunc riſu lachrymas, gemitu modò gaudia rumpens,
Sæpè genas alapis, colaphis ſupponere collæ
Gaudebat, prudens hominis ſimulator inepti.*
Sic olim Priamum, peritur aq; Pergama mendax
Ille Sinon, Graia munitus fraude, ſubiuit,
** Illuſusq; diu miſeris illudere Teucris*
Optabat, ſenſuq; dolos tractabat iniquo.
Vtq; per expreſſi certiſſima ſigna furoris,
*Omnibus in caſtris ſuſpectus * deſinit eſſe.*
Ipſum etiam Regem cœpit funeſtus ineptis
Delinire iocis, dum tandem tempore rapto
Prodijt in verum veſania ficta furorem.
** Nam cùm more ſuo, primo Rex lucis in ortu,*
Ad matutinos diuinæ laudis honores,
Strenua neglecto rapuiſſet membra cubili,
*Omnibus in caſtris * pingues efflantibus auras,*
Et matutinæ preſſus torpore quietis,
Dæmonis impulſu, ſæuiſſimus ille ſatelles,
Opportuna ratus peragendæ tempora fraudis,
** Pronus in alterutrum, vel ſeſe ſubdere morti,*
Vel patrare nefas, incautum fortibus vlnis
Implicat, & grauiter robuſto corpore preſſum
Extrudit caſtris, altæq; crepidine ripæ
Præcipitare parat, fluuioq; immergere Regem:
Feciſſetq; reor, ni Cæſar fraude reperta
Multa reluctatus, caſtrorum in fine ſupremo,
Implicitusq; manu prenſis hæſiſſet vtraq;
Funibus, & magno ſocios clamore vocaſſet.
Qui mox excuſſo ſomni torpore ruentes,
Iniectis manibus circumſtant vndiq; monſtrum.
Ac primùm rigidos vlnarum ſoluere nexus,

Ille-

Illæsumq; Ducem, cautè subducere tentant.
Inde flagellatum, condignaq; fraudis adeptum
** Præmia, flumineis torrens absorbuit vndis.*
** Non tamen hoc sceleris comperto fine quieuit,*
Abstinuitúe dolis reprobæ versutia plebis,
Eq; suis octo magna mercede paratos,
Furtiuis Laudam stimulant incendere flammis.
Horum qui primus scelus attentauit, in ipso
*Ignibus admotis * deprensus criminis actu,*
*Quas decuit pœnas ligno persoluit * adactus,*
Certaq; complicibus scelerum, ne tale quid vltrà
Ausuros impunè putent, exempla reliquit.
Alter, vt explorans hostilia castra subire
*Posset, & * innocuæ speciem prætendere mentis,*
Induerat monachum: sed & hic deprensus, eodem
Supplicio mortem, probrosaq; fata subiuit.
** Nec reticere libet, quid tempore Cæsar eodem*
Ambiguo quodam scriptos auctore salubres
Accepit monitus, venturum in regia quendam
Castra, veneficijs, magicoq; furore potentem,
*Deformem facie, longi * dispendia passum*
*Temporis, alterius * fraudatum luminis vsu:*
Spretorem mortis, solitum quascunq; potentum
*Pro nihilo reputare minas, huiusq; * sequaces*
Viginti pluresq; viros erroris habentem,
*Qui * gentilis Arabs, tanquam munuscula Regi*
Adueheret, frænos, calcaria, cingula, bullas.
Quodq; liget digitos, quod colla coërceat, aurum:
Omnia sulphureis ita delibuta venenis,
Vt si fortè manu Princeps contingere nuda
Cœperit, infecto permixtum sanguine virus
Æstuet, & toto dominetur corpore pestis.
At si sacra manus contactu fortè nocenti

Cautius

Cautius abſtineat, ſica ſub veſte latenti,
Regia vel fixo fodiat præcordia cultro.
Ergo vbi ſigna ferens prædicta veneficus ille
Caſtra Ducis magni facilè agnoſcendus adiuit,
Captus, & iniectis aſtrictus membra cathenis,
Exhibitusq; Viro, * promiſſa vera loquenti
Supplicij venia, multumq; diuq; rogatus,
Prodere quid peteret, quóue hoc authore moueret,
Spreuit, & inualidas ſeſe fragilesq; negauit
Formidare minas: ſi quid truculenter in ipſum
Actum fortè foret, damnatum * carmine Regem,
Præſtigijsq; ſuis, pœnas ſibi morte daturum,
Protinus inq; ipſa ſocium ſibi clade futurum.
Forſit an hæc alijs poterant metuenda videri,
At Cæſar fucata dolo figmenta, minasq;
Riſit, & appenſum ligno iuſtiſſimus vltor
Faucibus eliſis, condigna morte peremit.

Libri Noni finis.

ARGVMENTVM LIBRI X.

In Decimo magni coniunx Auguſta Beatrix
Cæſaris, Italicas venit deducta ſub oras,
Principibus comitata ſuis: & Crema gemiſcit.
Caſtra locat, Romamque ſuam clementiùs audit.
Hinc redit ad Ligures victor, Papamque creauit.
Crema petit pacem, rurſus Liguresque petuntur.
Tandem concepta Princeps perferbuit ira,
Cremaque victa iacet, viginti millia capti,
Vrbs fluit in cinerem: Cæſar dat munera, grates,
Caſtraque dimittit: Ligurinus obambulat aulam.

GVN-

Hosted by Google

GVNTHERI POETÆ, LIGVRINI, SIVE DE REBVS GESTIS Friderici I. Ænobar. Aug. Lib. X.

INTEREA magni cõiunx Augusta Beatrix,
Principis accitu, validas ex orbe cohortes
Teutonico rapiens, superata fortiter Alpe,
(Nam fortem faciebat amor, nexuq́ * mariti
Fœderis) Italicos fines ingressa tenebat.
Huic præter Proceres alios, famæq́ minoris
Germana de gente viros, fidissima * Saxon
Ille puer, Regumq́ nepos, Regiq́ propinquus,
* Saxonas, & Noricæ nuper sibi redditaterræ
Signa gerens, geminæ sociauerat agmina gentis.
Horum igitur totis aduentus gaudia castris
Magna dedit, Ligures q́ metu concussit acerbo.
Tempore pòst modico * famosus auunculus ille
Cæsaris, Ethruscæ Princeps & Marchio terræ,
Teutonicaq́ potens, & Dux metuendus in ora
Aduenit Catulus, cumulataq́ gaudia nostris
Attulit, & valido suppleuit milite castra.
Vicinam magnæ Cremam locus ipse Cremonæ
Fecerat, & longo * sub eadem tempore dudum
Legibus antiquis obnoxia manserat; at nunc
Excusso laxata iugo, Ligurumq́ superbas
Ausa sequi rabiem, Regis iam sæpe citata
Spreuerat edictum, nec iuri stare volebat.
Hìs Cæsar stimulis, & centum mille talentis,
(Quæ dedit ipsa sua prædiues sponte Cremona)
Impulsus, tumidam bello subuertere Cremam

Cogit ut,

Cogitat, inq; duas diuiſo milite partes,
Hanc ſecum Ligurum vaſtandos ducit in agros.
Aſt * alijs magnæ confœderat arma Cremonæ.
Inuiſamq; iubet bellis inceſſere ſedem.
Paret, & aſſultu valido munimina tuta
Miles vterq; petit, ſubitusq; ſuperuenit hoſti.
Quitamen intrepidus durus adſuetus in armis
Occurrit, confertq; manum: ferroq; perempti
Hinc illinc cecidére viri, quos maximus inter
Præcipuo dignus * Vuarnerus Marchio luctu
Occubuit, bellumq; ſimul, vitamq; reliquit.
Caſtra locant alij, clauſosq; in mœnibus hoſtes
Obſeruant, & quæ * rapiendu congrua muris
Eſſe putant, magna properant effingere cura.
Nec minùs obſeſſis inclusi mœnibus hoſtes
Bellica ſollicito raptim tormenta labore
* Exfabricant, illud tantùm, quod reſpicit hoſtes,
Contenti munire latus. nam cincta paluſtri
Magna parte ſui clauduntur mœnia cœno:
Nec latura pedum molli veſtigia limo
Defendunt tutos lutulenta volutabra muros.
Tunc quoq; Romulea legatio venit ab vrbe
Sanguine pollentes, & claro nomine ciues,
Blandaq; Cæſareas Romanæ plebis ad aures,
Atq; Senatorum cauti mandata ferebant:
Scilicet, vt poſita tandem clementior ira
Parceret ipſe ſuæ Rex auguſtiſſimus vrbi:
Neue quod à ſtolido ſcelus, & ſine nomine vulgo
Prodierat, ciues diffunderet vltor in omnes.
Auribus * hoc placidis, & miti pectore Cæſar
Accepit, * cladisq; memor, qua tempore primo
Imperij propria miſeros attriuit in vrbe,
Affixitq; reos, animi pietate coacta

60 Retu-

Retulit in melius, responsaq; blanda vicissim
Reddidit, & magnis cupidorum pectora donis
Impleuit, geminosq; viros deuntibus illis
Regia magnificæ laturos addidit vrbi
Verba, Palatinum famosæ laudis Othonem:
Quiq; diu regno studio curaq; fideli,
Primus in Ecclesia prudens Haribertus Aquensi,
Seruierat, dignaq; sui mercede laboris
Iam tunc Præpositus, mox Præsul in vrbe futurus
Chrysopoli, grato præclari munere Regis.*
Vsque adeò magnis Ducibus seruire lucrosum est.
His mandata dedit, consensu Præsulis, atque
Totius populi, veterem renouare senatum,
Reddere primæuo præfecti iura vigori:
Et si Pontifici placeant ea fœdera summo,
Omnia in antiquam correcta reducere pacem.
Ipse per hostiles numeroso milite campos
Vndiq; discurrens, hostilia quæq; gerendo,
** Cuncta metu, ferro, flammis, & sanguine miscens,*
Mœnia iam Ligures in tuta coëgerat omnes:
Ac ne clausa satis faciant munimina tutos,
Quos bello vincit murus, vallumq; vetabat,
** Molitur superare dolo, Ticinaq; prudens*
Agmina, præcipuos Ligurini nominis hostes,
*Præcurrere iubet, prædaq; * patenter abacta,*
Deceptos clausis educere mœnibus hostes.
Ipse suos secum secreta in sede latenter
Collocat insidijs, & eos hunc vertere cursum
Hoste premente iubet. nec lusit opinio Regem.
Nam postquam fugo simulatam puluere cauti
Conuertêre fugam, tacitas improuidus hostis
Incidit insidias, circumfususq; tumultu
Horruit: ac veluti celeres in retia cerui

Sæpe cadunt, resonantq; graui collisa fragore
Cornua, clamosoq; canes venator in illos
Concitat, & cædit gaudens impunè * rudentes:
Sic postquam telis hostilibus vndiq; septi
In medium cesidere viri, nec tela mouere,
Nec cessisse licet, gladijs impunè necantur
Cominus, arctatiq; loco breuiore laborant.
Hîc quinquagenis ferro, centumq; peremptis,
Sexcenti duras collo subiére cathenas.
Quos autem rapidus inuoluit proximus amnis,
* Submersitq; vadu, seu quos lethalia passos
Vulnera, vix tandem trepidos vrbs mœsta recepit,
Nec breue, nec promptum numero comprendere certo.
Fida nouæ repetit victor munimina Laudæ
Augustus, lætamq; suis successibus vrbem.
Temporis eiusdem tractu, nondumq; reuersis
Quos ad Romuleam Fridericus miserat vrbem,
Confinis magnæ, multumq; domestica Romæ,
Funera Romani pastoris Anagnia vidit:
Quem tamen inde suam translatum clerus in vrbem
Sede sacra Petri sepeliuit honore fideli.
Antè tamen tumulo quàm membra exanguina Præsul
Subderet, exorto geminas iam schismate partes,
* Mansuramq; diu litem de sede reliquit.
Nam cùm de tanti rationem clerus haberet
Successore viri, studijs melioribus vltrò
Rollandus petitur, qui Cancellarius antè,
Sanguine conspicuus, veteri mox nomine verso
Factus Alexander, per tempora multa superstes
Ecclesiæ pacem sedato schismate tandem
Vidit, & optato tunc demum * fine quieuit.
Altera pars sacra, Octaui, te sede locatum
Auspicijs decepta suis, ignara superni

Iudicij,

Iudicij, falso Victorem nomine dixit.
Rursus ad hostiles vastandos impiger agros
Signa mouet Cæsar, lateq; per omnia bellum
Rura trahens, quæcunq; nouis illæsa manebant
Cladibus euertit, grauiora prioribus addens.
Ast vbi continuis crebro spoliata rapinis,
** Nec domino victum nec equo dare pabula tellus*
Iam poterat, conuertit iter, rapidoq; tumultu
Tendit ad obsessæ trepidantia mœnia Cremæ.
Hanc equidem iam tunc à prima ceperat ingens
Obsidione timor; sed nunc vbi regia signa
Cæsaris, & Latias vento quatiente volucres
In Campis volitare suis, ipsumq; verenda
*Maiestate suos * hortantem ad bella maniplos*
Aspiciunt, quatit ossa metus, cladisq; futuræ
** Præuia turbatam confundunt nubila mentem.*
Non tamen infaustæ vel nunc resipiscere plebi,
Seq; Suosq; pio Rectori subdere muros,
Vltrices vitare minas, veniamq; mereri
** Subuenit: insistunt sceleri, * maluntq; perire,*
Quàm dono vixisse Ducis: mors libera pluris,
Quàm donata salus, concessaq; vita putatur.
Ergo pari studio ciues, ac nostra iuuentus
Arma volunt, pacemq; negant, tormenta, grauesq;
Attollunt fabricas, diuersos machina in vsus
Extruitur, quæ saxa rotet, quæ torqueat hastas,
Quæq; vel in muros, vel in altas æmula turres
Spargat inextinctas viuaci sulphure flammas.
** Tela, faces & saxa volant, * niger aëra nimbus*
Inficit, & missu subtexitur aura sagittis.
Ardet vtrinq; furor, cœlumq; clamore feroci
Rumpitur, & stimulis grauioribus æstuat ira.
*Hi, clausos virtute pares * se velle videri,*

Indignum fœdumq́ putant, gaudentq́ feroces
Inculcare minas: illi non esse minores
Nituntur, referuntq́ vicem, ac maiora rependunt.
„ * Audaces mors certa facit, pellitq́ timorem
„ Desperata salus: tunc si quos sorte maligna
Comprensos, captosq́ tenent, hostilis in illos
Grassatur rabies, sociisq́ videntibus ense
Colla secant, luduntq́ manu, ceruice rotata
More pilæ, aut miseros lacerant crudeliter artus.
Haud procul à sæuo belli semota tumultu,
Vicinum coniunx seruabat regia castrum,
Ne miseras cædes, infandaq́ multa videret,
*Castaq́ crudeli sceleraret lumina visu.
Hanc visente viro, per eam quam regia signa
Seruabant portam tutis è sedibus hostes
Prorumpunt, strepituq́ graui tentoria Regis
Assiliunt, multosq́ necant, maculantq́ cruore
Hostili proprioq́ solum, sternuntq́ caduntq́.
Cædibus alternis: tota non viribus vllis
Depelli potuére die, dum Phœbus opaco
Infudit tenebras, demersa lampade, mundo.
Nuncius absenti * certissimus omnia Regi
Pertulit: ille graui concussus pectora motu,
Castra petit properans, & adhuc à cæde recenti
Signa cruenta videt, captiuaq́ corpora quædam
Vrbis in aspectu laqueo supponere fauces
Cogit, & ex alto suspendit in aëre ligno.
Tunc etiam quidam vinctos in castra trahebant
Sex Ligurum de gente viros, qui iussa ferentes
Verba Placentinis Ligurinæ nomine plebis,
Hostibus inciderant: horum qui maximus vnus
Esse ferebatur, se Præsulis esse nepotem
Gaudebat, generisq́ notis, opibusq́ nitebat.

* Hos

*Hos quoq; contempto non parui ponderis ære
Quod pro morte ſua redimenda pendere fiſco
Spondebant, pœna Princeps affecit eadem.
Nec minus obſeſſi captos quoſcunq; tenebant
Suſpendunt, factiq; vicem mox reddere gaudent.
Tunc magna exarſit generoſi Cæſaris ira,
Quòd velut ex æquo ſecum contendere victi
Auderent, nec adhuc miſeros agnoſcere caſus,
Fortunamq; ſuam vellent in morte fateri.
Protinus obſeſſos præconis voce moneri
Imperat, vt miſeræ ſolatia nulla ſalutis
In bonitate ſua ponant ſibi, ne quis ad ipſum
Spe veniæ fugiſſe velit: pro ſanguine certet
Quisque ſuo, propriamq; manu ſe ferre ſalutem
Nouerit, & validis tantùm ſpem ponat in armis.
Inde* quater denos, quos plebs perfida dudum
Illa Viro dederat, fidei, pacisq; tenendæ
Pignora certa vades, fabricis, & turribus altis
Imperat adnecti, * qui tela, facesque ſuorum,
Saxaq; tormentis violenter ab vrbe rotata
Excipiant, miſeris tutantes roboræ membris.
Quantus erat luctus, miſeri quæ forma doloris,
Quæ ſuper è totis populi ſuſpiria muris,
Cum pendere ſuis expanſo corpore natos,
Oppoſitos telis miſeri videri parentes.
Pectora ſingultu ſaliunt, gemitusq; dolore
Rumpitur, atq; omni lachrymæ ſub caſſide manant.
Non tamen idcirco parcendum turribus illis
Eſſe putant, curántue ſuos auertere iactus.
Atque aliquis toto diſtentus corpore pendens,
Saxa videns, in ſe miſerum torquere parentem,
Luctifico clamore ciens, ita filius inquit:
* Quid facis infelix? huc tandem reſpice, ſaue

Ac miſerande pater, lapidum compeſce rotatus,
Tela manu ſuppreſſa tene: non obruus hoſtem;
Filius eſt, quem morte petis: vel parcere nato
Si prohibet fortuna patrem, da tempora vitæ
Non ſpacioſa meæ, veniatq; miſerrima mater,
Pendentemq; prius videat, mortiq; paratum,
Quem genuit. ſic ille miſer ſua fata parenti
Defleuiſſe ſuo: ſic & pater anxius illi
Reſpondiſſe poteſt: Non me tua fallit imago
Nate, nec ignara te neſcius obruo dextra.
Agnoſco miſerum miſer, accipioq; vocantem:
Heu pietas, non parco tamen: ſed deſine ſæuum
Incuſare patrem, non te, miſerande, ſed hoſtem,
Inq; meam ſtructas cladem peto turbine turres.
**Cogit amor patriæ; mallem diſtractus in illo*
Stare loco, corpusq; tuis opponere ſaxis.
Sors tua dura minus, ſaxi quem protinus ictu
Machina diſcutiet: nos turba miſerrima, faſtus
Teutonicos, Regiq; minas, longiq; dolorem
Funeris, amiſſa iam libertate timemus.
Vix ea, cum rapido moles excuſſa flagello,
Fortiter inflicto pendentem diſcutit ictu.
Sic aliquot pueri mortem ſubiére, ſed omnes
*Expoſiti fato *grauiorem morte timorem,*
Longaq; pendentes miſerandaq; fata tulerunt.
Interea Ligures tantis ad mœnia Regem
Implicitum cœptis, aliis non poſſe putantes
*Ferre ſalutis opem, * ſociosq; leuare labores,*
Agmine collecto, quanto non antè, Manerbum
Haud procul à Cumis, vix expugnabile caſtrum
*Aſſultu, raptoq; parant * euertere bello.*
Comperit hos motus, qui tunc in partibus illis
Virtutum merito generoſum nomen adeptus,

Teutonica

Teutonica dudum miles degente, vocatus
Cæsaris imperio, Comitem Gozuinus agebat:
Propositum Ligurum Regi, magnosq; paratus
Significat, cautusq; suis à Principe castris
Supplementa petit: collectis omnibus ipse
Quos eadem tellus aptos his rebus habebat,
Arma rapit, iamq; obsessos euertere muros,
Castrensiq; necem populo, seu vincla minantes
Aggreditur, turbatq; viros, celeriq; relapsu
Conuertit, flectitq; fugam, fallitq; sequentes.
** Sic iterum, sic sæpe suo Comes impiger æstu*
Ludificat Ligures, inceptaq; magna retardat.
Id satis esse putans, sociæ dum signa cohortis,
Auxiliumq; ferens à Principe miles adesset.
Ergo vbi conspicuis velox equitatus in armis
Quingenti iuuenes, firmissima robora belli,
Assuit, & valido suppleuit robore partes,
Plura rati Ligures, & te quoq; Cæsar adesse,
Præcipitem petiére fugam, timidiq; soluta
Obsidione suos properant attingere muros.
Inminet attonitis victor, spoliisq; retentis,
Pluribus occisis, aut vincula ferre coactis,
Non prius abstinuit ferro, quàm cardine verso
Hostibus exclusis fugientes porta recepit.
Iam crebris insida dolis, æstuq; maligno
Ausa pium fuerat stimulare Placentia Regem.
Quippe nec occultus Ligurum malesana volebat
** Parcere colloquijs, alimentaq; grata ciborum,*
Armaq; damnatæ mittebat perfida plebi.
Ergo Placentinos, totiens offensus ab illis
Imperij Cæsar manifestos deputat hostes:
Hoc satius reputans, quàm si sub melle venenæ
Impia celantes, hostilia quæq; mouerent.

" *Nulla quidem pestis magis est operosa nocendi,
" Quàm simulatus amor, nimiumq; domesticus hostis.
Iamq; rebellatrix suppresso Crematimore
Præteritis afflicta malis, metuensq; futura,
Cœperat in sese grauiter mulctata reuerti.
Iam se posse minus trepidi, tristesq; fatentur,
Nec solitis turbare viros excursibus audent.
Ne tamen omnino nulla sint fraude nocentes,
Muscipulis similes laqueos, nexusq; tenaces,
Furtaq; mirandæ non apparentia fraudis
More nouo, notaq; minus, reor, hactenus arte,
Per quascunq; vias, & circa mœnia tendunt:
*Vt si cauta parùm laqueo vestigia quisquam
Inserat, antè quidem quàm se dissoluere possit
Adsit, & obtruncet captum ue coerceat hostis.
Præterea densis scrobibus tellure cauata
Præcipites fodêre dolos, fossasq; latentes
Iniectu texére leui, quas incidat hostis
Inscius, & *subito pateat discrimine morti.
His alijsq; dolis, quos tendere callida plebes
Sueuerat, vltrices tandem Fridericus in iras
Excitus, *extremamq; manum præstare labori
Accelerans, (iam quippe viro post oppida clausa
Sextus agebatur brumali frigore mensis,)
Omnibus affectis, finemq; optantibus *olim
Bellorum, quocunq; modo munimina bello
Expugnare parat: tardum sibi quippe videtur
Expectare famem, cùm longos ciuis ad vsus
Plurima de totis cautus collegerit agris.
Protinus ad muros, munitas vndiq; turres,
Inuectasq; rotis, & magno pondere firmas
Ducit, & hostili celsas super aggere sistit,
Harum summa tenent, quos velbalista, vel arcus

Morte

Morte procul missa facit hostibus esse timendos,
Qui iaculum valido longè torquere lacerto
*Longius excussa didicére potenter*habena.*
Inferiora viri fortes ex agmine toto
Electi, promptiq; manu tabulata tuentur:
Qui dum trans fossas porrecto ponte patentes
Mœnibus assiliunt, & muros rumpere tentant,
Qui loca summa tenent, iaculis, leuibusq; sagittis
Infestant miseros per propugnacula ciues,
Ne confringendis liceat succurrere muris.
Tunc & subiectas facilis despectus in arces,
Et leuis ex alto trepidos conatus in hostes:
Qui si forte suos rursum conuertere vultus*
Incauti tentant, vehementibus ora sagittis
Figuntur: nec scire licet, neq; cernere fas est
Vulneris auctorem, latebris quem ligneа tutum
Occultant tabulata: cauis pluit aura sagittis
Desuper, & toto funduntur ab æthere mortes.
At quæ de muris nostras fluitantia turres
Tela petunt, infirma volant, spacioq; tenoris
Languida, vix summo delibant robora ferro.
Si rapidas tormenta faces ad ligneа forte
Robora torserunt, & turribus ignis adhæsit,
Desuper effusis incendia protinus illa
Restinguuntur aquis, aut vino sparsa quiescunt:
Aut si restingui nequeant, & feruida viuo
Sulphure flamma viget, fumantia membra securis
*Amputat, & * toti succisa parte medetur.*
Turbine fulmineo magnos torment a molares
Mœnibus infligunt, murosq; & tecta flagellant:
Fundaq; contorto transuerberat æra plumbo.
Et medijs liquidæ glandes in nubibus ardent.*
Ast alij fossas iniectu cespitis implent,
Hostilesq; petunt densa testudine muros.

Suffodiunt alij turres, ac fortia subter
** Fundamenta cauant, aut duri roboris ictu*
Impellunt muros, labefactaq; mœnia quassant:
Aut emota loco, muri compage soluta,
Saxa remoliri cuneis arctata laborant;
Aut velut in plano vestigia certa ferentes
Scalarum gradibus, celsas apprehendere pinnas
Contendunt, pugnantq; simul. Nec segnior hostis
Vndiq; discurrens nunc hos, nunc obuius illos
Excipit: hærentes scalas detrudit ab alto
Margine murorum: vicinos cominus ense
Percutit, aut duro contundit tempora conto:
Longiùs amotos lapidum torrente ruina
Obruit, aut iaculis, & certo sauciat arcu.
Æstuat ira minus, seuus crudescit vtrinq;
*Clamor, * adhortantes incendunt pectora voces.*
*Vtq; * procellosum ventis agitantibus æquor*
Oppugnat miseræ perituram sorte carinam,
Rumpunt vela noti, commixta grandine nimbus
Ingruit, & miseros affligit ab æthere nautas.
Assiliunt fluctus, validis agitata procellis
Verberat vnda latus, nexu tabulata soluto
*Rupta gemunt, haustoq; mari * rimosa fatiscunt,*
Stant miseri nautæ, quaq; impetus acrior vrget,
Hac studio maiore rati succurrere tentant.
Hic latices trepidus salsos in stagna refundit,
Et properat rimæ sarcire patentis hiatum:
Ille vacillantem fluctu iactante carinam
*Remigio, * doctaq; manu sustentat, & ipsi*
** Decertans pelago, perfringit remige fluctus,*
Vela noto, clamore viri, stridore rudentes
Quassa fragore ratis, plangoribus insonat vnda.
*Dum tandem * decimus violento gurgite fluctus*
*Insiliat, victamq; premens * obsorbeat alnum.*

Vix

Vix modicum tempus, disiectaq; fragmina summis
*Fluctibus & tabulas videas per * stagna natantes:*
Naufragio pars hausta perit, pars reddita cœlo
Enatat, & nudi veniunt ad littora nautæ:
Sic plebs infelix, cladisq; ignara propinquæ
Fortius in aduersis, & adhuc inuicta resistit.
Iam, quantum poterant muris accedere, turres
Admotæ fuerant, longiq; ad mœnia pontes
Prodierant, belloq; furens animosa iuuentus
Fixerat in summi vestigia margine muri.
Occurrunt hostes, & spicula, saxa, facesq;
Conijciunt, hastisq; viros, sudibusq; repellunt,
Deturbantq; solo, quosdamq; viriliter ausos
Insiluisse leui trepidantia mœnia saltu,
Obtruncant ferro: quos inter, fata duorum
Sicut acerba nimis, sic & miseranda fuerunt.
Horum vnus trepidos dum per sua mœnia ciues
Territat insultans (Bertolfum fama vocabat,)*
*Primus in attonitos saltu se miserat * hostes.*
Dum fugiunt omnes vnum, pauidisq; fatiscunt
Mentibus, à tergo furtim librata securis
*Tempora flauenti decussit tecta * capillo,*
Totaq; detracta est capitis membrana resecti,
Atq; peremptoris nitido superaddita cono:
Hostilemq; comis galeam pendentibus vmbrans,
Præbuit infandi signum crudele triumphi.
** Alterius manibus, ferro, pedibusq; resectis,*
(Nomine fama caret, cladus memorabilis extat)
Truncus in hostili fœdè tellure volutus
Palpitat, & miseri præbet ludibria fati.
*Non impunè quidem, * nec gaudia longa malorum*
Ciuis agens, magnæ cladis suscepit eodem
Damna die, belloq; diu conflixit: at inde
Pulsus, in internam trepidus se contulit arcem.

Iamq;

Iamq; ſuis rebus certa diffidere tandem
Cœperat ille fide: placuit conſulta ſalutis
Sæpe priùs neglecta ſequi, paciſq; petendæ
Vtile conſilium certæ præponere cladi.
Nec mora, colloquium cum Saxone poſcit habendum,
Cumq; Peregrino, quem tunc Aquileia diues
Eximium claræ Patriarcham laudis habebat.
Horum facundis lenitas vocibus aures
Permulcet, veniamq; ſibi ſermone diſerto
Præparat, & doctis excuſat crimina verbis:
Non odio regni, nec ſeditione rebelli
* Arma tuliſſe manu; ſed ne ſua fata ſuperbis
Hoſtibus, & tumidæ gemeret ſubiecta Cremonæ.
Fœdera cum populo Ligurum iurata fideli
Dum licuit, coluiſſe manu; nunc illa ſoluto,
Quando ita Rex iubeat, tandem* ſeiungere nexu:
Nec plures adhibere moras; id poſcere tantùm,
Puniat ipſe reos victor, quocunq; libebit
Afficiatq; modo, tantùm ne victa Cremonæ
Ludibrio fiat corrupto Principe plebes.
Hæc vbi ſunt * perlata Duci, lenita reſedit
Ira ferox animi, multumq;* domeſtica magno
Ac benè nota viro tetigit clementia mentem.
Protinus aſſenſu Procerum moderamine tali
Vtitur, vt nec ſe venia vitaq; repulſos
Infauſti doleant ciues, nec lenior æquo
Incitet ad ſimilem multos vindicta* fauorem.
Mœnibus incolumes tutò migrare relictis,
Quodq; ſemel valeant * humeris deferre ſinuntur:
Cætera victori rapienda relinquere iuſſi.
Quis rogo luctus erat? quis tota per oppida clamor?
Qui gemitus populi? dum paucis rebus onuſti,
Multa relinquentes, miſeri ſua mœnia ciues
Arſuraſq; domos, & limina chara ſupremo

460 Ore

Ore ſalutarent, dulcesq; relinquere cunas,
*Orſa ſui generis, cultasq; parentibus ædes
Prodirent, querulæ viginti millia turbæ.
At quos vel Ligurum populus, vel Brixia clauſis
Miſerat auxilio, nudatis rebus & armis
Omnibus, accepta* vix tantùm à Principe vita,
Indecores, mœſtiq; ſuas referuntur ad vrbes.
Protinus ad prædam ſpoliandaq; mœnia raptim
Curritur, & præda* miles ditescit opima.
*Omnibus ereptis, caſtrenſibus oppida flammis
In cineres collapſa fluunt, euerſaq; fractis
Turribus, antiquos expendunt clade tumores.
Victor ad excelſæ munimina fide Papiæ
Vertit iter, ſolitamq;* ſuis gaudere triumphis
Ingreditur pulchram caſtris victricibus vrbem.
Gaudia Ticinæ plebis, celebresq; triumphos
Cæſaris, & magni ſpeciem deſcribere plauſus,
Dignum vate foret; * ſed & hoc, & multa relinquo
Cautus, & inualidæ parcendum credo Camœnæ.
*Iamq; alibi ſimiles in eadem diximus vrbe
Exhibitos Regi, deuotæ laudis honores,
Poſt clades Terdonatuas: ideoq; premenda,
Ne bis agatur idem, præſentia facta videntur.
Stabat adhuc ſtudijs* hærens & fixa nefandis
Vrbs Ligurum, necdum cœptis deſiſtere, vel tot
Cladibus ipſa ſuis, vel Cremæ* ſorte recenti,
Vel ſatis Terdonatuis, edocta, volebat.
Sed quia iam bello tellus afflicta bienni,
Frugibus, & ſolita minus vbertate vigebat,
Hoſtiliq; ſolo crebris iam ſæpè rapinis
Exhauſto, ſocijs* etiamnum parcere Regem
Sumptus, & immenſæ cogebat copia plebis,
Milite dimiſſo, ſpoliatæ parcere terræ,
Conſtituit, verſo dum rurſus ceſpite ſolem

Aſpiciat

Aſpiciat ieiunus ager, dum ſemine iacto
Læta tumeſcat humus, dum plena turgeat vrna
*Bacchus, & arboreis * redeant ſua munera ramis.*
Ergo vbi belligeris ex omni parte cateruis
Stantibus, arrecta capiendis vocibus aure,
In medio cœtu pulchro ſtetit ore ſerenus,
** Indixitq; manu placidoq; ſilentia vultu:*
*Incipit * ex alto doctus facundia verbis,*
Atq; lepos conſuetus adeſt, magniq; capacem
Ponderis ingenuam comitatur gratia vocem.
Non ego digna ſatis, Comites, præconia vobis
Orereferre paro, nec ſi prudentia magni
Neſtoris, aut Ithacæ nobis facundia linguæ
Afforet, æquandas meritis ingentibus vnquam
Sperarem noſtro conceptas pectore laudes.
Ne tamen immemorem fortè ingratumq; putetis,
Quamlibet exiles vobis pro tempore grates
Lætus ago, maiora quidem, modò viuere detur,
Expectare iubens: venient ſua tempora rebus,
** Et meritis referetur honor. Vos arduа regni*
Ponderа ſollicitis humeris geſtanda dediſtis:
Vos gelidas mecum tranſcendere ſæpius Alpes,
Coniugibus, patriaq; domo, natisq; relictis
** Exiguum quiddam, facto iam more, putatis.*
Quid referam prompta ſuſceptos mente labores,
Quos Terdona dedit, quos Aſtum, quos prior illa
Obſidio Ligurum, tumidæq; rebellio plebis?
Imperij ſummum multo mihi ſanguine nomen
Et diadema graui perfuſum cæde paraſtis.
Aëra peſtiferum, miſerandaq; funera paſſi,
Senſiſtis ſocios coniuncta ſorte labores.
Et nunc obſeſſa brumali frigore Crema
Quanta vel è cœlo prome, vel ab hoſte tuliſtis?
Hæc & plura quidem, quorum me nulla vetuſtas

Immemorem

Hosted by Google

Immemorem faciet, pro me suscepta recordor
Lætus, & immensæ mercedis debitor esse
Gaudeo, quam pleno cumulatam fœnore reddam.
Nouimus, & memori scriptos corde tenemus,
Qui toties nostris ad certa pericula iussis
Prostiterint: quos bella pati, durosq; labores
Iuuerit, atq; hilarem pariter cum pectore vultum
In summis præstare malis: qui prælia primi
Tentare, aut murum conscendere fortiter ausi:
** Multaq; præsentes oculis quæ vidimus istis,*
Et vero proteste sumus, sit gratia summo
Magna precor Regi, qui me fulcire meorum
Dignatus studijs. Alij venalia castra
Et mendicatas certa mercede cohortes
** Alliciunt: ego gratuitis vltroq; paratis*
Fidens auxilijs, ad magna negocia rerum
Tutus eo, fidas ducens in bella cateruas.
Nunc quia, vastatis hostilibus vndiq; campis,
Victum terra negat, castrisq; alimenta ministrans
Plus socius studio, quàm bello læditur hostis,
Respirare iuuat, laxataq; soluere castra,
Ruraq; dimissus ad transalpina cateruis,
Sumptibus assiduis oppressæ parcere plebi,
Dum melius promittat ager, repetitaq; cultu
Producant lætas Ligurina noualia fruges.
Protinus expleto (nobis reuocantibus) anno,
Si bene nota fides, in castra redibitis omnes.
Nec priùs hostili bellum referemus ab vrbe,
Quàm iustas expertaminas, superatq; bello
In vestras dabitur proscriptis mœsta colonis
Diripienda manus, penitusq; excisa iacebit.
Hæc vbi verba viri regali plena vigore,
Aut meliora dedit, cunctos simul ore venusto
Laudat, & egregios titulis exaggerat actus.

Tunc

Tunc ſi quos præclarum aliquid, laudiſq; ſuperbæ
Commeminit geſsiſſe manu, regaliter illos
Appellans, memorem factorum quemq; ſuorum
Efficit, & ſeſe memorem ſimul indicat eſſe:
Munificaq; manu meritis bene, munera magnæ*
Erogat, argenti multùm largitur, & auri,
Crateras, pelues, diſcos, pateraſq; capaces,
Addit equos celeres, galeas, thoracas, & enſes,
Textaq; multimodis operosè picta figuris,
Atq; figuratam latè ſe Rege monetam:
Diſtribuitq; ſuis regale numiſma maniplis.
Sic demum caſtris ſuſpenſa parte laboris
Pollicitos alacres ad quæq; ſequentia vires
Muneribus lætos, titulis dimittit onuſtos.
** Me quoq; non armis, ſed carmine caſtra ſecutum,*
Hactenus egregij decurſa parte laboris,*
Si bene promerui caſtrorum præmia miles,
Non illaudatum, vel munera nulla ferentem,
Spero quidem, magni dimittet gratia Regis.
Nec ſpernenda meæ (liceat modò vera fateri)
*Munera militiæ, * nec clarius arbitror eſſe*
Pauca probè geſsiſſe manu, quàm multa referre,
** Nec minor hîc illo labor eſt: quæ ſingula multi*
Fortiter egerunt, ego proſequor omnia ſolus.
Hoc quoq; me Famæ, ſi deſint cætera, ſolùm
Conciliare poteſt, quòd iam per multa latentes
Secula, nec clauſis prodire penatibus auſas
Pierides, vulgare paro, priſcumq; nitorem
Reddere carminibus, tardoſq; citare Poëtas.
Immò etiam pulchro reuerendi Cæſaris auſu,*
Cæſareæq; domus videor meruiſſe fauorem,
Cùm de tam lato magnarum gurgite rerum
Sunt electa mihi cupidè quæ ſcribere mallem
** Nominis acta ſui: neres noteſcere dignas*

Fuſca-

Fuſcarent tenebræ, ſpecioſaq; facta laterent.
Atq; ideo dum muſa recens, noſterq; legetur
Iſte labor, (cupidum niſi fallit opinio vatem)*
Virtutes, Friderice, tuas mirabitur orbis.
Forſitan hunc olim, faueat modò Fama, libellum
Et pater, & magni proles generoſa parentis
Attrectare manu, placidamq; legentibus aurem
Tradere curabit, propriasq; admittere laudes.
Et nunc pauca quidem, ſacræ quæ ſanximus aulæ,
Carmina ſufficiant, & reſpirare Poëtam
Ad tempus liceat, dum bellica ſigna quieſcunt.
Grataq; dimiſſus bello fouet ocia miles.
Mox vbi ſollicitè reuocatus in arma redibit,
*Nos quoq; belligeras acies, & * caſtra petentes*
Interrupta nouo repetemus cœpta labore:
*Cunctaq; ſummatim, * ſuperet modò vita, ſequentes*
Continuo quodam ſuſcepta negocia filo
Propoſiti memores, ad tempora noſtra trahemus.
Intereà tacitus, de ſe quid iudicet aula,
Audiat, & doctos, quorum tutandus amore
Atq; fouendus erit, noſter Ligurinus adoret.
Nec frontem duxiſſe velit, licèt vnus & alter
Arguat, & meritum naſo ſubſannet adunco.
**Quemq; ſui meminiſſe decet; nos nominis alti*
Non ſumus: egregios vix ſuſcipit aula Poëtas.
Hoc tamen in cœtu non deërit forſitan vnus,
** Vel duo, vel plures, qui te, Ligurine, legendum*
Eſſe putent, lectoq; ſemel, rurſumq; relecto
Plus faueant, tandemq; ſacras ad Principis aures
Nomen & auctorem, quæ rerum inſignia portes,
** Quidué petas, perferre velint, & amica loquantur.*
Hunc ego, quiſquis erit, qui tam placabilis in nos
Extiterit, gaudere bonis maioribus opto

Hosted by Google

Semper, & æterno fulciri Regis amore.
Sic vbi conſpicua tandem nouus hoſpes in aula
Conſtiteris, claroq; piam cum Principe prolem
Ceu totidem ſtellas, nitido cum ſole videbis,
Hæc tibi non ſtultè proferri poſſe videntur:
Gaudeat iſta domus, qua gaudet præſide mundus,
Gaudeat Auguſto felix cum patre propago,
Gaudeat, & noſtrum iubeat gaudere parentem.
Neue ſuum vatem patiatur littus araſſe,
Vanaq; deceptis fregiſſe noualia ſulcis,
*Vel tot in officio * vigilatis noctibus iſto*
Conſeruiſſe leues, quas texit aranea, telas:
Sed quiſquis rerum, quas ſcripſerit ille, nitorem
Te perhibente leget, pulchri quoq; præmia facti
Nouerit, & gratum feliciter iſſe laborem.
Nam mihi per totum magnalia Cæſaris orbem
*Impetus eſt, proliſq; ſacræ * diffundere laudes.*
His ita præmiſſis, cunctis præbere legendum
Te poteris, totaſq; palàm diſtendere pennas.
Mox vbi ſit noſter Solymarius ille requires,
*Quem priùs ingenuo dedimus * leue munus alumno,*
Qui ſibi te quinto, poſt ſe, vix menſe creatum
*Ac veluti * medio proiectum ventris aborſu,*
Acceſſiſſe nouo mirabitur ordine fratrem.
Hæc monuiſſe ſat eſt: Age nunc proficiſcere cautus,
Sit fortuna tuis, & felix exitus auſis.

Libri decimi finis.

GASP.

Hosted by Google

Pariter Gertrudis maritus à fratribus ſuis expulſus diitione ſua ad affinem Cunrad. Imp. Frid. Barbaroſſ. patruum confugit 6.64
Pomerij in caſtris Polonorum militant 6.103
Pœna vetus apud Germ. quâ ſeditioſi & turbulenti adficiebantur 5.194
Pœnæ militares 7.253
à pœna releuantur ætas grauis & dignitas Epiſcopalis 5. 191
Pondera regni humeris portare 10.514
Inſolito vrgere ciues 9.119
Pons noualis ſuper Atheſin à Veronenſibus antiquitùs conſtructus ad traijciendum German. Imp. exercitum 4.400
Peruius cingit vndas 8.438
Pontibus amnem incingere 5.514
Ponte cingitur Abdua proximè Trecium 7.451
Pons Mediolanenſium & portæ noctu incenduntur ab Othone Com. palat. & fratribus eius duobus 7.612
Pontes gemini & iuxta nos conſtructæ turres à Mediolanenſib. 2.320. *à Frid. concrematæ & ruptæ* 2.324

Ponti-

Pontificum domos vexare non licet legatis Cæsarijs 9.297
Popul. Rom. honor priscus mutilatus est per Impp. 3.419
Populares viri, id est, seculares vel laici 3.278
Portus 8.571. *potestas ciuica* 9.69
Probare vel demonstrare tabellis legitimis 8.582
Præcedentia dent spem de seqq. 7.335
Præconis voce monentur obsessi Mediol. ne vllam sibi spem ponant in clementiam F. 10.201
Præconia fama præcipua meritus 9.423. *referre digna fatis* 10.504
Præcipitanter nihil agendum, 9.274
Præda Spoletana semusta diripitur à Frid. B. milit. 4.307
ad prædam currit miles raptũ eaq; ditescit & spoliandam mœnia Cremensia 4.167
In prædam sortem venire et precium longi laboris 3.164
Præda pretium laboris militaris 3.165
Prædabunda turma emittuntur à Brixiensib. 9.440
Præfatus, pro prædicto 5.186
Præfecti vrbis iura sin vigori reddent 10.73
Præsentes oculis quæ vidimus ipsi, his vero protestè sumus 10.537
Præsentare se in vrbem 6.131
[*Glossar. vet.* παρίσω, *præsento, exhibeo.*]
Præsidium Papæ 3.621
Præscriptus mos 8.430
Præsul Mediolanensis præsuli legato suo currit cõtra furorem plebis 9.163
Præsentia Regis quãtum prodest, tantum absentia nocet 5.577
Præscriptio longi temporis nulla obstat Feudo alienato, quo minus redeat ad Dominum 8.598
Præsagia certa cladis pectore trahere 7.522
Prævaricatrix vrbs 6.154
Proditorum præmia 9.404
Priamus à Sinone deceptus 9. 483
Pressuræ, id est, θλίψεις *pro afflictionibus* 5.177
Pretio mutare fauorem 7.512
Premere facta (scilicet silentio) 10.481
Primates 8.461. *primitiæ cladis* 2.06
Primæuo vigori reddere iura 10. 73.
Primitiæ in cleris in quos vsus conuertendæ 3.279
Princeps pro Imperat. 1.554.563. 571
Princeps pro Imperat. 2. 310. 311. 343.
Principis animum nihil fallere potest 4.473
Principibus terrenis omnia subdita 3.277
„ *Princeps non sine causa portat gladium* 7.350
„ *bonus credit se perdere hoc*
„ *tempus, quo prouentibus regni nihil adijcit* 6.8.

Hosted by Google

» *pacem alijs datam ſibi denegat* 6.10
» *Principis boni eſt oppreſſa parcere plebi* 10.580
» *Princeps non poteſt latere obſcurus* 4.337
Rom. nominatim excipiendus iureiurando fideliter 8.645
Princeps ſummus ſolutus eſt legibus, attamen legibus viuit, & luriſperitorum conſilio cuncta diſponit 8.468
placidus primæuo decori reſtituenda putat 8.308
Principis voluntas eſt pro lege 8.540
Princeps terrenus colit ſidereum Regem 9.63
Priuata cura, id eſt, propria 6.443
Priuatum bellum 5.553
Proceres multi in Imp. Germanico ſimul obeunt 9.87
Proditor latens ſub ſpecie Monachi, deprehenditur, et ſupplicio adficitur 9.524
Prodigiale nefas 7.642
Probroſa fata ſubire 9.526
Prælia tentare primum 10.535
Prælium inter Mediol. & Frid. Bar. committitur 7.641
Prælia quatere 9.133
Prælium inter Rom. & exercit. Fr. Bar. commiſſum 4.95. *in qua ex parte Frid. vnus tantùm deſideratus eſt, ex parte Roman.* 1000. *caſi.* 200. *capti* 4.128
Prohibere debet facinus qui poteſt 7.276
Primum prælium Fridericus Barbar. cum Mediolanenſibus 2.299
Propiùs abeſſe à Principe 8.422
Propoſito nimiùm tenaci pedem figere 9.273
Properatus agger 7.532
Properata Colonia 8.428
Propenſa ratione factum 6.663
Proſopopœia Romæ ad Imp. Frid. 3.429
Proſcripta bonis plebs 8.518
Proſpera rerum 9.84
Proſtare ad certa pericula iuſſis Imperat. 10.533
Pro tempore 10.510
Prouincia 5.270. & 279
Pſitacius humanis æquat ſua murmura verbis 2.257
Pubis primæ tempore acto, 8.604
Pugnæ cruenta 9.17
Pugnatum tota die 11.127
Pulſare Deum precibus 3.50. *pellere aures conqueſtibus,* 6.318
Puluere arua 3.167
» *Putrida membra ferro recidenda potiùs, quin totum corpus tabeſcat partis vitio* 5.481
Pupillaris ætas immunitatem præſtat 8.185

Q.

Quadra ſaxa 7.529. & 8.25. *forma tentoriorum* 8. 418
Quærere cauſas vitæ 9.331

Hosted by Google

Quæstio agitatur de Feudo 8. 631
Quando ita iubet Rex 10.441
Quassa ratis fragore insonat 10.
Quassare labefacta mœnia 10. 360
quatit ossa metus 10. signare-gia ventus 137
Quatere prælia 9.133
Quemque sui meminisse decet 10.619
Querela Laudensium de fraudibus iniurijsq; Mediolanens. 2.232
Querela ad Imp. Frid.B. delata à varijs 5.171
Papæ ad Imper. de violato in Germ. præsule Legato Anglo. 6.268
Frid.Bar. de Papa ad proceres Imp.Germ. 6.312
Sementa litis 7.187
Frid.de Mediolan. rebellibus. 7.343
Italicarum vrbium ad Frid. in Campis Roncal. degentem delatæ 8.553
Querelæ & lites vrbium 9.2
Papæ de Frid. Imper. 8.12. & 9.121
Friderici Imp. & Papæ. Rom. 9.311
Quirites prisci 3. 331 & 435

R.

Rapere arma 10.264
Rapere membra strenua cubili neglecto 9.491
Rapiendis muris congrua tormenta 10.39
Rapto bello 7.551. 10.255
Rapto tempore 9.490
Ratisbona, q. ratibus bona, vel, à ratibus ponendis 1.572
Ratisbonensis conuentus alter 1.745
Ratisbonens. Comitia irrita 5.14
iterata 5.57
Ratisbonensis conuentus propter patruum Friderici 5.236
Ratisbonæ Comitia celebrantur, ibi vulgantur conditiones pacis inter patruum & nepotem Friderici B. 5.554
Ratisbonæ Comitia coëunt. 6. 401
Ratio prævalet 8.175
Ratio ponat legem non libido Regum 8.520
Ratio propensa 6.663
Ravennas sedes 3.349
Petunt Otho Palat. & Reinaldus Legati Friderici Bar. 7.40
Re bene gesta 8.313
Reatum emendare 7.158
purgare 6. 599
Rebellionis Mediolanensis quæ causa 7.536
Rebellionis pœna, direptio rerum, seruitus, & euersio vrbis 9.278
Rebus infectis 9.156
Recalcitrare legib. impunè 7.373
Receptans pacis violatorem eâdem cum ipso pœnâ afficiendus venit. 8.701

Recidiua feritas 9.213
Recto ordine res agitur 8.124
Rector pro Imperatore 8.377
Reddere carminibus nitorem 10.589. *sua æthereo regi* 9.100
Redhibenda duplo plura quæ iustè exacta 8.697
Redhibendi precij actio 8.600
Redigere in scriptum, & fœdera pacis 8.181
Redimere antiqua nouis 8.267
Referre præconia digna satis 10.504
Reformare pacem et iura 6.436. 7.82.
Reformata pax 6.1
Regalia 8.235. & *seq.*
Regalia seu regia iura quæ sint 8.570.
Regali vigore plena verba 10.559
Regali via transire prohiberi 4.516
Regaliter appellare aliquẽ 10.563
Regis verbum nudum quouis iuramento firmius esse debet 3.511
Reges æquare 7.473
Requisitus honor 7.472
Regia auis, id est, aquila 7.505
Reges inter Gallum & Anglum cur orta simultas 9.175
Regium est, legis iure solutũ, legi tamen sponte se subijcere 8.475
In Reges q. cquid committitur non manet inultum 8.386
Regi pio seruire libertas maxima 3.578
Regni pondera (alludit ad illud: Fasces sunt fasces.) 10.514
Regna quibus artibus muniantur 1.294
Regum successio duplex 1.244
Regni Roman. auspicijs nulla munimina obstare queunt 2.290
Regnum inuadere 8.398
Regis Pannoniæ frater iniquis odijs & calumnijs fratris grauatus in fidem Frid. B. se recipit 6.415
Regis absentia facit scelerum cupidos 2.217
Regi non maledicendum, nam vel aues ei occulta maledicta deferunt & propalant 4.476
Regũ corda Dei manu clausa 6.187
Reinaldus protexit legatos Rom. abira furentis populi 676
Cum Othone Com. Palatin. venit in Italiam 7.1:
Reinal. auctor originis Beatricis 1.53
Reinaldus Comes Allobrogum pater Beatricis ipsi adhuc impubere mortuus relinquit ei Burgundiam 5.256.288
Reinaldus successor Guilhelmi pueri contemptor Imp. Teut. ob quem contemtum exuitur sua ditione: sed eam vi retinere studet 5.295
Reinaldi Comitis cum Bertoldo æmulo diuisio 5.308
Reinaldus Episc. 6. 561. & *seq.*
Reinaldus Cancellarius Frid. B. idéq; Episc. Coloniensis 9.138
Rei læsa maiestate populi 2.363

Hosted by Google

Relapſu 2.526
Relegatio in quinquenniũ 8.654
Remige fluctus perfringere 10.387
Reputare minas Potëtum pro nihilo 9.534
Res non cauſa interdum attẽdenda 2.31
Res ſimulata dat ſemina veræ cladis 6.291
Reſarcire damnum dicitur iudex ad arbitrium ll. qui impunita relinquit delicta 8. 678
Reſpirat Poëta ad tempus 10.605
Reſpirare iuuat 10.548
Reſurrectio Chriſti 1.534
Retranſire undas 8.341
Reuerti inſeſe 10.295
Rex audax etiam milites facit audaces 4.293
Rex Hungariæ auxilia promittit Frid. aduerſus Mediol. 9.167
Rex Magnus qui temperat omnia, id eſt, Deus 8.477
Rex iratus Leoni comparatur 2.482
Rheti 1.206
Rhetica rura tenet Frid. B. cum multo milite 7.2
Rhodanus mare influit in finibus Burgundiæ 5.267
Allobrogum dominator aquarum 282
Ridiculum quiddam eſt, ſatis quidem accipere, at non etiam ſatis præſtare paratum venire 9.320
Rimari ſecreta negocia 8.450
Ripæ margo 8.432
Ripuarienſes 1.201
Ripuaria tellus 1.201
Ripuaria arua 6.461
Ripuaria tellus auxilia mittit Frid. in Italiam
Riuola caſtrum inſuperabile tradit Othoni & Reinaldo ſine Marte 7.14
Rixæ cognatæ diſcordiæ 1.606
Rixa fraterna 6.457
Robertus Guiſcardus Normannus frater Rogerij deſcribitur 1.654
Robertus comes Cauillenſis 5.386
Roboris duri ictu muros frangere 9.346
Rogerus & Robertus Guiſcardus è Normanniæ & terra Galliæ migrant in Apuliam & Calabriam, nouas ſedes quarentes 1.670
Rogerius frater Roberti Normãnus deſcribitur 1. 654
Rogerius Apuliæ & Calabriæ inuaſor & tyrannus 1.634
Roger. Rogeri fil. Byzantiũ verſus excurrit iaculis in arcem regiam immiſſis 1.712
Rollandus Cancellarius eligitur ſucceſſor Adriani Papæ, & verſo nomine Alexand. dicitur 10.119
Rollandus legatus Papæ ad F.B. poſtea ipſe Pontifex factus nomen Alexandri aſciuit 6.259
Roma caput mundi 3.242
infida Imperatorib. 5.142
ſibi ipſi non valens ſufficere & ab alijs deſerta, ab alijs direpta aduocauit Caroliũ M. 3.531
quàm paruis ex initijs quantopere

Hosted by Google

topere creuerit, & quibus artibus 3.384
maiore sui parte inculta vacat, domicilium præbens colubris, bufonibus, & draconibus 4.194
Romæ Petrus solus meritò tenet omnia iura 9.290
Romæ non est nouum fraudibus occultis blandè palpare Potentes 3.595
Romæ vetus senatus iubetur à Frid. B. consensu Pontificis renouari & præfecti iura primæuo vigori reddi 10.71
Romanus populus inuadit partem exercitus Frid. Barb. & fundit 4.73
Romani petunt à Frider. largitionem munerum & iusiurandum, quo & priuilegia sua confirmentur, & promittatur sibi defensio 3.440
Romanorum auaritia 3.471. 6.264. & 655
à prisca virtute degeneratio 3.400
Romani Frid. B. oratione excipiunt 3.369
Romanorum magistratus non sublati sunt, sed ad Germanos proceres translati 3.565
Romani quotannis per dies caniculares migrant vrbe in proximos mõtes fugâ æstus pestilentis 4.191
Manuele Imperat: Græcorum & Siculo Rege freti contra Fr. Bar. 3.535
Romana de sede falsi Prophetæ 6.325
Romanæ sedis honor 7.99. & 161
Romana sitis nunquam satiatur auro 6.655
Romanus arcus, moles proxime Mediolan. 8.27
Romulus conditor imperij 1.483. *fratrem saltu transmittere fossas ausum morte multauit.* *Ibid.*
Roman. regnum toti orbi præeminet 8.649
Roncaliæ, vel earum descriptio 2.36
Roncalijs indicitur curia seu cõuentus vrbium Italicarum 8.381
Roncalijs conuentus maximus 8.405
Roncalias petit Frid. Bar. 9.12
Roncalijs indicta curia coit 9.385
Rosatum non procul distans Mediolano 2.284
Rotata ceruix pilæ more 10.166
Rotata tormentis saxa 10.210
Rotatus lapidum 10.225
Rubet ferrum sanguine, scabie 8.666
Rudolphus Rex Arelatense regnum tertiò coniunxit cum imperio 5.274
Ruina morum 3.414.

[*Eleganter dictum exemplo Petronij: Namq; hoc dedecus est populi morumq; ruina.*]

Rumpere lacrymas risu, gaudia gemitu 9.480
Runcaliæ publica negocia tractat Fr. B. 2.353
Runcaliam venit Frid. B. 2.35.

Ron-

Roncalia resident aliquot diebus 8.210
Ruteni Polonorum sorti aduersus Fr.B. 6.103
Ruteni indomiti Poloniam tangunt ad Septentrionem 6.21

S.

Sacer morbus pro magno 4.229
Sacerdotio regnum non bene iungitur 6.347.& 353
Sacramenta dare pro iurare 7.25
Sacramenta fidesq́, ἐν δύο, id est, fides Sacramento seu iureiurando promissa
Sacrilegiũ cõmittentem, qui potest, debet, phibere 7.276
Sacri Patres, id est, Episc. 8.445
Sagittis pluit aura 10.340
Saltu se mittere in hostes 10.410
Salua pace tua 6.669
Salutare ore supremo limine chara 10.459
Salus quæ ab Imperat: contingit, confertur cum ea, quam naufragi expectant 8.514
Salutem manu ferre 10.205
Sancire timorem 6.315.8.693
Sancire exemplum & documenta magna ac fortia 3.126. 1.473
Sanguine ferrum pascere 9.370
Satiare 4.418
Sanguis degener 7.693
Saniorum consiliorum auctores malè accipiuntur 3.323
Sapientum virorum arbitrio stare 9.316
Sarcire hiatum patientis rima 10.384
Sardinia tributaria Papæ Rom. 9.306
insula in Tyrrheno mari 9.33
Satiare ferrum sanguine 4.418
Satiare famem sanguine hostili 4.93
furorem iusta cæde 4.123
Satisfacere, satis suscipere 9.317
Saxo Dux Noricus, nepos Regum, Imp. Frider. propinquus adduxit ei Beatricem in Italiam 10.9
Saxonis, id est, Henrici Principis Noricorum Colloquium petunt Cremenses obsessi 10.430.
Saxo Ratisbonæ restituitur auitis possessionibus 5.60
Saxo Henricus Dux Noricus 7.100
Saxones indomiti 2.506
Saxonas indomita nimiùm feritate rebelles Carolus M. oppugnauit 1.80
Scalarum gradibus conscensis contendere pinnas apprehendere 10.364
Scalarum gradibus turres obsessæ urbis scandere 9.347
Scalas hærentes detrudere 10.367
Scandala sacræ Ecclesiæ dolori sunt Episcopis 6.527
Scandia 2.119
Scandala illecebrosa 8.362
Scena admirãdi operis dono missa Friderico Barb. ab Henrico Anglorum Rege 6.173

Scelus

Scelus vniusaut paucorum nõ debet vlciſcendo in omnes diffundi 10.55
Scelerare lumina viſu crudeli 10.171
Sceptro eburno ſit inueſtitura Epiſcopi Magdeburgenſis 5.571
Schiſma Eccleſiæ Rom. penè per 24. annos ſub Alexandro Papa exarſit 6.262
Schiſma Cleri Romani 6.510
Schiſma diuturnum de ſede Põtif. Rom. poſt mortem Adrian. 10.115
Sclaui 6.22.7.210
Scriptum in corde memori tenere 10.531
in Scriptum redigere leges pacis 8.181
Scrutator pectoris alti Deus 8. 146
Scopulus ſeu rupes Alpium altiſſim. ab Othone Com. Pal. & 200. militibus conſcenditur. 4.539
Scythica ἀνθρωποφαγία 6.46
Scythicum mare ad partem Poloniæ Septentrionalem 6.20
eius inſula 6.37
Scythica ſagitta 5.545
Scythæ Polonorum ſocij aduerſus Fridericum Imp. 6.104
Securis ferit facinus capitale 2. 392.
Securus maieſtate nominis Imperatorij 9.258
de ſede Pontif. Rom. lis diuturna 10.116
Sedis Rom. honor 7.99.&161
Securis Roman. punit reos de more vetuſto 3.77
Seditione rebelli arma ferre 10. 437
Seiungere (id eſt, dirimere) fœdera 10.441
Sellam pœnæ cauſa portabant 5.200
Semeſtris obſidiõ Cremenſium. 10.314
Semina laudis quærere 7.465
Senogallia 4.385
Senium fati annoſi deponere 8.312
Senium paſſas leges renouare 8. 486
[*Sic Iuſtinianus loquitur init. l. 2. C. de vet. iur. enucl. leges antiquas iam ſenio prægrauatas dixit.*]
Septuageſimus annus immunitatem præſtat 8.185.&660
Sequaces erroris ſui habere multos 9.534
Sequax veri ſit iudex 8.561
Sequeſtrum venire reformandæ paci 7.82
Sequeſtra pax 5.210
Sequeſtri mandatorum, id eſt, legati 6.365
Sequi caſtra non armis ſed carmine 10.576
Serenus pulcro ore 10.501
Serui apud dominum ex longa peregrinatione reuerſum mutuò de iniurijs vltrò citroque factis conqueruntur 5.175
Seruus à domino redimitur ſeu luitur 7. 258. & 275. & 289.

Ser-

Seruire pio domino maximus honor populi 8.167
Seruire magnis principibus lucrosum est 10.70
Si bene vos noui 7.359
Si benè nota fides 10. 559. *imitatione Horatij.*
Si credere fas est 9.134
Si non fallit imago 7.360. *Imitatio Virgiliana.*
Sibilat aër 9.354
Sica sub veste latente præcordia fodere 9.545
Sidera cœli numerare 5.333
Sidera rebus mundanis dominantia 1.365
Sicilia rex recipit vrbes Apulia & Campania à Graculis dolo occupatas 5.437
Siculus tyrannus sedib. suis expellit multos magnates Apulia: qui tandem eas recuperant 4.330
Sicula arbiter aula 3.535
Siculus tyrannus mutilat regnum Rom. & vrbes Imperij inuadit 5.411
cum Siculo conspirauit Papa Roman. contra Imp. Frid. 6.673
Sicula tyrannidis iugum abijcere 5.391
Signa regia in campis volitant vento quatiente 10.136
Signa conuersa ferre 8.320
Signa aliquò ferre 6. 401. *mouere* 6.466
Signa bellica quiescunt 10.606
Signa pulsata: hoc est, Nola seu campana. Sturmleuten *vocant Germani* 8.18
Signo accepto 4. 260. *non expectato* 4.267. *Intelligit tesseram militarem vel iussum Imperatoris. Sic dare signum, crebra historicis phrasis.*
Signifer Otho Com. Pal. 9.139
Silentia indicere manu & vultu 10.500
Similia seu comparationes Guntheri vid. infrà in fin. Indicis
Simulatio fugæ 10.267
Simulanti fugam hosti non semper credendum 10.89
Simulare furorem verum 9.461
Simulator callidus stultæ artis 9.471
hominis inepti 9.482
Simulans vesanum 9.463
Simulator furoris ob insidias Friderico Imp. flagellatus in profluente submergitur 9.512
Simulatus amor nocentissimus 10.292
Simultas stimulis acerbis agit ciues 9.5
Sic Boëthius de consolati: Philosophiæ: voluptas stimulis agit fruentes.
Singultu saliunt pectora 10.217
Sinon fraude Graiâ munitus subiuit (id est, decepit) Priamum & Troianos 9.483
Socium esse alteri in clade 9.556
Solatia præbet casus damno alterno 9.19
Solem post tristia nubila læti aspicimus diu ignotum. 8.285
Sol alterno partitur lumine cœlum 5.583

Hosted by Google

Sol occidens 10.179
Soli comparatur Rex 4. 377 & seq. item 5.581
Solida pax 5.17
Soluere castra 10.548
Solutus legis iure Princeps se legib. subijcit 8.475
Solymarius Gunthi 1. 14. & 68. *item* 10.648. & 729
Sopor irrigat membra primo imbre. 7.569
Soporatas iras demulcere precibus 6.599
Soracte mons, in quo Syluester Papa latuit, fugiens Constantinum nondum renatũ 4.148
in Sortem prædæ venire 3.164
Specie tenus arma contra Siculum mouentes Græci reuera tentant aliquot vrbes Imperio Roman. eripere & in suam potestatem redigere 7.44
Spem in armis tantùm ponere 10.206
Spes futurorum de præcedentibus nascitur 7 335
Spes cassa lusit 5.550
Spirat furor & discordia inter vicinas vrbes 8.70
Simultas vetus inter aliquos 9. 5
Spirensia Comitia 1.747
Spoletum à Frider. Barb. euersum ac deletum 4. 303.8. 137
Spoletani aduentantem ad vrbem suam Imper. Fridericum adoriuntur petuntq; fundis, sagittis & hastis; sed magno suo malo 4.251
Spoletani octoginta talenta fisco inferre iussi, falso numismate seu adulterinâ pecuniâ Fridericum Barb. decipiunt 4.233
Guidonem Comitem Imperatoris legatum in vincula conijciunt. 4.242
Spoliantur legati Cæsarei à Placentinis 9.255
Spolia & parcere terræ 10.492
Spoliatus amat iudicium, is qui spoliauit, odit, & fugit illud, vt qui maximè 1.630
Spretor mortis 9.533
Stabulatori Imperatoris denunciandus equus inuentus, cuius ignoratur dominus 7.293
Stabulator Imper. animaduertit in vim facientes 7.309. *(Is est, quem nostri Marschalcum vocant:)*
Stare vel stricto iuri vel arbitrio sapientum virorum 9. 315
Stare iuri nolens 10.23
Stare recusans meritò cadat 9.21
Statius rex designatus à Mediolanensibus occidit in prælio cum copijs Friderici Imp. commisso 7.650
Stephanus frater Geisæ regis Pannoniæ 6. 406. *seruandus mittitur Constantinopolim à Frid. B.* 6.445
Stigmata fronti vel maxillæ iniusta 7.256. & 273. & 287 & 300
Stimulare dolores 6.380

Stimulare

Stimulare aliquem æstu 10. 282
Stimulat dolorem veterem causa noua 9. 120
Stimulis iram incendere 9. 193
Stimulos nouos adijcere volenti 6. 497
Stimulis æstuat ira 10. 157
Stratagema fœminarum barbã & viros simulantium 2. 121
Stratagemate (seu egregiâ fraude) vtitur Frid. B. contra Mediolanenses 9. 408
Stratoris cuiusdam virtus seu potiùs vesania memorabilis 2. 581
Strator homo plebeius recusat titulos & nomen equestre, præmia ἀνδραγαθήματος, à Frid. sibi oblata 2. 612
Strictoiure angi 7. 406
Stricto iuri legumq; rigori opponitur arbitrium sapientum virorum 9. 315
Studium suum alicui iactare 8. 503
Studia pro factionib. 5. 225
Subire aliquem, pro decipere 9. 484
Subreptirelatus 5. 379. *vt* vt obreptiuum oraculum in l. 8. *C. Theodos. de pagan. sacrif. & templ.*
Subsannare adunco naso. 10. 618
Subuersa facie 9. 468
Subuersio funditùs 9. 279
Suburbia Spoletana exuriũtur 4. 262
Sudare laborem 4. 606
Sueni 7. 210
Sueuia metuenda alijs terris 1. 70 & 206
Sulphur viuax 10. 153
Sulphure viuo flamma feruida viget 10. 350
Sulphurea venena 9. 539
Summis de rebus agere 1. 189 & 268. 2. 537. 6. 324
De summis rebus quæstio agitur 8. 95 *Exemplo Ciceronis & Virgilij.*
Summa Capitolitia 4. 520
Superba turris 2. 446
Superba laus 10. 562
Superet modò vita 10. 611
Superstes fama 4. 613 8. 26
Superstitio stulta 7. 664
Superuacua laus est, prudentiorem haberi velle màioribus, hominib. sapientiss. 6. 606
Supplementa suis Castris petere 10, 262
Supponere vadio, id est, pignori 8. 59
genas alapis, colla colaphis 9. 482
aliquem iudicio 9. 322
Supremo ore salutare limina 10. 459
Suprema voluntas, pro testamento 5. 278
Suspecta gentis pectora attentare per legatos 9. 36
Suspẽdiũ mors probrosa 7. 286
Suspensi ex turrib. XL. obsides à Fr. B. ob Gremensium perfidiam 10. 209
Suspendere partem laboris 10. 573
Sylvest. Põtifex fugâ tyrannidis latuit in monte Soracte 4. 148

Synaſtriſmus 1.365

T.

T Abellis legitimis probare 8.582

Tabulata lignea 10.340

Tabulata nauis ſoluto nexu gemunt & rimoſa fatiſcunt 10.379

Tabulæ naufragij per ſtagna natantes 10.393

Talenta M C. dat Cremona Friderico ad bellum contra Cremam 10.24

Talenta quinquagena pœna fractæ pacis in Duce, Comite, Marchione 8.670

Talenta X. pœna magnatum fractæ pacis reorum: VI. minorum 8.672.

Tanera rapax fl. 2.419

Tarquinius ſuperbus 2.445

Taurina mœnia 2.343

Tecta infida 9.155

Tela pluunt 9.353

Tela vix ſummo ferro delibant roboratorrium 10.344

Telas leues arancarum conſerere 10.640

Tellus tota ſilet Cæſaris à facie 8.314

Tellus crebrò ſpoliata continuis rapinis, nec domino victum, nec equo pabulum præbere poteſt 10.132

Telonea 8.572

Tempeſtatis in mari deſcriptio 10.374

Tempus rapere 9.490

Tempus perditum ducit princeps bonus, quo nihil adiectum eſt regno 6.8

Tenebræ fuſcant res dignas noteſcere 10.596

Tenor belli 3.546. *legum* 8. 450

Tenoris ſpacio languida tela 10.343

Tentare prælia primos 10.535

Tentoria in quadram vel rotundam formam vergentia, pro loci ratione ponenda 8.417

Terdona Papiæ infeſta & Mediolanenſium ſocia vrbs diripitur 2. 393. & 403. & 437

Terdonenſis cleri querelæ de Papienſibus apud Fridericum 3.62

Terdonenſes ſpe poſita ingentes animos ex ipſis cladib. & deſperatione omnium rerum colligunt 3.135

Terdonenſes confœderati Mediolanenſium contra Papienſes 3.83

Terdona expugnatur à Frider. poſt longam ac difficilem obſidionem, & vitâ ciuib. conceſſâ, bona inter milites ſorte diuiduntur 3.159

Terdona corruit ob rebellionem aduerſus Imp. Frid. 5.473

Terdonam inſtaurare conantur Mediolanenſes aduerſus interdictum Friderici 5. 492 & 519

Terdona à Frid. euerſa, à Mediolanenſib. inſtaurata 8.133

Terdonenſis clades 10.481

Terdonæ fata 10.486

Terdona dedit labores Friderico 10.519
Terebrare guttur 8.401
Terra negat victum vastatis vndiq; campis 10.546
Terræ spoliatæ parcendum 10. 492
Terræ Apuliæ & Calabriæ descriptio 1.686
Testes veri sumus eorum, quæ ipsi oculis nostris vidimus 10.537
Testis sanguine iunctus reprobatur 7.260
Testudo dēsa iūctis clypeis 9.344
Testudine densa petuntur muri hostiles 10.357
Teucris illudit Sinon 9.485
Teutonici reges cœperunt frui corona Ausonia 8.128.
Teutonicus sanguis 9.371. *sermo* 9.82 *orbis* 10.2
Teutonico non pecunia cumulata, sed honor est cordi 3.463
Teutonici proceres, postquam Imperium ad Francos trāslatum est, loco sunt Patriciorū Quiritū, Senatus, Cos. Prætorū, tribunorū plebis 3.565
Teutonici tyranni 3.420
Teutonici regni nomina 1.210
Teutonicum regnum à Frid. B. sedatum 5.222
Texta (qui aliâs textus) operosè picta figuris 10.570
Textu chalybum munitus pectora 2.592
Textus sacri, id est, vestes 3.195. *Sidonij* 3.201
Textib. abrumpere aurum 6.367
Therma Aquenses describuntur 1.419
Thermodoontiacus triūphus 5 8
Theseus Athenis triūphauit 5.10
Ticinus fl. 2. 174. & 314. *in Eridanum influit prope Papiam, quæ inde alio quoq; nomine Ticinum appellatur* 317
Ticinū fidelis vrbs Frider. 7.234
Ticinenses seu Papiēses inuitant Fr. B. vt ad se diuertat de Terdonenſib. triūphaturus 3.174 *præcipui hostes Mediolanensium, eos lacessiunt* 10.83 *infestant Mediolanenses* 8. 58 *eorum gaudia in aduentu Fr. victoris* 10.475
Ticinum bellum passura Lauda 9.233
Timentur veris grauiora 7.575
Timor Dei quib. inest, ijs gaudet vti Frider. Imp. 8.447
Timore Dei omnia peragenda 9.328
Timor grauior ipsa morte 10.248
Timorem sancire 8.693
Tinniunt galeæ ab ictu mucronis 7.647
Titulo gauisum possidere 8.583
Titulis exaggerare actus 10.561
Titulis onustum dimittere 10.575
Tonsura ignominiosa & pœnalis 7.257. 7. 274. 287
τοπογραφία *Vuormatiensis agri* 5.163 & 300
Torměta bellica fabricata 9.336
Tormenta muralia i. balearica seu balistæ 2.512 *bellica* 2.542
Tormentis rotata saxa 10.210

Tormẽtis flagellãtur tecta 10.353
Torpor quietis matutinæ 9.496
Torporem somni excutere 9.508
Toti succisa parte medendum 10.351
Toxica admiscere mellifluis verbis 3.294
Trahere bellum per omnia rura 10.129
Traiano mitior, Augusto felicior 3.445
Traiectini rebellarunt Imperante Conrad. 1.512. *ijs multorum principũ intercessione, ac multa pecuniaria purgatis ignoscit & parcit Frid.* 1.524
Transalpina 3.304. 4.345. 5.377 8.212
Trãsalpinæ oræ 9.227. *cohortes* 9.457
Transalpina rura 10.549
Transactio litis finem facit 5.54
Treciũ castrum in ripa Adduæ munitiss. in tutela Med. 7.444 *ereptum Mediol. Fr. B. munit præsidio: quod illi rursũ expugnare nituntur* 9.333 *expugnatur & euertitur à Mediolanensibus* 9.364
Tribuni tutela plebis 3.380
Tributa prisca omnia, præter diuini iuris honores, adimũtur Mediolanensib. 8.196
Tributũ omne disponitur ad arbitriũ Imp. Rom. Abipso igitur nullũ exigendũ 4.520
Tributa annua pẽdebant Poloni Imp. Rom. D. Marcus 6.82
Tridentum saxosum 2.9.7.226
Transit Frid. B. Germaniam ex Italia repetens 4.589
Tridentinus Episcopus ducit legatos Pontificis Rom. Adriani & vnâ cum illis spoliatur ac capitur 7.85. *& seqq.*
Triumphus Apostolicus, pro martyrio 1.578. 4.158
Triumphi multa cæde respersi 7.656
Triumphis multis nobilitata Pisa & Ianua 9.41
Triumphalis põpa, qua Fridericus Papiam ingreditur 3.190
Triumphi Friderici de Terdonensib. & Cremensib. 10.475
Triumphum Cæsaris describere dignum opus vate non vulgari 10.477
Triumphus infandus 10.417
Truncus manib. pedibusq; resectis humi volutatur 10.418
Tumores antiquos clade expendere 10.471
Turregum nobile 3.307
Turris superba 2. 446 *lateritia* 2.44
Turres vrbis pœnæ causa deiectæ 9.26
Turres mobiles rotis inuectæ ad expugnationem vrbis 10. 320
Vide Iust. Lipsi. lib. 2. *Poliorcet. Dial.* 4. *pag.* 103
Tusci montis crepundia 4.225
Tuscia bellatrix 3.236
Tusculana vrbs 4.177
Tusuidus ciuis Veronensis Frid. rebellis occupat castrum seu Guardam imperialem 8.329
Tutum esse sub nomine alicuius 7.280. *&* 446

Hosted by Google

Tybur à Tyburte, Cora & Catillo fratrib. Argolicis conditum 4.152
Tyranni Teutonici 3.420
Tyranni quos Italia sensit 8.516
Tyrolensis Comitis Alberti ἀνδραγάθημα 7.683
Tyrrhenum mare 2.63.& 68

V.

VAdes, id est, obsides 9.216
pignora pacis tenenda 10.209
monumenta fidei pacisque tenendæ 8.316
Vade ccc. de quolibet ordine à Mediolanensib. dari iubentur Friderico 8.200
Vadio dare vel supponere feudum non licet vasallo sine permissu Senioris 8.595
Vaginæ redditus ensis torpet 8.665
Vallum ducere 7.546
Vallo cingere munimina 8.416
Vangionum campos adit Frider. 6.467
Vasa vinaria non conterenda 7.313
Vasalli vnius plures successores singuli domino fidelitatem iurant 8.639
Vasallus vnius eiusdemq; feudi nomine plures habet e dominos non cõpellitur 8.641
Vasallis litigantib. inter se de feudo iudex est communis dominus feudi 8.630
Vasallo litigante cum domino feudi iudices sunt pares curiæ, i. cęteri conuasalli 2. 43.8.633
Vasallum sibi facere 8.621
Vasallus militiæ iustæ munera ne detrectet; sed vocante domino aut ipse castra eius sequatur, aut alium suo loco mittat, aut mercede redimat hunc laborem 8.608
Vasallus alium de feudo subinuestiens 8.620
Vate dignum 10.477
Vbertate vigere nequit tellus diuturno bello afflicta 10.487
Vectigal 8.571
Velle pacem; bella 9.37
Velle arma; negare pacem 10.149
Venatoris mos prætermittentis minores feras, & maiorib. tantùm inhiantis 4.464
Venalia deferre vrbi obsessa 9.403
Venalia portantes in castra 8.426
Venalis honor 4.29
Venales manus 9.49
Venalia castra 10.540
Vendens feudum absq; consensu domini, amittit ius suum 8.593
Venena celare sub melle 10.289
Veneficus & magus Arabs, insidiator Friderici 9.577
Veneta vnda 2.63
Veneti stagna profundi 6.444
Veneta vrbs opulenta 2.104
Venia supplicij facinoroso fatetur

Hosted by Google

fatenti promissa 9.549
Ventilare sub corde sagaci 2. 621
Ventosa loqui 6.144
Vera modò liceat fateri 10.581
Verba composita 6. 170. 8.549 *ampullosa* 6.14:. *phalerata* 6. 154. *melliflua* 6.181. *magnifica* 6.295
Verba dare, pro facere 10. 560 *cum aliàs sit decipere. Sic Virg. dicta dare.*
Vercellum praterit Frider. Barb. 2.343
Veri sequax iudex 8.561
Vero omnia postponenda 9. 325
Veris descriptio 6.480
Verona potens 4.393. *vrbs superba* 8.339
ad *Veronam accedit Frid.* 2.15
Veronensium aduersus Frider. B. perfidia 4.396. *legatos mittunt ad Frideric. deprecatum & excusatum culpam* 5.39. & 87. *Episcopus ab ipsis legatus cum duobus alijs ad Frid. mittitur* 5.89. & 93. *ad societatem belli contra Ligurinam vrbem, id est, Mediolanenses se offerunt Frid. & ab eo recipiuntur* 5. 144. & 151
Vesanum simulans 9.463
Vesania ficta tandem in verum furorem prodit 9.491
Vestigia iuris pauca agnoscuntur 8.483
Vestigia sibi cadere in rupe 2.596
Vetustas nulla immemorem faciet 10.527
Vexare fratrẽ iniquis odijs 6.411
Vexillo facta inuestitura duratus 1.150
Vexilla irradiant campis 6.100
Via regalis 4516
Viâ eadem qua venisti redeas 6.106
Vicem reddere maledictis 9. 128
Vicem referre hosti pulcrum & laudabile creditur 7.630. 10. 160. & 196
Victoria Deo accepta ferenda 8.256
Victor Antipapa Alexandro oppositus 10.126
Victoria cruenta 7.656
Victricia castra 10.474
Vienna 5.278
Vigilatæ noctes in officio 10. 639
Vigorem iuris habet quicquid princeps decreuit 8.541
Vigori primæuo reddere iura 10.73
Vigore regali plena verba 10. 559
Vinctum stipite telis certatim missis figere 8.65
Vindicta æquo lenior perinde vt impunitas, multos ad simile facinus audendum incitat 10.451
Vindelici 1.206. 7. 210
Vingeuum castellum prope Ticinum à Mediolanensibus expugnatur 5.521 & seqq.
Virgæ qui parcit in filio, odit eum 7.141
Virginea vrbs, id est, Magdeburgum 1.556. 6.131

Vir-

Hosted by Google

Virtus ſola eſt pretium, quod pro honore detur 3.464
Virtutum merito generoſum nomen adeptus 10.257
Virtus ſuccumbit numero. 9. 363
Virtus torpeſcere neſcia non poteſt tardas tolerare moras 7.602
Virtus militum incaleſcit accenſa oratione Imperatoris 7.389
Virtus incaleſcit 7.645
Virtus, pro viribus ſeu robore & potentiæ 8.111. & 287
Virtute tota tueri leges & iura 8.490
Virus permiſtum infecto ſanguine æſtuat 9.541
Viſcera regni 1.175. in media acie prope ſignum Imperiale collocata 7.506
Viſcera terræ 2.627
Viſu rei atrocis ſcelerantur lumina 10.171
Viſtula præcingit Poloniam verſus ortum 6.15
Vita modò ſuperet 10.611
Vitâ acceptâ à victore dimitti 10.465
Vitæ munera depactus miles Trecienſis oppido, quod defenderat, decedit 7.460
Vitæ à victore donatæ Cremenſes liberam mortem præferunt 10.142
Vita miſera omni funere grauior 3.110
Vitæ amor 8.283
Vitalia accenſa 4.209
Viterbum Româ bidui itinere diſtat 3.242
Viuo ſono 7.106
Vix ea (ſcil. fatus erat) cum &c. 10.245
Vix tandem 10.465
Vlmam euocantur à Frid. proceres Germanici cum exercitu, vt eant contra Mediolanenſes 5.504
Vltimo loco poſita altiùs penetrant in animos auditorum 8.648
Vltor enſis 4.169. *Vltorem enſem accingi* 6.501
Vltrices aquilæ 7.387. *iræ* 7.318. & 378. 10.311. *minæ* 10.144
Vlyſſis facundia 10.506
Vmbra Rom. nominis 3.405
Vmbrare galeam comis 10.416
Vociferare belli ſignum 7.253
Volant tela, faces & ſaxa 10.154
Voluntas facit, vt grata ſint munera 6.195
Voluptas hominis nulla eſt ſincera 1.603

[*Mutuatus eſt Gunth. hanc ſententiam ab Ouidio. Eius hæc ſunt in Metamorphoſi:*

—Vſque adeò nulla eſt ſincera voluptas;
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.——

Ouidius autem eandem ex Apollonio tranſtulit, lib. 4. Argon.

ἀλλὰ γὰρ ἔπποτε φῦλα δυηπαθίων ἀνθρώπων,

εἰρωνῆς ἐπίθημεν ὅλῳ τοδὶ. σὺν δίτις αἰεὶ
πικρὴ παρεμίμολωκεν ἐϋφροσύνησιν ἀνίη.)
Volutabra lutulenta defendunt muros Cremæ 10.470
Votum felicitatis 10.654.
Vouere in prælia dextras fidas 7.393
Vox ingenua capax magni ponderis 50.503
Vrbe ex eadem non sit iudex vel magistratus 8.563
Vrbes vicinæ antiquo odio interse dissident 8.70
Vrbs Ligurum, id est, Mediolanum 2.171.& 273.&c.
Vrbs Leonina 3. 620. & 636
Vrbes Italiæ quæ Friderico fideles 7.234
Vrgere collectis oppida 9. 292.
Vt verum fatear 8.474
Vulgus immobile 2.355
Vulgus nociuum & petulans abigendum castris 8.364
Vulgus Mediolan. furens violat Reinald. Episc. & Cancellarium, Frid. Imp. Legatum 9.142
Vultum hilarem pariter cum pectore in summis malis præstare 10.534
Vxoria signa 9.450
Vuelfo Germanis dictus, qui Romanis est Catulus 9. 82
Vuarnerus Marchio occumbit in prælio cũ Cremensib. 10.36
Vuestualiæ coloni militant Friderico contra Mediolan. 7.205
Vuestualiæ vrbes 1.202
Vuibaldus Abbas Stabulensis Friderici Legatus ad Imper. Græcorum 4.329. 5.361. *moritur in Græcia non sine suspicione sinistra contra Græcos* 9.63
Vuormatiam petit Frid. 5.163
Vurcepurgum vrbs Franciæ Orientalis ab herbis nomen tractum habet 5. 323. *sunt ibi quasi præcordia regni Germanici.*

Z.

Zephyri molles 6.483
Zonæ similitudinem refert Italia 2.62.

¶ Placuit hîc ad finem INDICIS tria adijcere, primùm quidem SIMILIA seu Comparationes & Icones Guntheri, ἐπὶ μίαν σύνοψιν proposita, vt faciliùs inquiri, & inde nostri auctoris ingenium vberrimum, & fœcunda facundia æstimari possint. Deinde ORATIONES & Epistolas huic operi passim insertas. Nã quod ad SENTENTIAS seu Gnomas atq; Regulas, Prouerbia item & Noëmata attinet: Ea INDICI ipsi insperſimus, & vt tamẽ facilè primo intuitu cuiuis notescerent, peculiari characterum genere imprimi curauimus. Tertiò Loca Sacræ scripturæ, quæ vel transtulit Gunth. in hoc Poëma, vel ad quæ adlusit.

SIMILIA

SIMILIA GVN-THERI.

1. CONFERTVR Rector Reipub. cum gubernatore nauis 1.19. & seqq.

2. Vitæ humanæ rationes cum lusu aleæ vel tesserarum comparantur 1.235

3. Proceres Imperij ad Comitia conuenientes, cum congressu seu coniunctione Planetarum 1.363.

4. Frid. Aenobarbus iniurias patruo & antecessori suo illatas vltum it, simili pietate, qua olim Augustus Imp. necem Iulij Cæs. auunculi vindicauit in eius percussores 1.581.

5. Viri strenui & industrij alias sedes quærentes, comparantur cum aquilæ pullo è suo nido prouolante 1.675.

6. Εἰκὼν, qua Imp. in regionem seditionib. & latrocinijs vexatum & afflictam veniens comparatur cum sidere recens exorto post nubila 2.2 in argum.

7. Regio aliqua aduentu sui principis gaudet, vt gubernator nauis orto sole 2.218.

Sic Imp. soli, & soboles Imperatoria stellis comparatur 10.637.

8 Rex irritatus contumacia & rebellione subditorũ simili leoni post longam patientiam iniuriarum tandem sua sese cauda exstimulanti 2.482.

[Locis auctorum, quæ in Commentarijs nostris laudaui ad hanc rem, illud quoq; addi potest: Caudam leonis ab hoc vsu & ista exstimulatrice virtute etiam nomen accepisse apud Græcos, vt ἀλκὴ, & Poëticè ἀλκαίη dicatur. Docuit me hoc primùm Scholiastes Oppiani ad lib. 5. Halieutic: quem ex Hispania acceptum aliàs cum Deo edemus. Sic igitur ille: ἀλκαίη, inquit, ἡ τοῦ θεράποντος ἄκρη, ἤγουν ἡ τῆς οὐρᾶς ἄκρα. κυρίως δὲ ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ, παρὰ τὸ ἀλκὴν ἀυτῷ ποιεῖν. ἑαυτὸν γὰρ τῇ οὐρᾷ μαστίζων εἰς ἀλκὴν ἐρεθίζει. Consentit cum hoc Scholio Etymolog. Magn. laudans id Homerum. ἀλκαία, ἡ οὐρὰ. κυρίως ὁ ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ, διὰ τὸ εἰς ἀλκὴν ἀυτὸν προτρέπειν. Ὅμηρος. θῆρ ὃς πλευρὰς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν μαστίσῃσι, εἰς δ' ἀυτὸν ἐποτρύνῃ μαχίζεσθαι. ὕτω μεθόδιος.]

9. Imp. Frid. Terdonenses reos serò supplices redire cogit in sua vrbis & arcis mœnia clausa, vt olim in extremo iudicio supremus Iudex omnes impios, qui totiès moniti totiens spreuêre monentem in æternum ignem Gehennæ tradet omnibus supplicijs mactandos 3.129

10. Adrianus IIII. Papa Rom. Friderico Imp. Romam aduentanti occurrens conqueritur de Romani Populi iniurijs & contumelijs in se & clerum: haud aliter atq; pater inualidus filio ex longa peregrinatione domum reuerso conqueritur de petulantia & iniurijs seruorum suorum 3.255

11. Querelæ mutuæ ab Ordinibus Imperij ad Frid. Imp. deferuntur Vormaciæ, non secus ac serui de conseruorum improbitate apud herum communem ex diuturna peregrinatione domum reuersum conqueri solent. 3.175

12. Roma Hostibus infestis & belli pressa tumultu Francorum virei, inuictaq; signa rogauit, & opem eorum imploauit contra Longobardos, vt mendicus ad ostia clausa sæpius implorans querulo vocat ore potentem. 3.351. & aliquot præcedentibus.

13. Regius

Hosted by Google

13. *Regius exercitus dimissus, & quisq; ad sua reuersus, similis fluminibus diuersis ex eodem fonte manantibus & in mare vel seriùs vel citiùs sese exonerantibus* 4.367.

14. *Imperialis aula frequentia quamlibet multis discedentibus nunquam tamen decrescit, sicut mare quantumuis largas mundo disseminet vndas, nunquam tamen aquis minuitur, sed semper inexhaustis fœcundum pullulat vndis* 4.381. *& versib. præcedentibus.*

15. *Albericus Nobilis Veronensis cum aliquot coniuratis insidias struens Imperatoris Frid. copijs transitum faucium Alpinarum tentantibus, comparatur cum venatore minores feras prætermittente, dum maioribus inhiat. v. g. apru, leonibus, ceruis, vrsis & pardis, &c.* 4.464.

16. *Germani reditu Frid. Imp. ex Italia ita lætantur & exultant, vt quondam Athenæ Theseum duri post multa pericula belli reducem & triumphantem cum applausu exceperunt.* 5.7.

17. *Principis, aduentus optatæ pacis radios diffundit Germanico Imperio, vt Sol nouus post nubila ortus est gratiss.* 5.222.

18. *Vt Sol alterno partitur lumine cœlum, & alterum hemisphærium illustrat, in altero tenebras facit absentia sui: Ita Princeps qua ex parte regni abest, ea cladibus miscetur & affligitur: in qua verò præsens est ea pace & tranquillitate fruitur* 5.581. *& præcedentib. aliquot versibus.*

19. *Episcopi Germanici in graui dissensione & controuersia Papæ Adriani & Imperatoris Frid. eodem modo affecti fuerunt, quo in deliquio solis (quod luna sua coniunctione efficit) cætera sidera tanquam in bello quodam ciuili neutri parti se adiungere audent, sed tacita q. condolent vtriq; suo Principi* 6.582.

20. *Otho Frisingensis sua moderatione & prudentia subsequens, & adiuuans literas Papales ad Frid. Imp. eiusq; iram mitigans, non aliter eum placat, & ad nitidum vultum reducit, quam solent rosæ & lilia nimbo priùs decussa reflorescere, miti Fauonij aurâ rursum ipsis aspirante* 7.178. *& præcedentib.*

21. *Imp. Eximium veluti post tristia nubilia tandem sidus adest.* 8.535. *vide & suprà comparationem similem.*

22. *Prudens quidam hominis simulator inepti subornatus à Mediolanensibus ad interimendum Frid. Imp. confertur cum Sinone, Troianus, à quibus illusus fuerat, exitium machinante.* 9.483.

23. *Ligures seu Mediolanenses incidunt in insidias sibi collocatas, veluti celeres in retia cerui sæpè cadunt, in quos tum Venator canes concitat, eosque trucidat.* 10.92.

24. *Obsidio & expugnatio Cremæ confertur cum tempestate & naufragio, quæ prolixè & luculentè admodum describuntur.* 10.374.

Ex his, quæ breuiter subduximus, apparet, quod Iul. Cæs. Scaliger de Oppiani nostri Comparationibus pronunciauit, In ijs & venustatem esse & robur & candorem: idem non immeritò de Guntheri quoque Comparationibus vsurpari posse: præter, quòd hæ pauciores sint, cum Oppiano frequentiorib. neq; alius sit vsus.

Addamus in ἀποσπασιώσει ORATIONES, quibus eloquentiæ suæ pro illo seculo admirandæ documenta nobis dedit

Hosted by Google

dit Guntherus. Quod autem alij factitarunt historici, vt non tantùm orationes, vti re ipsa habitæ fuerant, operibus suis intexuerint, (eas enim conquirere & referre immensi fuisset laboris) sed ea quoque attulerint, quæ verisimiliter dici potuerunt, etiamsi ita dicta non sint, quæque dicenda tempus, locus, rei natura & attributiones postulare videbantur; adeoque in his sæpè neruos ingenij sui scriptores ostenderunt: id Guntherum quoq; hîc feciſſe, intelligere debemus: atque ita harum Orationum quasdam legamus. Vide Iouiani Pontani insignem ad hanc rem locum in Dialogo de Historiâ.

1. *Oratio Electoris Moguntini ante Electionem Imp. Fr. Ænobarbi habita Francofurti* 1.231. & seqq.

2. *Oratio valdè Pathetica Cleri & Monachorum Terdonensium, qui cruces & sanctorum reliquias præferentes non admittuntur in conspectum Imp. Fr. cui supplices fieri volebant* 3.31.

3. *Oratio Papiensium seu Ticinensium ad Frid. vt ad se diuertat triumphandi causa* 3.177.

4. *Dogmata & vanæ voces Arnoldi Brixiensis, qui tandem Romæ exustus est, cineribus eius in Tiberim sparsis* 3.273.

5. *Oratio legatorum S. P. Q. R. ad Frid. qua eum gratulabundi excipiunt, & restitutionem priscorum magistratuum ac virium & morum, nec non & largitionem populo ab eo satis impudenter efflagitant* 3.369.

6. *Friderici Imp. ad Legatos S. P. Q. R. responsio mascula* 3.456.

7. *ἀθυμία, qua victoribus Germanis tribuit ἐπιχειρόμησιν & insultationem ad Pop. Rom.* 4.125.

8. *Oratio Friderici Imp. ad Spoletanos rebelles & suos milites* 4.255

9. *Oratio Frid. ad socios, qua eos exstimulat contra Veronenses* 4.505.

10. *Oratio Episcopi Veronensis Legati ad Frid. qua excusat suos ciues, quod non consenserint cum latronibus illis, qui Imp. iniuriâ affecerunt* 5.94.

11. *Epistola Friderici ad proceres Imperij, qua eos aduocat ad societatem belli in Mediolanenses* 5.441.

12. *Capita Legationis à Manuele Imp. Constantinopolitano ad Fridericum missa* 5.537.

13. *Epistola Henrici II. Angliæ Regis ad Fridericum, qua munera sua ornat verbis, & fœdus offert* 6.182.

14. *Pars Epistolæ Adriani Pontif. Rom. ad Imp. Frid. & pictura Romana aduersus Imperatorem contumeliosa* 6.273.

15. *Epistola Friderici Imp. ad Principes & ordines Imperij Germ. in qua de iniurijs Papæ & Cardinalium quorundam conqueritur, & ad societatem doloris eos vocat* 6.313.

16. *Oratio excusatoria Geisæ Regis Hungariæ, qua se per legatos purgat Friderico de commissis in fratrem Stephanum* 6.431.

17. *Epistola Papæ Adriani ad Episcopos, de Frid. Imp. quem moneant, vt tantum properet purgare reatum, quo se inuoluerat Imperialis aula asperiùs habitis atq; dimissis Pontificijs Legatis: Ideò vt in suos aulicos, Othonem, Comitem Palat.*

Palat. & Reinaldum olim Cancellarium suum, tunc autem Episcopum Colon. animaduertat 6.525

18. *Epistola Responsoria Episcoporum ad Papam Adr. qua Imperatorem excusant, & suadent Pontifici, vt animum eius non immeritò exulceratum mitiget.* 6.569.

19. *Oratio Friderici ad Episcopos de Papa Rom. inserta Epistolæ seu Relationi Episcoporum ad Papam* 6.602

20. *Oratio Legatorum Pontificiorum alteras Papæ literas Friderico exhibentium* 7.109.

21. *Epistola apologetica Adriani Papæ ad Frid. Imp. filium suum* 7.119.

22. *Leges Castrenses seu militares Friderici Imp.* 7.248.

23. *Oratio Friderici ad Proceres seu Principes Imperij, quæ eos in Mediolanenses instigat* 7.327.

24. *Oratio Guidonis Blandratensis Comitis ad Mediolanenses, qua eis suadet ac persuadet, vt depositis armis pacem à Frid. petant, cuius impetum ac vires sustinere non possint* 8.98.

25. *Conditiones pacis Mediolanensibus ab Imp. præscriptæ* 8.183

Confer conditiones, quib. Polonus sese dedens acceptus est 6.120.

26. *Oratio Friderici ad Principes Imperij Roncalijs habita, qua eos hortatur, vt in medium consulant de legibus vel nouis ferendis, vel antiquis, quæ seniorum passæ, & iustitio diuturno oppressæ iacebant, renouandis* 8.457.

27. *Oratio ἐπιδεικτικὴ Episcopi Mediolanensis ad Fridericum* 8.508

28. *Leges Feudales à Frid. Roncalijs latæ* 8.593

29. *Leges de pace tenenda & eius violatoribus* 8.649.

30. *Oratio Friderici ad proceres Imperij, vt arma resumant aduersus perfidos Mediolanenses* 9.197.

31. *Oratio Legatorum Papæ ad Imperatorem, & eius vicissim ad illos de iure Papæ & Imperatoris, in qua egregia disceptatio continetur* 9.258. & seqq.

32. *Oratio ἀδυρτικὴ κατ' ἠθοποιίαν alicuius suspensi ad parentes, vt à iaculando & oppugnanda turri desistant, & natis suis parcant* 10.224.

33. *Responsio parentis alicuius ad filium pendulum* 10.233

34. *Oratio excusatoria Cremonensium ad Legatos Imp.* 10.441.

35. *Oratio Friderici, qua Principes à se dimittit, & gratias ipsis agit pro fideliter nauata in expeditionibus opera* 10.569

36. *Oratio, qua Guntherus Ligurinum suum instruit, vt in Imperiali aula vtatur.* 10.639.

¶ Quæ in NOTIS nostris tractamus insigniora, non est visum ex re, vt in alphabeticum ordinem disponamus. Nam cuiuis facilè patebunt, qui Summas tantùm capitum singulorum inspexerit.

¶ Sacræ Scripturæ loca, quæ vel expressè transtulit Gunth. vel tectè allusit.

Genes. 18. Nunquid perdes iustum cum impio? &c. Gunth. lib. 3. v. 55 & lib 5. 134.

1. Reg. 6.

Hosted by Google

1. Reg. c. 17. Goliath Philistæus maledictis prouocam Israelitas. Gunth. lib. 7. v. 679.

Psal. 7. Incidit in foueam quam fecit, &c. Gunth. 4 421.

Psal. 16. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Gunth. 6. 55.

Psal. 144. Qui das salutem Regibus. Gunth. 6. 185.

Prouerb. 3. Heb. 12. Quem diligit castigat: flagellat autem omnem filium, quem assumit. Contrà, Qui parcit virgæ, odit filium suum: vt Prouerb 13. inquit Salomon. Gunth. expressit lib. 7. v. 163. &c. *Vide Senecam de Prouidentia,* c. 1. 2. & 4.

Prouerb. 21. Cor Regis in manu Domini, &c. Gunth. lib. 6. v. 187.

Eccles. cap. 10. v. vlt. In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubili tuo non maledixeris diuiti: quia & auis cæli portabit vocem, & qui habet pennas annuntiabit scientiam. Gunth. lib. 4. v. 475.

Matth. 18. Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Gunth. lib. 8. v. 457.

Rom. c. 13. Non est potestas, nisi à Deo. Gunth. lib. 6. v. 356.

FINIS.

Hosted by Google

Hosted by Google

NOTÆ

IN

GVNTHERI LIGVRINVM,

AVCTORE

Cunrado Rittershusio FC.

Profess. Norico.

Ad Nobiliss. & Eruditiss.

D. IOAN. A BREDOVV,

Eq. Marchicum.

TVBINGÆ,

Typis Georgij Gruppenbachij,

AN. M. D. XCVII.

Hosted by Google

NOBILISSIMO ET ERVDITISSIMO D. IOANNI A BREDOVV in Reinsperg & Kremmen, Eq. Marchico, S. D. Cunr. Rittersh.

CVM animus meus præclaræ indolis tuæ amore captus iam pridem gestiisset aliquid in publicum dare, quo vel suam tui obseruantiam ad alios testatam faceret, vel ad studia tua Politica & Philologa, in quibus magna cum laude versaris, ab se quippiam, si posset, adiumenti adferret: eò tandem sum delatus, vt has in Guntherum Notas, quem hoc tempore ipso, quo tu in Gallias cogitans Norimbergæ ad nos reuisebas, emendatiorem paulò in manus hominum emittere volebam, tuo nomini ad eos, quos dixi, vsus dedicandas existimárim. Sic enim cogitabam, Te, qui nostris quondam priuatis sermonibus in cotidiano conuictu & consuetudine non indelectatus fuisses, etiam istud meum in tè publicè compellando per literas officium non ingratum habiturum. Nam tametsi assiduè tecum in comitatu habes Clariss. virum, IC. non è vulgo, Ignatium Hannielem, amicum nostrum, qui cùm & in Iuris Ciuilis studio, & in alijs viro Nobili & Politico dignis artibus gnauiter strenuéq; te indies exerceas, vt aliundè conquisita adscitáue adiumenta non admodum desideranda tibi esse videantur: tamen & ad hæc nostra interdum respiciens, eaq; recolens, aut ego vehementer fallor, aut in rectè de rebus maximis sentiendo iudicandoq; poteris confirmari, & iucunda quadam varietate studia tua distingues. Reperies hic, si animum aduortere volueris, principia quædam Politica, eorumq; exempla, ex historica penu depromta. Reperies, quæ de Iure Feudorum te pleniùs erudiant: quod ius scire exactè, vt nunc sunt mores, nullius ordinis magis interest,

est, quàm vestri, qui huiusmodi beneficia militaria Principum concessu ac munere tenetis; interdum etiam alijs porrò per subinfeudationem (quam vocant) conceditis. Reperies etiam non paucas insignes Sententias varijs de rebus, quæ in vita mortalium accidunt: quas occasione eorum quæ à scriptore nostro tractantur, subinde aspersimus, quæq; optimum in hoc itinere vitæ viaticum meritò dicuntur. Reperies obseruatas & similium collatione illustratas aliquot elegantes loquendi formulas non è triuio, quibus te delectari plurimùm, & vti solere creberrimè, testes mihi sunt locupletes literæ tuæ, omni nectare imbutæ, quas ad amicos cordatè sciteq; scriptas non paucas vidi. Neq; verò ita seculi sui infelicitate & inficetijs inquinatus aut depressus est Guntherus noster, quin passim os cœlo attollens, suprà illud adsurgat, & plurima in eo passim appareant vestigia eruditæ antiquitatis, quæ ipse studiosè institit, & nos suis quæq; locis velut intento digito indicamus. Sed quanti hic auctor faciendus sit, quantæ ab eo manare vtilitates possint, alibi diximus. Nunc enim de Notis nostris tantùm agitur: quarum dedicationem vt tibi gratam esse patiaris, contenderem à te pluribus, si de tua erga me constante beneuolentia dubitarem, quod me facere nefas est. Ita te noui. Ita mihi vale & salue, Bredoui Nobilissime. Altorphij in Acad. Norimbergensium, a. d. 10. Iulij, Anno 1597.

Hosted by Google

I.

IN GVNTHERVM
Poëtam
FRIDERICI I. IMP.
ENCOMIASTEN, A CVNRADO
Rtitershusio IC. renouatum.

QVod fuit AVGVSTO *Maro, vel quod Homerus* ACHILLI,
GVNTHERVS *tuus est hoc* FRIDERICE *tibi.*
Rex bonus & pariter fortis bellator vterq;
Par vtriq; simul Rex FRIDERICVS *erat.*
Felix ô, vates cui magnus Homerus, Achilles!
Felix Augustus cui Maro præco fuit!
Te quoq; felicem meritò, GVNTHERE, *fatebor:*
Tanto qui dignus Cæsare præco clues.
Germanus vates Germano Cæsare dignus:
Æterno vester tempore viuet honos.
Nunc quoq; Cunrado lucem reparante serenam,
Cæsaris & vatis clarior exstat honos.
Alter & alterius sic auctor honore vigescit:
Aspirat Genio Musa perenne decus.

Nicolaus Reusnerus D. Comes
Palatinus Cæs. Consil. Saxon.

II.

IGNATII HANNIELI IC.
MARCHICI ELEGIDION.

QVis, Cunrade, animo longè gratissime nostro,
O Sophiæ & Themidis pullus amorq; tuæ,
Condignè tantos nolit mirarier ausus,
Et meritis eosdem laudibus euehere?
Vol tibi non vanum felicia sternutauit
Nascenti primis omina luciferis,

Qui

Qui Pataram Delumq; colit nataliarura,
Phœbus Latonæ filius atq; Iouis.
Haud etenim fieri ſine numine talia Diuûm
Mî credat, compos qui modò mente ſua eſt.
Hinc melicam quando placuit modulaberis Oden;
Hinc epos adducto grande ſupercilio;
Seu imparibus lubitum eſt numeris tibi ludere quicquã,
Siue Catulle tuis, ſiue Tibulle tuis;
Seu quodcunq; tibi viſum eſt, haud iam mihi ſeſe
Fecerit inuictum vt Phœbus Apollo prius.
At quòd ſe Medica inſignem nimium tamen arte
Efferat: haud tu illum nomen habere ſinas.
Vtq; ſinas, facilis: plures tamen vſq; negabunt,
Experti medicam quiq; fuêre manum.
Symmachus, Auſonius, Patauinæ & gloria gentis,
Atq; ingens diæ Paulus amor Themidis:
Vatesq;, Heroo quem verſu dicere non eſt,
Immortale tuum, clara Anazarba, decus,
Squamoſumq; pecu, & ſilueſtria ſecla ferarum, &
Pinnigeras mira voce canens pecudes.
Nec ſatis hoc, ægris medica ſubſiſtere dextra;
Quin etiam à læti limine reſtituis.
Guntherum quaſi nunc dias in luminis oras
Eruis, & clara das quoq; luce frui.
Iupiter at tibi ne turgens te (Aſclepium vt olim
Phœbigenam) ad Stygias fulmine cogat aquas,
Dempta comis Phœbi defendat fulminis ictum,
Apteturq; tuis laurea temporibus.

III.

IN GVNTHERVM CL. IC. CVNRADI RITTERSHVSII.

ERgo tam fœdis me Fors inuiſa tenebris
Æternùm, ô Titan! endopeditum habeat?

Ergo quæ prudens condit pretioſa vetuſtas,
Haut liceat cupidis prendere luminibus?
Non ita, pulcricomus ſi vnquam mihi fulſit Apollo;
Non ita, me ſi vnquam Gratia amauit hera.
Non tu hoc delicium Muſarum, atq; vnice ocelle,
RITTERSHVSI, etſi lugeat Inuidia,
Non tu hoc, non pateris, tot qui rutæ cæſa vetuſtæ
Materiæ longo iam benè ſenta ſitu,
Colligis, ac purgas, vt ſint cæmenta, decorè
Ex quibus exſtructum ſidera tangat opus.
Quod GVNTHERI *olim multis collapſa ruinis,*
Nunc verò artifici tecta repoſta manu,
Innumerabilibus ſeclis iam caſca loquentur,
Perpetua vt laudis ſint monimenta tuæ.

Ludouicus Camerarius IC.
Ioachimi F. Ioachim. N.
faciebat lubens meritò
Spiræ Nemetum.

IIII.

AD CL. ET DOCTISSIMVM VIRVM CVNRADVM RITTERSHUſium, Iuris vtriuſq; Conſultum.

NAti Aſclepiadûm, ſeu vobis Romula tellus,
Seu primos ortus terra Pelaſga dedit,
Cedite Germanam prope natis Amphitriten:
Cedere vos illis dextera fata iubent.
Corpora ſeminecum curare & gloria quondam,
Et ſpolium vobis vnáq; cura fuit.
Felices ſed noſtra magis felicior ætas
Morbi exactores artifices q; tulit:

Saucia

Saucia vulneribus non ſolùm vt corpora curent,
Verùm inopes lucis luce beare queant.
Exſeris hos inter celſum, CVNRADE, *cacumen,*
Et malè mactatos viuere vitam adigis.
Illi autem exſiliunt grata redeunte ſalute,
Perq; manus volitant, doctaq; vultа virûm.
Sic per te viuunt, ſortitus ab Auſone nomen:
Symmachus ingenio maximus; ore grauis:
Auro Corycij penſata Poëmata vatis:
Ænobarbe tuæ conditor hiſtoriæ:
Atq; alij, quos tu in vitales protrahis auras,
Legum ſpinoſis preſſe voluminibus.
Macte iſthoc animo, quondam mactandus & ipſe
Abs his, quos ſtudium tangere ſueuit idem.
Vos autem, Diuæ, quarum ardens caſtra frequentat,
Et Critice, & Nomice, pergite amare virum.

Solomo Ryſinius, cognomen Pantherus, Illuſtriſs. Principis D. Chriſtophori Radiuilij filio, à ſtudijs Vilnæ in Lituania facieb.

V.

AD GVNTHERVM REDIVIVVM.

SAlue Orcine, atro qui nunc rediuiuus Auerno
Prorepis, Gunthere ſenex, ſanctiſſime vates:
Salue, & Germanas iterum ingredere altus in oras.
Tu, caligantem quam dudum Obliuio veſtem
Scæua tibi induerat, vegeto de corpore iacta.
Cernis, quod mira tibi Rittershuſius arte
Texit opus, turba ſic adnitente Dearum,
Quæ tibi poſthabito celebrant nunc Francida Pindo?

Surge animis; tibi surgit honos. Tibi gemmea inauro
Stat toga; vt obiectos oculos radiatibus icis!
Augure me, nullus postilla diuite in Orco
Mercurius virga tenues te coget ad vmbras.
Gaudebis nostro semperq; morabere cœlo.

Christophorus Colerus,
Francus.

VI.

AD GVNTHERVM OPERA CVNRADI RITTERSHVSII illustratum & emendatum.

AFfanias inter, GVNTHERE, & secla virorum
Inculta, à carie iam perituræ putri,
Te cœno tineaq; extrema pericla minanti
Euictum, primus luminis aspicere
Auras concessit CELTES, iussitq; latentem
Tot post inuisa tempora luce frui.
Nec Peutingeri minus hoc tibi profuit ardor,
Pulpita visisti quo duce Teutonica.
Magna quidem hæc tanto tibi munere præstita; maior
Ast tibi iam surgit gloria, maior honos.
Nam Rittershusius næuos, queis casca vetustas
Obscurárat opus docte Poëta tuum,
Vnicus absterfit planè, rediuiuaq; membra
Expolijt, varijs explicuitq; modis.
Queis tenebris pulsis, redijt lux clarior, olim
Cùm sudum est, Phœbi quàm radij esse solent.
Felix vindicibus CVNRADIS! quorum ope factum
Temporibus maior quod videare tuis.
Vindicias agnosce tuas, Orcoq; relicto
Qui superas, alios iam facito vt superent.

Adolph. Boëthius, Holsatus.

ALI-

Hosted by Google

VII.

ALIVD AD C. R. IC.

E Ruis è tenebris veteres, CVNRADE, Poëtas,
Lumineq; his donas liberiore frui:
Implexisq; Notas, vitamq; latentibus addis,
Per te omne vt facili voce legatur opus.
Nónne ita perpetuum nomenq; decusq; mereris?
Per te alij viuunt, tu quoq; viue super. (*be legetur,*
Dum GVNTHERVS *erit,* FRIDERICVS *in or-*
Et fama ex aliquo nomine CELTIS *erit:*
Æmule CVNRADI *viues* CVNRADE *prioris;*
Fama tibi vitam; sed Deus astra dabit.

M. Georgius Carolides à Carlsperga, Poëta Cæsareus, scrib. Pragæ, 23. April. An. 1596.

NOTAE AD SVMMAS

SEV ARGVMENTA DECEM librorum Guntheri.

ARGVMENTA *hæc, quæ in alijs editionibus singulis libris præfixa sunt, curauimus vno in loco imprimi initiò ante ipsum Guntheri opus, secuti autoritatem editionis primæ & antiquissimæ Augustanæ. P. Pithœus argumento vltimi versus in Periocha libri X. inductus putabat, ab alio potiùs, quàm ab ipso Gunthero hos versus esse scriptos, ac fortasse à Cunrado Celte primo editore. Sed quid vetet, quin ipsum Guntherum pro auctore habeamus, equidem non video. Quisquis autem auctor sit, verisimile est, eum hac in re Herennium*

nium Modeſtinum IC. æmulari voluiſſe, qui ſingulis Aeneidos Virgilianæ libris totidem, quot hîc verſibus conſtantia argumenta præpoſuit, nempe διηγήματα.

ARG. LIB. I.

v. 4. *Rex puer*) Sæpè Gunth. pueri appellatione denotat iuuenem: vt infrà docebo Notarum lib. 1. cap. 4.

v.9. Fomentaq; belli) Sic infr. litis fomenta querelæ.

v.10. Exceptum) f. ereptum, aut certè ita illud exponendum. Euictum dicit infr. verſ. vlt. h. lib.

ARG. LIB. II.

v. 2. *Runcalijs*) Vſitatiùs hic campus vocatur Roncalia vel Roncaliæ. Eius deſcriptionem vid. infrà h. lib. v. 35. & ſeqq.

v.9. Caſtra rapit) id eſt, diripit, ſimplex pro compoſito. An, capit, legend. Vid. infr. lib. 3. v. 636.

ARG. LIB. III.

v.1. Obſeſſam vrbem) Terdonam ſcilicet. At mox v. 9. vrbis appellatione intelligenda eſt Roma, quæ per eminentiam ſic dici ſolet.

ARG. LIB. IIII.

v.7. Parat) f. *parans.*

ARG. LIB. V.

v.9. Vir mitis) Alluſio eſſe videtur ad nomen Friderici: vt & mitiſſimum vocat infr. h. l. v. 13. & pacificum v. 576. h. lib. & lib. 8. v. 511.

ARG. LIB. VI.

v.3. Sprevit) malim ſpernit: vt cum reliquis verbis in tempore conueniat. Omnia enim ſunt præſentia.

v.5. Chryſopoli poſitum) ſcilicet Fridericum. Nam quòd vulgò hîc legitur, poſitis, id verò tolerari non poteſt. Quò enim referetur verbum, mouet? Sic ſup. loquitur arg. lib. 2. Cæſare Runcalijs poſito. Vult dicere, cùm Imp. ibi loci ageret, vel degeret. Latini vix ita loquuntur, ac potiùs res inanimes poni dicunt, quàm homines, aut animalia cetera, quæ ſeſe mouent.

ARG.

Hosted by Google

ARG. LIB. VII.

v.2. Intrat ad Italiam) mallem (inquit Nob. Pflug.) *Italiam ſummos intrat ſumturus honores.*

v.3. Legataq; Papæ) Iunge, *memorat* vel *narrat* Papæ fraudes & legata Graiorum, id eſt, fraudulentas legationes. Ita enim hîc nouè vſurpat legata, pro legatione vel mandatis.

v.4. Reſcriptaq; narrat) Auguſt. edit. & aliæ omnes præter Pithœanam habent, *narrataq; reſcripta.*

v.9. Ad Trecium) Auguſt. edit. *Ticium* habet. malè.

v.10. Mœnia cuncta) f. *cincta.* Vt iungantur, *obſidione cincta*: non, *obſidione quatit*: quod vulgaris lectio poſtulat, ſenſus autem reſpuit.

ARG. LIB. VIII.

v.2. theatri) corripit mediam in *theatri*, haud ſcio an ſine exemplo. Pro *arcem*, cum Pflugio lego libenter *arcum.*

5. Guido Bladerenſis) Hic aliâs *Blandratenſis* vocatur, vt infr. v.90.

6. Vt Cæſar pacis dederit) Aug. & Argent. edit. *Et Cæſar pacis dederat.*

9. Caſtra metatur) Hoc quoq; ſine exemplo, quod tertiam ſyllabam verbi huius corripit.

10. Conſilium) malim, *concilium.*

Ibid. *Celebrat*) Aug. edit. *celebrant.*

ARG. LIB. IX.

v.1. Aere Placentinos Cremonenſis damnat) Ita reſtituendum puto, cùm vulgò perperam legatur, *Placentinus Cremonenſes.* Hiſtoriam ipſam vide, & facilè mihi aſſentieris. Notand. hîc, quòd ſecundam ſyllabam in *Cremonenſis* corripit, quæ aliâs longa eſt apud ipſum quoque Guntherum.

8. Ligur) Verſus acephalos. Nam *Ligur* & *Liguriuus* primam breuem habet. In, *ſua mœnia* animaduertendus eſt vſus reciproci, qualis etiam alibi à me in Gunthero notabitur.

10. Ligurum de more) Sæpiùs ſcilicet periurorum. Vt ait infr. v.210.

ARG. LIB. X.

v.6. Crema petit pacem) Aug. edit. *Cremaq; victa iacet.*

Hosted by Google

8. *Cremaq; victa iacet*) Auguſt. edit. *Vrbs Liguriæ cadit.*

9. *Vrbs fluit in cinerem*) Auguſtan. edit.
—— *in cinerem ipſa fluit.*

10. *Ligurinus obambulat aulam*) Aug. edit. *Liguriuus carmina ſcribit.* Sed altera lectio, quæ eſt Spiegelij & P. Pithœi, magis placet. Rationem quiuis ſatis intelligit. Errant enim, qui auctorem ipſum Ligurinum vocari putant. Imò ipſius operis hoc nomen eſt: quod & P. Pithœus ante nos monuit. Sed cur operi ſuo hunc titulum fecit Guntherus? Traditum eſt, titulos librorum ſæpè ab eo ſumi & imponi, quod præcipuas partes obtinet, latiſſimeq; patet, & maximè eſt inſigne. Vnde & ICti denominationem rerum fieri volunt. Sic Plautus, ſic Terentius à perſona principe alicuius fabulæ ipſi nomen impoſuerunt. Cùm igitur Ligures (ita conſtanter vocat Mediolanenſes) plurimùm Friderico Ænobarbo negotij exhibuerint, multaq; & magna aduerſus eos rebelles bella geſſerit Imp. rectè atque ordinè facit, dum ab ipſis nomen operi indit LIGVRINVM. De tota ratione libros inſcribendi vide Iul. Cæſ. Scaligerum in Poëticis. Fuit autem (vt & hoc obiter admoneam) Ciceronis quoq; tempore Liguriuus quidam, momus: vt de Ciceronis ipſius mentione didicimus, quæ eſt lib. 5. ad Attic. ep. 20. vt etiam Liguriuo μώμῳ ſatisfaciam: quod quaſi prouerbiale eſſe videtur. Martialis etiam quendam exagitat ſui ævi Poëtam & recitatorem ineptum, cui nomen Liguriuo fuit. Vide lib. 3. Epigram. 44. 45. & 49.

CVN-

Hosted by Google

CVNRADI RITTERSHVSII BRVNSVIC. NOTARVM ad Guntherum Liber primus.

CAPVT I.

1. *Commendatio huius Poëmatii.* 2. *Imitatio Ausonij.* 3. *Adfectus pro conatu. Adfectare.* 4. *Si, pro An.* 5. *Præludia, Præluſiones, verba gladiatoria.* 6. *Caput, pro homine.* 7. *Suſcipere regem vel dominum, pro venerari.* 8 *Nomina regum, id eſt, reges.* 9. *Pius, pro iuſto ac licito.* 10. *Poëtarum furor.* 11. *Regificus, Iuſtificus, Magnificus, pro regius, iuſtus, magnus.* 12. *Parentum de liberis præſagia non inania neq; contemnenda. Guntherus ſapiùs correctus. Symmachus itidem emaculatus.*

v.1. Rdua ſollicito) Duobus primis epithetis commendatio operis continetur: tum à materiæ ſublimitate, tum à ſcriptoris diligentia, quaſi omnia ſolicitè collegerit, & in hoc Poëma comportârit. Quo eodem ſenſu ſollicitum vatem ſe vocat Gunth. infr. v. 46. An potiùs Sollicito verbum eſſe dicemus? vt ſollicitare verſu idem ſit quod tentare, vel tractare. 1.

2. *Geſta cano*) videtur ante oculos habuiſſe verſum Auſonij Eidyll. vlt. 2.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.

Inter geſta verò, ſeu res geſtas & acta quid diſtet, vid. infr. lib. 5. v. 189.

6. *Caſusq; ſiniſtros exceptos habitu, quo proſpera, mentis eodem*) Sic in Socrate accepimus tantam fuiſſe animi conſtantiam, vt vultum nunquam mutaſſe deprehenſus ſit: quod Seneca quoq; prædicat. Confer cum præſente loco v. 288. & ſeq. infr. h. lib. & lib. 2. v. 642.

9. *Magnisq; etiam*) Aſſentior Chriſtophoro Colero Franco, legenti, magnis etiam. nihil enim quid ſibi iſta copula hîc velit, video.

12. *Adfectusq; pios*) Interpretor cum cod. Colero conatus pios. Feſtus adfectare, conari aut pronum animum ad faciendum habere. 3.

13. *Si*) Pro an: vt Græci dicunt, εἰ. Quem Græciſmum 4.

non

non modò Instinianus aliquoties vsurpauit, sed etiam optimi quiq; Latini auctores. Terent.

Idq; ad eum visam, si domi est.

Tibull. *Illa mihi referat, si nostri mutua cura est.*

Horat. *Inspice, si possum donata reponere lætus.*

Liuius: *Percunctatus, si consilium non vtile solùm, sed etiam salutare admittere auribus posset.*

Propert. *Quærebam sicca, si posset piscis arena*
Viuere.

Id.lib.2.eleg.20. —— *Volui, si sola quiesceret illa,*
Visere,

Et cod.lib.2.eleg.vlt.

Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis luna laboret equis:
Nec si post stygias aliquid restauerit vndas,
Nec si consultò fulmina missa tenent.

14. *Nosterq; legi Solymarius audet*) γλυκὺ σχῆμα, quo rei inanimatæ, libro scilicet, sensum tribuit: quod frequens est Poëtis.

17. *Ingenuas tetigisse manus*) Hypallage. Intelligit autem Conradum Friderici Imper. filium, cui illud opus se obtulisse innuit infr.v.86.& extremo lib.10.

5. *Quem priùs ingenuo dedimus leue munus alumno.*

Ibid. *Præludia quondam*) Metaphora à gladiatoribus, qui ante pugnam hastas vibrando, rudib. dimicando, parmas aut clipeos hastasq; in altum iacendo, & cum venustate recipiendo præludere dicebantur. Tales ludicras pugnas Symmachus præter alios Prælusiones vocat lib. 4. Epist. 8. Etiam ludicris quæstorum prælusionibus negatum. Ita ibi legend. docuit Schoppius meus in verisimilibus, cùm vulgò mendosè editum sit Prælationibus.

6. 25. *Caput*) id est, homo. Propert.

Et sumpta & posita pace fidele caput.

Sic capita pro personis vsurpant ICti: vt cùm dicunt tributum in capita imperare: Succedere vel diuidere in capita, id est, pro numero personarum. Sic Græcis φίλη κεφαλὴ dicitur. Ratio huius συνεκδοχῆς est, quia caput est pars principalis & velut arx corporis, vt ait Ser. Sammonicus:

Principio celsa de corporis arce loquamur.

Et Manlius lib. 4. Astronomic. de hominis præstantia loquens:

Stetit

Hosted by Google

Stetit vnus in arcem erectus capitis.

Facit eodem l. 44. cùm in diuersis. ff de religios. & sump. fun.

28. *Suspiciunt*) At quomodo possunt submisso ver- 7.
tice suspicere? cùm hæc sint contraria. Nam qui verticem submittit, pronus humum spectat: Qui suspicit, id est, in altum spectat, cum erecto vertice esse oportet. Diuinabam igitur, suscipiunt. Nam & infr. sic loquitur v. 254.

——— *Hunc diues submisso vertice Roma*
Suscipit.

Sic infr. lib. 2. v. 160. *regem suscipit*. Notum est, quot locis hæc verba se inuicem extruserint, quo restituenda sunt interdicto Vnde vi. Christoph. Pflugius tamen retinere me iussit, suspiciunt: propter sequentia loca, Luc. lib. 6. v. 476.

——— *Summisso vertice montes*
Explicuere iugum, nubes sustpexit Olympus.

Ibid. 644. v. ——— *quam pallida pronis*
Vrget sylua comis, & nullo vertice cælum
Suspiciens.

31. *Nomina regum*) id est, reges. Sic infr. nomina re- 8.
gni. Periphrasis hebraissans, de qua eruditè Matthias Bergius, auunculus meus in Notis ad Apocalypsin Ioannis, & in lib. de Arte Interpretandi. Imò & Latini auctores sic vsi sunt. Vt Virgil. Diris, nomen agelli, pro agello dixit.

Dulcia rura valete, & felix nomen agelli:

Sic Albinouanus ad Liuiam:

Fluminaq; & montes & nomina magna locorum.

pro, Loca magna. De quo loquendi genere videndus flos eruditorum, Scaliger in Catalect.

36. *Pio furori*) Pium pro iusto & legitimo posuit. 9.
Quod enim nobis licet (velut Poëtis furere) id iure quodam nostro exsequimur. Sic Cicero pro Sextio dolorem pium & iustam iracundiam coniungit: & pro Cluentio: Iustè pieque accusare. Liuius lib. 1. Puro pioque duello quærendas censeo. Sueton. Galb. cap. 10. Vt nemini dubium esset, iustum piumq; & fauentibus Dijs bellum suscipi. Lucretius:

Deniq; tantopere inter se cum maxima mundi
Pugnent membra pio nequaquam concita bello.

Sic Priap. *Graui piaq; lege noxiam luet.*

Hæc

Hæc obſeruatio debetur ingenioſiſſimo, mihiq; coniunctiſſimo iuueni, Caſpari Schoppio Franco : cui ego aliud Guntheri exemplum addo ex lib. 6. v. 498.

——— *Iuſtumq; piumq; fatentes.*

Nomine quod regni geritur ſub Principe bellum.

10. 37. *Solis licet inſanire Poëtis*) Sic Plinius lib. 7. ep. 4. Sed quid ego tam gloriosè ? (*al. furiosè*) quanquam Poëtis furere concessum est. Notæ sunt Democriti & Platonis de furore seu enthusiasmo Poëtico sententiæ. Ad eas hîc Poëta alludit elegante quadam detorsione.

38. *Ceruus*) Restituendum omninò, cernis. nihil enim ad hanc siluam facit ceruus. Augustana editio, (quæ fuit omnium prima An. 1507.) habet, certus. Cui in marg. adscript. Ceruus aliâs.

44. *Loquuntur*) malim, loquantur. Præcessit enim, laborent. Videtur autem Gunth. exprimere illud vetus, λαλεῖν δυναλὸς, ἀδυναλώτερ@ λέγειν: quod ex Eupolide Comico Gellius refert lib. 1. c. 15. Sic Salluſt. in fragm. Histor: *Loquax magis, quàm facundus.* Alluſit etiam ad Symmachi locum, qui est lib. 1. ep. 70. *Natura rerum est, vt qui plus balbutiunt, plus loquantur. Affectant enim copiam pudore defectus.*

52, *Nunc*) Apage τὸ Nunc, & repone Hinc. Quam emendationem mihi facilè probauit ingenioſs. & opt. iuuenis Melchior Kochius, amicus meus cumprimis carus. Cuius & alias præclaras διορθώσεις infr. ſuis lócis non diſsimulabo, nec ipſi interuertam. Hinc, inde: vel, inde, hinc, particulæ ſunt ἀποδοτικαὶ. Vid. ſimilem locum infr. h. lib. v. 280. & ſeq. Iam hęc ſcripſeram, cùm mihi Pithœi editionem huius Poëmatis videre çontigit, in cuius emendationibus hanc quoq; reperi.

54. *Noſtras*) leg. *veſtras.* Non enim ſuas laudes cecinit Gunth. ſed Imp. Friderici & Imperatoriæ ſobolis. Sed & hanc emendationem inter Pithœanas poſtea vidi.

56. *Qui iure paterno*) Legerim lubens: paterna: idq; iunxerim cum, ſceptra. Vt verſus ſequens:

Virtutum regniq;, &c.

tanquam in parentheſi poſitus, expoſitionem contineat rationis, cur iure paterna ſceptra gerat filius Henricus: quia ſcilicet & virrutes paternas imitetur. Abutitur autem

rem verbo hæredis, cùm propriè loquendo nulla sit viuentis hæreditas: aut relatione in futurum facta sic dicit.

59. *Et iam nunc*) Christoph. Colerus malebat legere, en iam nunc.

62. *modò viuere detur*) scil. mihi. ne quis intelligit filium Imperatoris.

66. *ab insipido*) Posset etiam legi, insubido, Gelliano verbo. Plura vulgi epitheta vid. infr. v. 689. Abutitur autem his v. versibus vir opt. Phil. Mel. dum 2. Tomo Declamationum eos ita adducit, quasi de Friderico ipso facti essent, cùm perspicuum sit, eos de Henrico eius filio agere.

75. *At tibi*) Schoppius malebat, Ac tibi.

82. *regifico*) id est, regio nomine. Sic iustificus pro iusto. Catullus: 11.

Iustificam nobis mentem auertêre Deorum.

Ita *magnificus* pro magno passim vsurpatur. Quomodo Gunth cùm aliâs sæpissimè, tum infr. v. 89. magnificum Principem vocat Fridericum.

83. *nepos*) id est, fratris Friderici nepos. Nam Cunradus Rex, qui nostri Ænobarbi patruus fuit, & in imperio antecessor, Cunrado isti patruus magnus fuit.

86. *scriptos sacra de sede libellos*) Solymarium: cuius Poëmatis & sup. meminit v. 14. & inf. 727. & lib. 10. v. 653. Eo opere, quod (*heu*) perijt, describserat auctor expeditionem, quam Christiani Reges ac Principes in Terram Sanctam susceperunt auspicijs Cunradi Imp. patrui & antecessoris Friderici Ænobarbi. Dedicauit autem id Cunrado Friderici filio.

91. *Philippe*) De hoc Sueuiæ Duce, quem maior electorum pars Imperatorem elegerat inuito Papa, multa mala scribit scribit Innocentius III. in c. venerabilem. 34. ex. De electione & electi potestate.

95. *Patrem, cuius præsagia*) Parentum præsagia de liberorum indole & fortuna non esse ἀσήμαντα neq; inania, testis est experientia. Nec eorum vel benedictiones & læta omnia, vel diræ atq; execrationes liberis parui faciendæ sunt: quod & Plato monuit XI. lib. De legibus. Locus est prolixior, quem his verbis concludit: πᾶς δὴ νῦν ἔχων φοβεῖται καὶ περὶ γονέων ἰσχὰς, εἰδὼς πολλοῖς καὶ πολλάκις ἐπιτελεῖς ἥμενας. In eam sententiam & Symmachus ista scri- 12.

psit lib. 5. ep. 31. Diuina miseratio pias aures applicat votis parentum.

CAPVT II.

1. Famosus in bonam partem, pro celebri. 2. Inauditus, ut. 3. Detergere pro depellere. 4. Monere, tertij & secundi oronis verbum. Nonius & Gellius correcti 5. Historicorum, qui de rebus Germanicis scripsere infantia & παιδιὰν loquia. 6. Brevis pro exiguo, parvo, modico. 7. Fontes ex quibus sua hausit Guntherus, Martialis leuiter correctus. 8. Princeps, id est, Imperator. 9. Momenta iuuentutæ, ruinæ. 10. Fluere. Vnda, pro multitudine. 11. Suasibilis vox. Guntherus non semel correctus & illustratus.

1. *102. famosa domus*) id est, clara & celebris. Sic sæpiss. Guntherus famosum ἐπὶ τὸ βέλτιον ponit, exemplo Taciti, qui Hierosolymam famosam vrbem vocat: & Apuleij, qui vix aliter vsurpat. Vt: Hac ipsa potissimum famosa castitate, & insignis tutelæ nimietate instructus, &c. Apud alios ferè ἐπὶ τὸ χεῖρον vsurpatur. Vide Tractat. de fama publica Cl. V. Marquardi Freheri, amici mei.

2. *105. inauditu*) fort. legend. ὑφ' ἓν, inauditu. Et certè Augustæ ita impressum est.

107. invalido) Aug. edit. inualido.

110. tardumq; putat) August. edit. tardamq;. Quam lectionem non improbo. Tardamque putat, scil. se. Obseruetur elegantiss. anthithesis, in verbis: Accelerat, & tardam se tamen putat. Quasi dicat: Etiam in maxima acceleratione, tamen non potest sibi satisfacere, quin seipsam tarditatis damnet.

111. meritisq; superuenit annos) Æmulatus hunc locum videtur Georg. Buchananus, cùm ad Mariam Scotiæ Reginam hæc scripsit:

Quæ sortem anteuenis meritis, virtutibus annos.

Sic Gunth. infr. 286. mente senex, ætate puer. Vbi vid. quæ annotabo.

120. rebusq; serenis Tenebras obducere) sic inf. lib. 4. v. 39.

Arguar eximijs inducens nubila rebus.

5. *123. Detergere culpam*) sic inf. lib. 7. v. 380.

Atq; illud nostro detergite dedecus æuo.

Detergere pro depellere dixit. Porrò detergere, feruere, fulgere, & multa talia veteres vtraq; cõiugatione, tam tertia, quàm secunda, vtebantur. Sic Dicére, fidére in secunda.

Vide

Vide Nonium. Sic Mónere in tertia coniugatione ijdem vſurpaſſe videntur, pro Monére, cùm ſit apud Nonium, Móneris, pro Monueris. Vulgò ibi legitur, Moueris. Sed Schoppius reſcribendum docuit, Moneris. Lucret. in 4. ſic vtitur abſtergendi verbo, pro Abigere, depellere, abijcere. 4.

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſtergere ſibi, atq; alio conuertere mentem.

Fugitare eſt hic omni diligentia ac ſtudio fugare, non fugere. Idem cod. lib.

Nec diuina ſatum genitalem numina cuiquam
Abſtergent.

Vult dicere, Dij non faciunt, quo minus quis gignat liberos, non depellunt à quoquam ſemen. Sic apud Gel. lib. 17. c. 16. legend. putat idem Schoppius: Anates Ponticas vim habere venenis detergendis potentem. Vbi vulgò, detegendis: niſi quis malit, digerendis: cùm ſequatur: Solitumq; earum ſanguinem miſceri medicamentis, quæ digerendis venenis valent.

124. *Qui ſcripsêre priùs*) Conſer proœmium hiſtorię Thucydideę. Perſtringit autem Gunth. ineptos ſui æui hiſtoricos, rerum Germanicarum ſcriptores. Deploranda eſt profectò hæc infelicitas noſtræ nationis, quod cũ optimos Principes genuerit, Othones, Cunrados, Fridericos, Lotharios, Henricos, cumq; res pulcerrimas & vniuerſo nomini Chriſtiano vtiliſſimas fortiter & pręclarè geſſerit, litterarum lumine res noſtrorum hominum careant. Quanquam enim ingenia noſtris ſcriptoribus non planè defuerunt, tamen ſcientia Reipub. defuit, & dicendi ratio. Scribebant enim hiſtorias Monachi, plerumque imperiti rerum ciuilium, qui veteres hiſtoricos ne per ſomnum quidem viderant, ſine exemplo, ſine arte infantes. Quam in ſententiam & Phil. Melanch. ſcribit in Præfat. ad Abbatem Vrſpergenſem. Ex hoc genere hiſtoricus ille fuit, qui de Henrico Imper. neſcio quoto, ſcripſit: Tantæ fuiſſe humilitatis & modeſtiæ Principem, ipſe vt caligas ſuas reficere ſolitus ſit. De qua *ἀπαιδευσία* hiſtorica inſignem Ammiani Marcellini locum adſcribam inf. lib. 8. v. 439. 5.

134. *Claudendumq; manu formæ breuiore libellum*) Enchiridion ſe ſcribere velle ſignificat. Hoc igitur conſilium auctoris, non animaduerſum ab ijs, qui eum antea maio-

re semper forma edendum curârunt, sequi optimum fa-
6. ctu ratus, minore tandem forma edere volui. Breuiorem formam eleganter dixit pro minore: vt infrà v. 555. breuius diadema, id est, minus. Et infr. lib. 9. v. 399. sumptu breuiore. Quomdo breuis sumptus apud Symmachum, breuis census apud Horatium est exiguus, paruus, modicus. Sic Attici dicunt βραχεῖαν οὐσίαν, βραχὺ τίμημα: cui contraria est μακρὰ οὐσία, μακρὸν τίμημα: Quib. crebrò vtitur Aristot. In Politic. Sic breuitatem commeantium dixit Apuleius Metamorph. pro paucitate viatorum.

7. 139. *doctorum scripta virorum Consulat*) Non obscurè Gunth. remittit nos ad Othonem Pontificem Frisingensem, qui Friderici Imp. Patruus fuit, & ad continuatorem eius Radeuicum, Canonicum Frising. Quorum vterque de Ænobarbicis rebus gestis fideliter copioseque scripsit. Horum filum secutus Guntherus voluit

Materiæ insigni metricas adsciscere leges,

vt ipse ait v. 144. Quod & Iacob. Spiegellius extremo lib. 4. obseruauit: & monuit Nicol. Cisnerus in Orat. De Othone III.

140. *Ipso latices de fonte petitos Hauriat*) Alludit ad Ouidianum illud:

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Et similiter Martialis, lib. 9.

Multum, crede mihi, refert, à fonte bibatur
Qui fluit, an pigro quæ stupet vnda lacu.

Vbi malim: Quæ fluit. Hinc B. Hieronymus, Comment. in 8. cap. Malachiæ: *Multò purior manat fontis vnda, quàm fluit riuuli aqua.*

141. *tantùm*) malim, tantam.

154. *Detineant*) Vt Ouid.

Detinuit nostras numerosus Horatius aures.

Alludit ad locum de vi Musices & Carminum: de qua nota sunt, quæ scribit idem Ouidius. Nec dubitat Alexander lib 2. Problem. 121. pronuntiare, Musicam naturæ & animæ hominis ita agnatam esse, vt calor igni per naturam inest. Cùm igitur historia, teste Plinio iuniore, etiam ineptè scripta tamen nos delectet: quantam inesse dulcedinem putabimus in hoc opere, quod & versibus (vt ipse Gunth. rectè vocat) canoris scriptum est, & omnibus ornamentis

namentis floridæ orationis illuſtratum. Abeſſent tantùm paucæ quædam ſordes & fæces verborum, quæ ei ſeculi potiùs illius, quàm Auctoris vitio adhæſerunt.

155. Nunc age) Hactenus Proœmium fuit. Sequitur propoſitio operis, qua remouet à ſua tractatione illa, quæ imperium Friderici anteceſſerunt.

157. Principis) Princeps (quod ſemel moneo) ſummus Imperator à Guntheroappellatur, exemplo veterum IC. Eundem & Rectorem, & Regnatorem, & Ducem ſæpiſs. vocat. 8.

162. monimenta iuuentæ) Libens emendarim cum Chriſt. Colero, *momenta iuuentæ*: id eſt, varietates, primæ iam ætatis varios caſus: quæ coniectura ſtabiliri poteſt ex v. 186. lib. 2. multoq; magis ex lib. 9. v. 415. vbi etiam Aug. editio mutarat momenta in monimenta. Momenta iuuentæ etiam interpretari poſſumus inclinationem & flexum adoleſcentiæ. 9.

175. Conueniunt Proceres) An penes VII. Electores tantùm ius tunc erat Imp. eligendi, vt hodie? Quod vulgò putatur inſtitutum eſſe Othonis III. Id negat Nic. Ciſnerus in Orat. quam de illo Imper. habuit, docetque, vniuerſum robur Principum Germanicorum huic electioni interfuiſſe. Quamuis autem Itali quoq; adfuerint: tamen eos ſpectandi tantùm causâ veniſſe, non autem quòd ius ſuffragij in Comitijs creando Imperatori haberent, euincit ex ſeqq. v. 211. Idemq; exiſtimat, poſterius demum propter omnium rerum in Germania perturbationem & Ordinum confuſionem atque diſſenſionem ius illud ad pauciores fuiſſe reſtrictum, qui ſcil. vel dignitate, vel autoritate, vel potentia, vel ingenij dotibus animique virtute excellebant.

188. Ex omni regione fluunt) pro, confluunt. Simplex vice compoſiti. Verbum non inelegans ad ſignificandam multitudinem: quo & infrà vtitur lib. 8. v. 405. 10.

Tantaq; Roncalias magnorum turba virorum
Fluxerat.

Sic & Virgil. ead. metaphorâ dixit vndam, pro multitudine hominum.

Manè ſalutantum totis vomit ædibus vndam.

Vid.Giphan.Indic.Lucret.in vndæ aëriæ.Sic Claudian. in Probum,Probinum & Olibrium.

Cernere ſemper erat populis vndare penates.

Facit huc,quod ſcribit Symmachus 4.ep. 28. *In communis imperij caput vndiq; gentium conuenitur.*

190. *æquè*) Leg.*éque*. Quod tam eſt manifeſtum, vt mirer,priùs illud tam diu in omnibus, quas vidi, editionibus inhærere potuiſſe.

192. *ſi fortè nocentibus illam,Quà regitur curſus*) Nobiliſſimus & eruditiſſimus Chriſtophorus Pflugius, qui ſuas in Gunth.coniecturas liberaliter mecum communicauit,hîc ita legend.& diſtinguend.cenſet: *ſi fortè nocentibus,illà Quà regitur curſus*,cui lib.mer.aſſentior.

201. *Ripuaria nomine tellus*) Spieg. ita dici putat eam regionem, quæ trium ripis fluminum clauditur, Rheni, Moſellę & Moſę. At Ciſnerus in orat.de Othon.III.Ripuarios nominari vult eos, qui ripas Rheni & Mœni accolũt, quas olim Franci tenuerũt. Ab his lex Ripuaria ſcripta eſt: vt Lex Salica à Francis Salijs.Sic *Ripuaria arua* infr.6. 461.

203. *Allobrogum duces*) Intelligit non eos modò,qui Sabaudiam tenebãt,ſed & quib. ſubiecta erat Burgundia. Sic Renaldum Burgundum, cuius filiam Beatricem Fridericus noſter duxit, Comitem Allobrogum vocat infrà lib.5.v.256.& 288.Sic Bertholdum Zeringenſem ex familia Ducum Burgundiæ oriundum, vocat Ducem Allobrogum lib.2.v.414.

209. *Quiq;*) malim, *Quæq;*.

Ibid. *ſuos*) Francof.ed.Vvechelianorũ habet, *ſuas*: quomodo & N. Ciſnerus legit. Cuius ſenſus lectionis perabſurdus eſt. Quî enim potuêre potentes ſuas vrbes ad comitia mittere? (hoc enim eſt *dirigere*, more Symmachi, Auſonij,&c.) Quin potiùs contrà factum, vt vnaquæque vrbs ſuos potentes ſeu optimates mitteret, vt aſſolet. Sic infr.lib.8.v.577.miſſisq; potentibus vrbes.

216. *audire*) poteſt hoc verbum referri vel ad dignum locum, vel ad inſedêre. Sic, inſedêre audire, eſſet helleniſmus, ἐκάθησαν ἀκοῦσαι, id eſt, ad audiendum. Prior tamen ſenſus magis arridet. Notentur hîc capita deliberationis in eligendo nouo Imperatore ponderanda.

228. *Dux,Comes,an Præſul, dubium*) Miror dubitari hac

hac de re posse, cùm inf. lib. 6. v. 6. fateatur, Moguntinum Præsulem in electione Imperatoris more antiquo præcipuum habere suffragium. Tribuemus ergo hanc egregiam orationem illi, qui tum fuit Archiepiscopo Moguntino. Conferantur similes Orationes suasoriæ descriptæ ab Herodoto & Io. Sleidano, lib. 1.

230. *Surgit*) Oratoris enim est stare; Iudicis & auditorum sedere. Vnde Demosthenes auditores alloquens dicere solet: ὑμεῖς οἱ καθήμενοι.

231. *Composuit*) aptauit.

232. *suasibili voce*) Suasibilis vox hîc est, non quæ suaderi potest, sed ἰσχυρικῶς, persuadere efficax. Delenifica & suada facundia vocatur à Symmacho lib. 3. epist. 6. Et ad huncipsum scribens Ausonep. 17. Modò (inquit) intelligo, quàm mellea res sit oratio, quàm delenifica & quàm suada facundia. Sic apud Plaut. Orator impetrabilis est, qui facilè quod vult, impetrat & obtinet. 11.

CAPVT III.

1. Columna regni, domus, Ecclesiæ, veritatis. 2. Vita humana instar aleæ. 3. Imperium Rom. vacans ad quem redeat. 4. Regnorum successio duplex. 5. Plebs potentum, pro corona procerum. 6. Schoppij in Guntherum correctio explosa. 7. alia eiusdem recepta. 8 Ciere, pro vocare, Citari regem. 9. Senilis prudentia in animo iuuenili. 10. Animi æquabilitas in vtraq; fortuna. 11. Imitatio Virgilij. Aliquam multorum Guntheri locorum correctio & explanatio.

233. & seq. *Proceres regni columnas*) Sic Papa Episcopis ἐπιστέλλων eos vocat Ecclesiæ columnas. lib. 6. v. 551. & Paulo Ecclesia est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. 1. Timoth. 3. v. 15. Euripidi autem Domus columnæ liberi sunt masculi. στύλοι γὰρ οἴκων παῖδες εἰσὶν ἄρρενες. Alia metaphora Gunth. sup. principes dixit totius viscera regni. 1.

235. *acerbo Funere*) Virgilianum hoc est. Quamuis paulò aliter apud Principem illum Poëtam positum sit.

237. *Veluti cùm luditur alea*) Ex Terentio sumpta comparatio, cuius ista sententia Adelphis, Sc. 1bo:

Ita vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris.
Si illud quod est maximè opus iactu, non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Sed reperiamus eam altiùs quoque à capite, è chartis inquam Socraticis. Sic enim Plato πολιτειῶν i. καὶ ἄσπερ ἐν

Hosted by Google

πόσῃ κύβων πρὸς τὰ πεπλωκότα τίθεσθαι τὰ αὐτῷ πρόγματα. Quem locum Plutarchus innuit, cùm περὶ ἐυθυμίας ita scribit: κυβείᾳ δ' ὁ πλάτων τὸ βίον ἀπεικασεν, ἐν ᾧ καὶ βαλεῖν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. Vbi tentarim, pro ἐν ᾧ, reponere ἐν ᾗ, scilicet κυβείᾳ. Vid. eund. Plutarch. Consolatione ad Apollonium. Idem Plutarchus hac de re etiam peculiarem scripserat Commentarium, quod ostendit πίναξ Lampriæ, Plutarchi filij, quem D. Hœschelius noster Augustæ nuper edidit. Ex eo Indice librorum grauissimi scriptoris cognoui subducto librorum editorum & nec editorum numero, plures interijsse, vel alicubi latere, quàm sint hactenus editi.

3. 242. & seq. *ea potestas Ad vos more suo semper viduata recurrit*) Nondum enim tunc nata erat noua illa sapientia eorum, qui dicere ausi sunt, cum Imp. Rom. in reb. humanis esse desijt, Imperium Rom. vacans ad Pontif. R. deuolui, eiq; tanquam feudum domino aperiri. Sed hæc sententia iam pridem explosa est apud eos, quibus sanum est sinciput. Locus hic certè ostendit, tempore Friderici vacans imperium tempore interregni fuisse penes Electores, & Principes Germanicos.

4. 244. *Regibus est alijs*) Regni successio apud alios ab hæreditate, apud alios à libera electione pendet ac defertur. Vtra autem successio pensior, magisque ex vsu Reip. sit, Politici disputant. Vise Iohan. Bodinum lib. 6. De Repub. c. 5. Iust. Lipsium lib. 2. Politic. c. 4. Ioannem Casum in Sphæra ciuitatis. Guntherus quidem hîc electionem liberam præferre videtur. Potest tamen & mixta quædam ratio dari.

245. *nouus accipit heres*) Nob. D. Pflugius diuinabat: heros.

254. *Suscipit*) Christophorus Colerus malebat: Suspicit.

5. 255. *è plebe potentum*) Deerat hîc τὸ è, quod restitui. Cæterùm καλλάχρηστος quædam sordidiuscula hæc esse videtur, qua tamen & infr. vtitur lib. 4. v. 373. & lib. 6. v. 236. & 323. Alibi turbam potentum dixit ad eandem faciem.

6. Vt infr. h. lib. 442. & 745. Horum collatio locorum ostendit, nihil hîc in lectione vsitata mutandum, nec audiendum coniecturam Schoppij mei, qui sic volebat: tantaque plebe

plebe potentem vnum. Id est (inquit) eligite vnum, qui tanto populo potens sit.

258. sententia mentis) scil. meæ.

259. quo nostri pondera vergant Consilij) Migratio venusta à momento libræ, quæ est Græcis ῥοπὴ.

260. propiùs perpendite) Schoppius noster diuinabat, probius. Ita si non scripsit, scribere tamen debuisse Guntherum. 7.

262. Nomine maiorum clarus; sed clarior actis Ipse suis) Alludit ad sententiam Ouidianorum versuum:

Nam genus, & proauos, & quod non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Vide & Marium præclarè apud Sallustium in Ingurth. pro nouis hominibus contrà falsò & tantùm nomine nobiles differentem.

271. Primus) suspicabar, primis, quod postea vidi Pernam quoque seu Pithœum in Basil. edit. reposuisse. At August. edit. primus.

277. Æstibus) videtur pro æstatibus positum. Lucretius tamen in 6. vult, autumno & vere plura, quàm aliâs tonitrua fieri & fulmina cadere: cuius rei causam inuestigat. De quo & Senecam vid. Natural. Quæstion.

278. Rectorem fausto clamore cieri) id est, dici, proclamari: idem alibi dicitur, citari. Sic Corn. Nepos. Magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ citari. Ciere quoq; apud Virgilium vsurpatur, pro vocare seu appellare. 8.

——*Aëre ciere viros.* Et,

——*Magna supremùm voce ciemus,*

Ouid. Clamat, & alternis nomen vtrumq; ciet. Sic noster infr. v. 344. cietur dux puer in Regem, id est, proclamatur Imp. quod tamen non sat Latinum videtur.

283. facundia dulcis) ἡδυεπεια. Hinc millefluum os tribuit Friderico lib. 9. v. 196. Obserua hîc Catalogum virtutum Imperatoriarum, siue earum artium, quibus regna muniuntur, & crescunt infima, & maxima seruantur, vt ipse Guntherus mox ἐπιφωνεῖ.

284. forma nitens) Hoc est, quod Euripides quoque commendat, εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Sic formæ dignitas et-

iam alibi in magnatibus commendatur, vt ſup. v. 228. vt lib. 6. v. 474. vt lib 7. v. 562.

9. 286. *Mente ſenex; ætate puer*) Sic ſuprà meritisque ſuperuenit annos. γέροντα τ' νῶν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φίρει, inquit Æſchylus. Et Pindarus Pythionic. 5. κρίσσονα μὲν ἀλικίας νόον φίρεται, γλῶσσαν τε. Idem Olymp. 4. φύονται ᾗ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμιὰ καὶ παρὰ τ' ἀλικίας ἰοικότα χρόνον. Sic de Iuliano ſcribit Ammian. Marcellinus lib. 25. virtute ſenior, quàm ætate. Sic de Piſone Silius Italic. lib. 8. v. 386. Ore puer, puerique habitu (vel, vt Fr. Modius legit, pulcerq; habitum) ſed corde ſagaci Æquabat ſenium, atque aſtu ſuperauerat annos. Sic inſcriptio vet. Epitaphia apud Briſſon. lib. 7. De formul. I. Proculo L. F. XVI. annos nato, qui nihil cum adoleſcente commune habens, ſenes ſapientia anteiuit, &c. In hac ſententia delicias facit ille quiſquis eſt, qui de bello Troiano ſcripſit Poëma, ſub nomine Cornelij Nep. falsò ſe venditans, cùm ſit longè poſterior.

Caneſcant alij mento, nos mente: capillo;
Nos animo: facie; nos pectore: tempora quippe
Virtutem non prima negant, non vltima donant.

Non enim *ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia*, vt ait Plautus Trinummo, Sc. Quo illic homo. Et Varro Aboriginib. περὶ ἀνθρώπου φύσεως: *Sed neque vetulus canterius, quàm nouellus melior, neq; canitudini comes virtus.* Pulcrè etiam Ambroſius in Epiſt. contra Symmachum: Non annorum canities eſt laudanda, ſed morum. Quam ad rem elegans eſt Epigramma Philonis Anthолog. 1. tit. 16.

αἱ πολιαὶ σὺν νῷ γεραρώτεραι. αἱ γὰρ ἄτερ νοῦ
μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσὶν ὀνειδότεραι.

Hoc eſt:

Canities veneranda, cui mens prouida iuncta eſt.
Hac ſine longi æui eſt opprobrium illa magis.

Et alterum ibidem:

αἱ τείχες, ἢν σιγᾷς, γεραρώτεραι. ἢν δ' λαλήσῃς,
ὡς αἱ τῆς ἥβης, ἢ φρένες, ἀλλὰ τείχες.

Id eſt:

Quando taces, cani mens ſunt: ſi verò loquare,
Præiuuenum incipiunt nil magis eſſe pilis.

10. 288. *Nec frangenda malis, nec ſuſtollenda ſecundis*) Rara eſt hæc mentis conſtantia, quam Friderico Imperatori futuro Senator Imperij tribuit. Plerique enim mortales

mortales cùm res aduersas fortiter ferre, & fortunæ quasi insultare potuerint, secundas (quæ, vt ait Sallustius, etiam sapientium animos fatigant) æquoanimo ferre non valuerunt. Vsque adeò difficilius est, secundam quàm aduersam fortunam moderatè ferre: quod multorum grauissimorum scriptorum testimonijs confirmat Muretus lib. 5. var. lect. c. 15. Quibus & alia addi possunt plurima, & verò hoc Taciti lib. 1. Histor. Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseriæ tolerantur; felicitate corrumpimur. Item istud L. Annæi Flori lib. 4. vbi de bello inter Cæsarem & Pompeium, Causa tantæ calamitatis eadem, quæ omnium, Nimia felicitas.

290. *Tranquillus placidis; ferus indomitus q; superbis)* videtur æmulari hunc Virgilij versum: 11.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quid? quod Deum ipsum quisq; suis sibi conformat moribus? vt canit Psal. 18.

297. *quis*) Pernæ editio Basil. habet, quos. Sed verum est, quas, scilicet artes.

298. *gratis coluit*) q. d. orator: Cùm aliàs vulgò ferè quemq; pœniteat gratis esse probum.

CAPVT IIII.

1. *Honor an mutet mores.* 2. *Adeptus quod cupiebat, sapè fit deterior.* 3. *Imitatio Plauti & Catulli.* 4. *Tempus occasionem rapere.* 5. *Ordo mortalitatis.* 6. *Nepos ex fratre, pro fratris filio* 7. *Studia, pro factionibus.* 8. *Puer pro iuuene.* 9. *Magistratus inuiti eligendi.* 10. *Imitatio Sallustij.* 11. *Inde pro Deinde.* 12. *De Astrologia iudiciaria.* 13. *Hospites, fluuij.* 14. *Vsque, pro vsque ad.* 15. *Lactantius correctus.* 16. *Ammianus Marcellinus emendatus.* 17. *Malorum impunitas bonorum pernicies est.* 18. *Præsens pro futuro; Dixit dare, pro, se daturum Et mox contrà: Interfore, pro interesse.* 19. *Reatus.* 20. *Symmachus correctus.* 21. *Aeterna vrbi. Guttherus multoties emendatus.*

299. *Nam quod summa*) Occupatio obiectionis. Dicat aliquis: Honores mutare solent mores: & ἀρχὴ τ ἄνδρα δείκυσι: Magistratus ostendit virum. Quam sententiam egregiè Sophocles illustrat. Metuendum est igitur, ne & Fridericus, quem tantoperè commendas, ad imperium 1.

euectus

euectus,ab ea, quam nunc præ se fert, probitate desciscat. Respondet Orator: Imò non tàm honores mutant mores in deterius,quàm detegunt eam,quæ priùs dissimulationis inuolucris tegebatur & latebat, improbitatem: atque ita falsò imputatur honoribus & potentiæ, quod malitiæ adscribendum erat hominis potentiâ armati, cum bona rectaq; ingenia tunc demùm nacta occasionem suas virtutes exerendi, & aperto sibi, in quo excurrant campo, subinde in melius proficiant. *Illis difficile est in potestatibus temperare,qui per ambitionem sese probos simulauêre. At ei,qui omnem ætatem in optimis artibus egit, benè facere iam ex consuetudine in naturam vertit:* vt præclarè & huic loco conuenienter Marius Sallustianus. Congruit cum his iudicium Symmachi lib.8.ep.1.*Cordati viri animus* (inquit) *non solet quolibet honorum culmine mutari.* Et epist. 30. *Nec facilè mutari potest probitas, & bonæ artes stimulo præmiorum feliciùs incitantur.* Et epist.86.eod lib.8.*Ille verè incrementis suis maior est, quem sublimitas parti honoris inclinat.* Sanè in vulgaribus ingenijs ita fit, vt est in Epigrammate Agathiæ lib.1.Antholog.tit.εἰς τύχλω.

ἴυτίπς ἐκ πινίης πλέτε τύχοι, ἠδὲ καὶ ἀρχῆς,
ἀκίπ μεγνώσκει, τὶς πίλετο πρόπερον.

Et quæ ibidem sequuntur plura. Hoc est ex interpretatione nostra:

Imperium si quis sit adeptus pauper, opesq;
Qua fuit, haud meminit conditione prius.

2. 303. *Quod cupiebat adeptus*) Donec claues repererit, quod dici solet: Tunc iam ceruices erigit. *Nam ferè maxuma pars hunc morem homines habent: quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt. Sed id vbi idem penes sese habent, ex*
3. *bonis pessumi & fraudulentissumi sunt.* Quem Plaut. locum ex Captiuis, sc. Dij immortales, Guntherus hîc in conspectu habuisse videtur: vel etiam hunc Catulli:

Qui dum aliquid cupient animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare; nihil promittere parcunt.
Sed simul ac cupida mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuêre; nihil periuria curant.

Sic antiquus Poëta, Callimachus vt puto, fecit:

πρὶν πλαθεῖν φιλέυσι. ἀτὰρ συγέυσι λαθόντες.

306. vsu)

Hosted by Google

306. *vſu*) Diuinabam, auſu. Sed fort. nihil mutandum.

309. *tempore rapto*) id eſt, occaſionem adepta, qua cupidiſſimè vtitur. Sic & infr. loquitur lib. 9. v. 490. Ita Symmach. lib. 1. Epiſt. Bono animo. Occaſionem rapere, prudentis eſt. Vulgò ibi legitur, accipere: ex quo olim diuinabam arripere. Sed reſtituendum, rapere: vt in MSC. cod. reperit Schoppius, quem vide lib. 1. veriſim. c. 9. Sic & Paulus elegantiſs. IC. vſus eſt in reg. Iuris: Rapienda occaſio eſt, quæ præbeat benignius reſponſum. l. 167. ff. de diu. reg. iur. ant. Sic enim ibi legend. ex P. Fl. non vt vulgò, capienda. Exprimitur autem his formulis illud καιρὸν ἁρπάζειν, & ſignificat, celeres ac præcipites eſſe rerum gerendarum occaſiones, quæ ſemel amiſſæ non facilè recuperentur: adeoq; ſecundùm Phœdrum lib. 5. Fab. Tempus elapſum ſemel non ipſe poſsit Iupiter reprehendere. Neq; enim occaſiones nos præſtolantur, ſed nos illas obſeruare debemus. Eſt καιρὸς is, quem temporis articulum vocant. Iul. Cęſ. Scaliger Hypercritico, corrigens huc Auſonij verſum. Et eſſe καιρὸν, tempeſtiuum quod vocant. Illud penè prætericram, Lucan. quoq; ſic loqui lib. 10.

——*Cæſar ſemper feliciter vſus*
Præcipiti curſu bellorum, & tempore rapto.

Sic etiam Silium Italicum loqui, non ſemel: vt lib. 1.

——*Tempore Martis*
Vtendum eſt rapto, & graſſandum ad clara periclis.

vt lib. 7.

——*Rape miles tempore pugnæ.*

Id eſt, occupa tempus. vt lib. 9. dux ſibi quiſq; viam rapito.

313. *naturæ*) fort. naturæ. Et ita Pernæ editio.

323. *Flebilis indignæ præceſſit morte parentem*) Turbato nimirum ordine mortalitatis (vt ait Papinianus in l. 15. nam etſi. ff. de inoff. teſtam.) qui eſt, vt liberi parentum oculos claudant & oſſa legant. Sic Querolus: *Nónne hoc iuſtum fuit, buſtum vt efferret filius.* Vid. Iani Gruteri amici noſtri ſuſpicion. lib. 4. c. 1. vbi plura ad hanc rem congeſsit. 5.

325. *fraudauit*) orbauit, viduauit: vt ſup. loquebatur. 6.

332. *nepotem*) ſcil. ex fratre. Sic enim & hîc, & infrà v. 515.

v.515.& lib.5.v.13.& lib.9.v. 92. cùm vulgò appellat fratris filium.Sic ſororis filius auunculi nepos dicitur lib.9.v.78. Imò & filius filiæ ſororis auunculo magno dicitur nepos, vt Auguſtus Iulio Cæſari inf. h. lib.v.519.

333. *Nec alienus*) Perna, Non. Si retinere libeat, Nec, quod & Aug.ed. habet,erit verſus ἀνίφαλον.

337. *regumq; ducumq;*) Guibellingiorum & Guelphorum.

7. 341. *ſtudijq; latentis amorem*) Sic inf.lib.9.v.9.ſtudijs hoſtilib.& li.10. v. 483. ſtudijs hærēs & fixa nefandis Vrbs Ligurum. Sic aliâs quoq; ſtudium pro faction. & affectib. vſurpatur.Salluſt.3. Hiſtor. Ad hoc bellum maiore ſtudio, quàm conſilio profectum.Et Cic.pro Plaucio & alibi ſtudium & iudicium opponit. Symmachus eleganter lib. 6. ep.27. *Diuiſis in ſtudia partib.impediri aut certè differri ſolet rerum vtilitas.* Sic Optatus Mileuitanus: *Studijs* (inquit) *impeditur veritas.* Et plenius Arnobius lib. 1. aduerſus Gentes:*Contentionum ſtudijs obſcurari & contegi contemplatio rerum ſolet.*

8. 347. *dux puer in Regem*) Atqui væ terræ,cuius princeps puer eſt,inquiunt oracula diuina.Sed obſeruare licet,ſæpè apud Gunth.etiam adultos & iuuenes vocari pueros. Sic inf.v.479.& ſup.in arg.huius lib.v.4.& alibi.

9. 350. *cogendumq;*) Videtur ad Platonicum illud dogma reſpexiſſe:Fugientibus potiùs & reluctantibus,quàm appetentibus & ambientibus mandandos eſſe Magiſtratus.Tunc demum florentem ac beatam fore Rempublicam.Sic Symmach.lib.1.epiſt.30.*Melius Reip.conſuli*,ait,*ſi magiſtratus eligantur inuiti.*

10. 356. *Hanc ego rem penitus , quàm dicere pauca ſilere Tutius*) Notum eſt illud Salluſtianum Bello Iugurthino, de Charthagine, de ea ſilere melius ſeſe putare, quàm parùm dicere. Hoc Poëta exprimere voluit: vt alibi quoque ſæpiſſi.Rom.illum Thucydidem imitatur.

11. 357. *non eſt mihi carminis inde*) τὸ Inde idem eſt quod Deinde. Hoc enim dicit: Primùm puto melius eſſe ſilere, quàm pauca dicere. Deinde non tanta facultas carminis mihi ſuppetit, vt aptè illa poſſim exponere, & pro dignitate tractare.

361. & ſeq. *Proceres iuramine ſacro adſtrinxêre fidem*) id eſt,

Hosted by Google

id est, postquam homagium præstiterunt, & fidelitatem Imperatori solenniter iurârunt.

356. *si modò vera canunt*) q. d. De quo multi dubitant, interq; se certant: quæ adhuc sub iudice lis est, An res mundanæ, maximeque hominum ex astris pendeant, & An sit Astrologia iudiciaria & diuinatrix. Qua de re vide præclarè differentem Franciscum Vallesium de sacra Philosophia c. 31. vt Ioan. Picum Mirandulanum taceam, qui contra Astrologos aliquot libris pugnauit. 12.

374. *labores*) vt Virgilius: *Solis lunæq; labores* dixit.

382. *fluuio dignatur ab hospite dici*) Aliter apud Virgil. Ætna dicuntur hospites fluuij, nempe qui subitò existunt. Vid. Ios. Scalig. Catalecta. 13.

384. *populo generosa frequenti*) Mallem numerosa, aiebat D. Pflugius.

388. *vsq; Mosellam*) vsq; pro vsq; ad, eleganter, more Ciceronis, Terentij, Plauti. Nec verò (inquit Cic.) sapienti vsque plaudite viuendum. Idem Verrin. Erant acceptæ pecuniæ à C. Verrutio, sic tamen, vt vsq; alterum V. literæ constarent integræ. Terent. Tum Patris pudor, qui me tam leni passus est animo vsque huc. Sic ibi opt. lib. Et ibi alibi quoq; Terent & Plaut. Prudentius: Vestis & vsq; pedes descendens. Sic noster infr. lib. 2. v. 114. 14.

——*Siculum protenditur vsq; profundum.*

Ibid. *Rapidam Mosellam*) Ne quis hanc lect. temerè mutet, admonendum, etiam apud Ausonium esse diam Mosellam in genere fœmin. Idyll. 10. quo pulcerrimè eum fluuium describit, vt non frustrà id poëma tantopere prædicet Scalig. Hypercrit. Ibidem est prope finem: dominæ tamen ante Mosellæ Numine adorato.

396. *penè fuit toto sedes notissima regno*) Pflugius conijciebat, tutissima. Tutum enim pro munito haud ratò apud Gunth. positum inuenias.

398. *occiso Præsule*) Arnoldo.

408. *Mox quantum libuit*) Leg. fortè licuit. Id. Pflug.

Vtq; satis visum est, Rheno ratibusq; relictis,
Flumineos cursus euectu mutat equorum.

Probabilis est nobilissimi Pflugij lectio & distinctio.

Vtq; satis visum est Rheno ratibusq;, relictos
Flumineos cursus, &c.

Eidem

Eidem in mentem venit, pro cursus legi posse currus quod tamen metuit, ne nimis sit calidum. Currus pro naui quin à Poëtis vsurpetur, iam nemo paulò humanior dubitat.

419. Sunt ibi) Cum hac thermarum Aquensium descriptione planè congruunt thermæ Carolinæ, quæ sunt in finibus Bohemicis, non procul à vallibus Ioachimicis, vbi similiter diuersæ ebulliunt aquæ, calidissima & frigidissima. Eas thermas amicus noster Fr. Modius nimis, quàm erudito & venusto carmine Lucretiano descripsit, versibus quadringentis & quod excurrit.

426. regia sic calidis) malim, frigida sic cal.

433. secretaq; rerum) De hac formula dicã inf. v. *732*.

435. vbi) Pern. sibi. Nota, à Carolo Magno institutum fuisse, vt prima Rom. Imp. coronatio Aquisgrani fieret.

439. At simul) Aug. edit. Et. Simul pro simul ac ab opt. auctoribus vsurpari notissimum est.

441. Iure suo gaudet, nostræ iam nescia legis) Adcò quidem, vt Ioan. Bodinus Regem Galliarum Imperatori Rom. ctiam præferre non dubitârit in ijs, quæ ad iura maiestatis pertinent.

445. imposuit capiti) Coronatur Fridericus Imp. ab Arnoldo Episcopo Colonienſi. Ei enim antiquitus prima noui Regis Rom. Coronatio & inauguratio competit, vt Gunth. ipse testatur infrè lib. *6*. v. *612*. & seq. Alteram coronam suscepit Romæ à Pontif. Adriano, quarto Imperij anno: de qua coronatione vid. infr. lib. *4*.

450. nec reticere) Primum exemplum iustitiæ & seueritatis flecti nesciæ, à nouo Imp. editum. Aliud sequetur infr. in Terdonenses, &c.

458. aperto) si aperto fuit vultu, quî latere potuit ignotus? Legend, *Operto*. Aliâs quoq; hæc inter se permutata sunt perperam. Mitto alia auctorum loca. Vnum proferam è Lactantio lib. *6*. c. *7*. qui hoc vitio laborat. *Deus*
15. *enim vt immortale illud arcanum eius in aperto esset, &c.* Legend. *in operto*. Firmat emendationem nostram locus clariss. apud eund. lib. *7*. cap. *26*. arcanum eius in abdito teneamus. Et alius lib. *5*. c. *19*. mysterium veritatis ac religionis suæ esset arcanum, &c.

452. mi-

Hosted by Google

452. *miniſtrorum ſuorum*) Abutitur reciproco.

460. *Pontifices*) Atqui vnicum Arnoldum ſupr. nominaſti, Gunthere. An ergo Diaconi eius & Symmyſtæ hîc accipiendi? Sed migratio illa de numero in numerum non eſt noua auctoribus bonis in vtraque lingua, de quo alibi.

468. *firmatamente*) id eſt, obfirmata, obdurata. Phædrus in fabulis: corde durato feram.

473. *documenta ſanxit*) Sic & inf. loquitur li. 3. v. 126. documentaque magna, ſuiq; exemplum ſancire volens. Vbi præſenti ſimile exemplum ſeueritatis commemoratur.

477. *vigoris*) malim, rigoris: vt ſup. v. 451. exempla rigoris dixit & mox hîc rigorem opponit patientiæ. Alibi, ſed alio ſenſu, vigoris quoq; verbum vſurpat: vt cum regali plena vigore verba tribuit Friderico lib. 10. v. 559. Sicut autem hîc pro vigoris ſubſtituend. puto rigoris, ita è contrario apud Ammian. Marcell. lib. 16. pro rigorem videtur legi rectiùs vigorem. Ænea (inquit de Alex. M.) concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, vt cùm neruorum vigorem (vulg. rigorem) ſopor laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnum.

479. *Ille nocet paucis; hæc incitat omnes*) Prænomina, Ille & Hic, regulariter quidem ita ponuntur, vt ille ad longinquius verbum præcedens, Hic ad proximius referatur. Sed hoc non eſſe perpetuum obſeruauit iam olim Budæus. Exemplo eſt & hic locus, & alius inf. lib. 9. v. 7. & ſeq. Sed age, illuſtremus & ſententiam huius loci, quę eſt egregia & apud plures auctores decantatiſſima. C. Memmius apud Salluſtium Bello Iugurthino: Ne, inquit, ignoſcendo malis bonos perditum eatis. Sic apud eundem in Coniurat: Catilin. Cato: Ne dum paucis ſceleratis parcent, bonos omnes perditum eant. Seneca ex Mimis P. Syri: 16.

——— *Bonis nocet, quiſquis pepercerit malis.* 17.

Secundùm quę iam olim ita cenſui reſtituendum Auſonij verſum in Sententijs VII. Sapientum: *Parcit quiſq; malis, perdere vult bonos.* Nam vulgò peruersè legitur. *Quiſq;* pro *Quiſquis* poſitum eſt, vel pro Quicunq;. Sic Lactantius Firmianus de Ira Dei cap. 17. *Bonorum ſalutem cuſtodit, qui*

Hosted by Google

malos punit. Ipse autem est nocens, qui nocenti parcit, vt pluribus noceat. Ad eund. loc. respicit Gunth. inf. li. vlt. v. 456.

480. *Dum se ferre suos sperant impunè reatus*) Ferre,
18. pro, laturos esse: præsens pro futuro. Spes enim, vt & promissio, futurorum est. Sic alibi sæpè opt. exemplo auctorum loquitur: vt, Iurassent ferre, & suspendere, pro laturos & suspensuros se. lib. 6. v. 153. & lib. 7. v. 28. tota virtute reniti Sacramenta dabant: pro, renisuros iurabant. Sic Plaut. Curcul. Sc. Phœdrome: Repromisit mihi sine controuersia omne argentum reddere: id est, se redditurum. Vbi malè vulgò, redderet. Sic idem Aulularia: Diuidere dixit, id est, diuisurum se promisit. Et alibi: Dic dare, id est, te daturum, &c. Hoc primùm. Deinde Reatus verbo hic, vt &
19. infr. sæpiùs vtitur pro culpa vel crimine, seu delicto, aliter, quàm veteres Latini: de quorum vsu vid. Budæum. Ad-
20. scribo huc locum Symmachi, lib. 10. ep. 44. *Moribus sæuis familiare atq; cognatum est, armare spiritus* (malim impunitatis) *immunitatis exemplo. Cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris euasit?* Idem epist. 39. lib. 5. *Inconsultos facit alios impunitas magna peccantium.* Ciceronis similes sententias de impunitate hîc omitto. Chrysostom. in 1. ad Timoth. homil. 15. ὥσπερ ἀπιμωρήτων μὲν ὄντων τῶν ἁμαρτανόντων, πολλοὶ οἱ πλημμελοῦντες. ὅταν δὲ κολαζομένων πολλοὶ οἱ κατορθοῦντες εἰσιν.

21. 484. *ausum saltu transmittere fossas*) Sic Pomponius in l. vlt. ff. de diuis. rer. Nam & Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quòd murum transcendere voluerit. Sic Propert. lib. 3. *Caso mœnia firma Remo.* Et Lucanus:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

486. *æterni fundamina ponere regni*) Solius Christi regno hoc epitheton verè conuenit: vt illud describitur Psal. 72. & passim apud sacros vates. Romani tamen etiam suum imperium suamq; vrbem æterna fore somniabant. Vnde sæpè apud Symmach. in Epist. & in Constitutionib. Principum in Codice, & apud Ammian. Marcellin. lib. 14. & 15. Vrbs Æterna dicitur Roma: non sine blasphemia, cùm sit temporalis: teste Prospero Aquitanico in Dimidio Temporis, cap. 7. Sic Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Romulus æternæ nondum formauerat vrbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.

Et

Et Auſon. noſter: *Ignota æterna ne ſint tibi tempora Roma.* Ad hanc igitur loquendi conſuetudinem Gunth. quoque hic reſpexit, æterni regni mentione. Eodem & Iuſtinianus alluſit initio tit. de Iuſtiniano Cod. confirm.

492. *clari*) f. chati parentis.

494. *laboris*) Aug. ed. labores.

499. *Ergo viros*) Sic boni Principes iam olim nihil ſine Conſiliarijs & quidem Iuriſperitis decernebant. Vide Lamprid.

501. *ſolitos interfore*) Mira coniunctio præteriti cum futuro. Sed interfore pro intereſſe ponitur.

504. *iuſtúmne*) Rectiùs Baſil. ed. Pernæ, Iuſtumúe. Sic Alex. Seuer. ſemper in cõſilio habebat xx. & aliquot ICtos, quorum de ſententia conſilij omnia agebat, teſte Lampr.

521. *Eximiuſq́ nepos*) In hoc & ſeq. v. quædam à librarijs tranſpoſita videntur ἀνάπαιστος: quæ ſic reſtituenda puto:

Eximiuſq́ nepos, pius ac fortiſſimus vltor
Hoſtibus extinctis crudelia Cæſaris olim
ꝑ. a. d. fata piauit.

CAPVT V.

1. Inſolentia plebis quomodo caſtiganda. 2. Solennia inueſtiturę. 3 Schiſmatis ſedanni ratio, ſi plures ſint vnius muneris competitores. 4. Regalia. 5. De iure, proiure. 6. Triumphus pro Martyrio. 7. Lactantius leuiter correctus. 8. Voluptas nullis ſincera. 9. Symmachi aliquot ad hanc rem loca. 10. Rei fugientes. 11. Edictum citationis triplex. 12. Schoppij conatus in Gunthęri correctione irritus. 13 Inuaſoris & raptoris differentia. 14. Dequeri. Depoſſe. Deuti. 15. Calidus. Calidum conſilium. 16. Apuleius eſt coniectura emendatus. 17. Vulgi ingenium. 18. Præmia pro diuitijs. 19. Imitatio Lucretię & Ouidij. 20. Fama vulgata. 21. Rurſus Symmachus ſemel, Gunther. ſæpè emaculatus.

527. *Nec melius ſtultæ*) Obſerua politicum τὸ μὴ ἐνόφισμα, plebi ex opulentia inſolenti præcidendas eſſe alas, & eripienda à Magiſtratu illa malorum irritamenta & luxuriæ inſtrumenta. Contraria enim contrarijs curantur, vt ſimilia ſimilibus nutriuntur & augentur. 1.

529. *Vt quos*) Aug. edit. & quos.

544. *Petrum ſimul atq; Guidonem*) Diſſenſio inter

Suenonem & Canutum (sic enim hi Danorum reguli, seu Proceres ab alijs indigetantur, quorum hunc Otho Frisingens. Guirtonem vocat lib. 2. c. 5.) à Friderico Imp. Martinopoli composita. Alludit hîc Gunth. ad sententiam à multis celebratam: Omne regnum consortis impatiens esse.

2. *550. Vexillo.* & v. seq. *gladio regnum suscepit)* In actib. legitimis fermè omnibus Romani notas quasdam, solennesque ritus & symbola atque insignia adhibebant, dicis caussa: vt Clemens Alexandrinus quoq; testatur. Hunc ergo morem feudistæ quoq; iu vasallorum creatione, quam Inuestituram vocârunt, imitari voluerunt: vt gladio vexillo, coronâ, sceptro, baculo, seu fuste, &c. vt eleganter probat Hotomanus in Disputat. de Feudis cap. 22. & seq. vbi inter cætera hunc etiam Guntheri locum laudat. Sic Archiepiscopi Magdeburg. inuestitura infr. v. 571. fit sceptro eburno interueniente.

558. dici sine nomine) h. e. κατὰ περίφρασιν. Quamquã & circumlocutio & demonstratio quæuis secundum Iurisconsultos vice nominis proprij fungatur. l. 6. ff. si cert. pet. de reb. cred. l. 34. nominatim. ff. de cond. & demonst. l. 24. nominatim. ff. de man. testam.

562. exsufflato) id est, remoto. Verbum mirificum, quod de fæce seculi sui (vt alia huiusmodi) Gunth. hausit. Vtitur eo aliquoties vet. Interp. Bibliorum, à quo & alia noster est mutuatus, vt in Catalogo Sordidorum verborum doceo.

3. *563. Tertius*) Idem consilium aliquando legimus vsurpatum in sedando plurium Paparum seu Antipaparum Schismate, itemq; in disidijs Regum: vt scil. ex controuertentib. & contendentibus nullus, sed extraneus aliquis fuerit electus.

4. *571. regalia præstet*) id est, inuestit, inuestituram concedat. Hæc enim verba sunt Feudistarum propria. Plenius regalia iura dicuntur lib. 2. v. 52. Quæ autem sint
5. Regalia, explicatur inf. lib. 8. Quod est in v. præced. De iure ad eandem faciem dictum est, qua vulgò aiunt, De facto, quod priori opponitur. Veteres dicunt, Iure vel non iure aliquid factum, omissa præpos. D E, quam μιξοβάρβαροι addiderunt.

528. Apo-

578. *Apostolici gemino splendore triumphi*) Notat festum diem Petri & Pauli, vt & lib. 4. v. 158. qui duo Apostolorum Principes vno eodemq; die eiusdem tyranni Neronis iussu, in eadem vrbe Roma martyrio affecti esse à quibusdam perhibentur. Vid. c. 3. quamuis. Dist. 21. & c. 2. sacrosancta. Dist. 22. & c. 37. Beati. 2. q. 7. De Petro tamen à quibusdam dubitari video, Romæne is, an apud Hierosolymam potiùs cruci affixus sit. Rationes dubitandi videsis apud Michaëlem Beutherum IC. in Animaduers. seu Disceptat. historicis. Eleganter autem & hic & lib. 4. Triumphum vocat martyrium seu supplicium Sanctorum, quia hi patiendo moriendoq; vincunt, & Satanam, Mundum, carnem triumphant: è militante inquam in illam triumphantem & glorioſam Dei Ecclesiam adscribuntur & transferuntur, capiti suo Christo conformes facti. Sic triumphum vsurpat etiam Leo Magnus Sermone primo in Natiuitate Apostolorum Petri & Pauli (Natiuitatem quoq; vocabant seu diem natalem, eum diem, quo supplicio affecti fuissent Sancti) cuius locum illustrem hîc adscribam. *Non minuitur* (inquit Leo) *persecutionib. Ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara diuini germina seminis in quantam subolem germinârint, beatorum millia martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli* TRIVMPHORVM, *vrbem nostram purpuratis & longè lateq; rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronârunt.* Idem Leo Serm. 2. *Hodierna sollennitas recurrente* TRIVMPHO *Martyrij, &c.* Eadem ratione Tertullianus Apologet. c. 1. pœnam Christianorum vocat VICTORIAM. 6.

586. *Protinus Hungaricos*) Expeditio Hungarica à Frid. Imp. tentata; à Principib. Imperij dissuasa. Mox v. 589. hæc omnia (magis quod credimus) parenthesi claude: à qua vulgò non rectè excluditur τὸ magis.

588. *nec inutile Principu esset Propositum*) Placet ingenioſa non minùs, quàm vera Nob. Pflugij coniectura, legentis, *isset*, pro *esset*. Fundus huic emendationi est locus alter lib. 10. v. 648.

603. *Nulla est hominis sincera voluptas*) Ad vitandum

dum ſibilum malim, homini. Et ſanè ſeq. dictionis princeps litera, atq; adeò etiam ſyllaba ad finem præcedentis perperam adſuta ſæpè reperitur: id quod hîc quoq; factum crediderim. Vt autem hîc, pro hominis, dico legend. videri, homini: ſic pro laudi non rectè legitur laudis apud Lactantium lib. 6. c. 12. Iis enim maximæ laudis eſt benefacere, quos nemo ſperauit eſſe facturos. Lego, inquam, laudi eſt. Porrò ſententiam hanc ex Plauti Amphit. Gunther. hauſit. Sic enim ille Sc. Satin' parua:

Ita quoiq; comparatum eſt in ætate hominum
Ita DIs placitum, voluptati vt mœror comes conſequatur.

vbi (vt hoc præteriens admoneam) vidi MSC. Camer. Cod. in quo legeretur, eſt placitum: & Eyſtadinum, in quo, placitum eſt: In vtroq; verò, voluptatem, non voluptati. Quamquam hoc, quod editum eſt, mihi rectiùs, & à Plauto ſcriptum videtur, qui hîc quoq;, vt ſolet, græciſſare voluit, ἐπιθεῖναι τῇ ὑδονῇ: vt aliâs, Decere alicui, πρέπειν τινὶ. Certè & Cicero ſimili Græciſmo dixit, comitari huic vitæ. ſed reuertamur pauliſper ad γνώμιλλα Plautinam: quam ille de Menandro translatam aliâs quoq; ſæpiùs inculcat: vt Curcul. A. 1. Sc. 3. Nulli eſt homini perpetuum bonum. Iam huic voluptati hoc adiunctum eſt odium. Sic Mercat. A. 1. Sc. 2. Dic mihi, an boni quid vſquam eſt. quo quiſquam vti poſſiet Sine malo omni omi, aut ne laborem capias, cum illo vti voles? Reſpondet alter: Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud deſidero. Vbi MSC. Cam. Vnus leg. quo accidit: alter, quod accedit. Diuinabam ego: quoi accedit. Sed de Menandro quod dicebam, eius hi ſunt verſus:

ἔυροις δ' ἂν οὐδὲν τῶν ἁπάντων, Σιμύλε.
ἀγαθὸν, ὅπως τιμὴ πρόσεστι καὶ ηδονὴ.

hoc eſt, ex noſtra interpretatione:

Nullam omnium rerum vſq; adeò inuenias bonam.
Cui non mali quoq; quippiam ſit additum.

Nec diſſimiliter Euripides apud Plutarch. περὶ ἐυθυμίας:

οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὸ καὶ κακά.
ἀλλ' ἔστί τις σύγκρασις, ὡς ἔχειν καλῶς.

Quæ ſic conuertimus:

Bonum à malo eſſe ſeparatum non poteſt.
Mixtura quædam ſi vtriuſq; ſit, bene eſt.

Con-

Congruit quod vulg. versiculo dicitur:

Omnis commoditas sua fert incommoda secum.

Similia hisce etiam apud Herodotum reperiuntur. Quid? quod sapientissimus Pindarus ait: Duo mala vni bono à Dijs immortalibus esse sociata, interq; homines distribui solere? Apuleius. 4. Florid. Verum verbum est profectò, quod aiunt: Nihil quicquam (fort. quoicquam) homini tam prosperum diuinitùs datum, quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis; vt etiam in amplissima quaque lætitia subsit quæpiam vel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis. Vbi vber, ibi tuber. Lucretius: Medio de fonte leporum surgit amari aliquid, &c. Phœdrus quoq; noster in Fabulis dicit: Gaudium & dolorem miscere totam hominum vitam: Ideoq; & dolendum parcè, & gaudendum sensim præcipit:

Gaudere parcè oportet, & sensim queri.
Totam quia vita miscet dolor & gaudium.

Eandem hanc sententiam aliquando his Alcaicis versibus complectebar:

Non est voluptas vlla homini integra,
Quin dulce amaro numina temperent:
Mortalium & res circumacta
Instabili variant tenore.

Symmachus quoque plus vice simplici hanc sententiam epistolis suis intexuit. Vt lib. 1. ep. 42. *Sic nati sumus, vt sapiùs aduersa fungamur. Fugiunt voluptates, & bona cuiusq; rei tam breuis vsus, quàm leuis sensus est.* Sic lib. 4. epist. 34. *Hanc omnibus humanis gaudijs legem natura dixit, vt curæ voluptatem sequantur. Natæ soboles primo parentes die exhilarant: mox pij metus breuem gratiam fugant. Honor in exordijs lætus est; De hinc animos laborum æstus ingreditur.* Et rursum lib. 6. epist. 68. *Verum est, nequire hominem cuncta pariter voto amica sortiri.* Item lib. 2. ep. 57. *fors versat humana, nec semper ex voto destinata succedunt.* Sed iam satis hîc immoratum. 9.

606. cognatæ discordia rixæ) Sic rixam fraternam dicit inf. lib. 6. v. 457. Solent autem fratrum & cognatorum iræ & odia esse acerbissima & grauissima: de quo vid. Euripid. Phœniss. & alibi.

607. Vterque) Non dubito, quin scripserit Guntherus, vtrique: error autem ex notis & compendio Scripturæ à librarijs commissus sit. Sic infrà extremo lib. 2. erratum erat: vbi vterq;, pro vtroq; legebatur. Et li. 3. v. 340. Vterq;, pro vtraq;.

513. Hunc Noricus) Primam in Noricus nunc corripit, vt hîc, & mox v. 617. nunc producit, vt sup. *574*. Ex quo loco notandum, Noricum Ducatum latè olim patuisse, cùm eius metropolis esset Ratispona, quæ hodie Bauariæ annumeratur. Sic inf. lib. 2. v. 6. Norica rura Licus lambit.

630. nam causa semper in omni) Reorum enim est fugere, (vt vulgò aiunt) non tantùm in hoc momenti iudi-
10. cio, cùm de restitutione spoliati agitur, quæ relictis rebus facienda est, sed etiam in alio quouis. Vnde Græci Oratores τ φύγης & τ διώκοντα opponunt, & priore verbo Reum designant, seu eum quo cum agitur. Atque ita Imp. Hadrianus loquitur in l. *48*. pars. ff. de iudic. Quem Græcismum Iustinianus quoq; passim retinuit: vt in l. 13. properandum. C. de iudic. l. 2. C. de iureiurand. propt. calum. dand. Et Gunth. infr. h. lib. v. penult. Patruo causam fugiente.

632. & seq. *Tribus absentem edictis in ius debere citari*) De trib. edictis multa mentio apud Gunther. vt hîc &
11. lib. 2. v. *363*. lib. *5* v. *291*. & lib. *7*. v. 396. Vbi legalia edicta vocantur. & lib. *9*. v. *189*. & v. *271*. vbi legitima edicta. Idq; ex Iure ciuili Rom. sumptum est: quo vel tribus distinctis edictis per interualla non minùs x. dierum Reus euocatur: vel statim vno pro omnib. quod peremptorium edictum appellatur. Vid. l. *68*. ad peremptorium, cum *5*. seqq. ll. ff. de iudicijs. Toties euocatus si quis præsentiam sui facere contemnat, contumax est: & contumacia eius litis damno coërcetur: vt est in l. *53*. contumacia. ff. de re iudic. & apud Paulum lib. *5*. sentent. tit. *5*. §. trinis litteris. l. *8*. consentaneum. & l. seq. C. Quomodo & quando iudex. Ami-
12. cus meus G. Schoppius putabat, Guntherum sine dubio scripsisse, vocari: Alterum verò illud, citari, esse à manu glossatoris alicuius. Cui vix est, vt assentiar. Nam Guntheri seculo citare vtebantur perpetuò pro in ius vocare: imò & diu antè: cùm quidem apud Latinè loquentes longa sit inter hæc duo differentia, quam explicat Duaren. lib. 1.

Disput.

Hosted by Google

Diſput.c.7.& probat Hub. Giphanius in Tractatu ſuo de Iudicijs,ſiue Proceſſu Iudiciario.

636. Inuaſor) Proprièimmobilium eſt: vt Raptor mobilium.

639. dequeſti crudelia facta tyranni) Sæpè ἐπιζητικῶς vtitur G.& dequerendi & deflendi verbo: quod ſemel notaſſe ſatis ſit. Multa autem ad hanc faciem iungebant. Sic apud Pſeudo Cornelium Nep. illum, qui Dareta Phrygium carmine expreſſit, legitur Depoſſe pro poſſe: vt DE, veterum moreaugeat: ſicut in verbo Deponendi admonuit IC. & in verbo Deuti, apud Corn. Nepotem Schoppius lib.4.veriſimil.c.vlt. 13. 14.

647. iuris morumq; ruinam) Elegantiſſimè & hîc & lib. 3. v. 414. morum ruinam dicit, tanquam cuiuſdam ædificij. Vide Liuium in Procœmio:& Trinummum Plautinam Sc. Staſime, & Nathanis Chytræi amici noſtri Prognoſticon.

656. Guiſcardus) q.dicas,Wiſchart,qui ingenio eſt mobili & verſatili: der immerzu herumb wiſchet: ſtare loco neſciens, vt de Cæſare fecit Lucan. lib. 1. imitatione equi Virgiliani. Sic infr. lib. 4. Comiti cuidam Tuſcano Guerræ cognomen fuiſſe ait, quod item Germanicæ eſt originis.

665. Valido tractarent pectore) Malim calido: vt & infr.lib.5.v. 182. pro *validos tumultus,calidos tum:* Sic calidum inf.v. 659. conſilium dixêre pro audaci & præcipiti, Plautus,Cicero.Liuius.Plaut.Epidico Sc. St.tacete: Reperiamus aliquid calidi conducibilis conſilij. Et Milite, Sc. Niſi hercle: Reperi, comminiſcere, cedò calidum conſilium citò. Sic apud eundem ſunt calidæ minæ, & calidum mendacium. Sic calidè agere dixit idem Epidico: vt rectè ibi MSC. Camerar. Vulgò malè, callidè. Calidè agere eſt σοφιλῶς πράττειν. Sic Cic. 15. ad Attic. ep. 6. reſcripſit Hirtio: Nil illos (Brutum & Caſſium) calidius cogitare: cùm optaſſet Hirtius, ne quod calidius ineant conſilium. Sic idem 1. de offic. Vide & Nonium. Sic rectè emendat apud Silium Modius: 15.

Moles illa viri, calidoq; habitata Gradiuo
Pectora:

vbi vulgò, validoque. Sic libens correxerim etiam

16. 16. Apuleium 1. Metam. non procul à fine: *Condiscipuli calido consilio & nummis simul priuatus & cœna.*

667. maxima quædam) malim, quæq;.

669. cuiq;) Aug. ed. quiq;. quod rectius puto.

677. Regia sic volucris) Hanc comparationem cum aquilæ pullo (quam Gunth. expressit de Hor. lib. 4. od. 4.) æmulatus est elegantiss. I. Lipsius Cent. 1. ep. 69. in carmine Epidictico ad N. V. Andr. Dammium IC. ciuem meum clariss. Quod indicium primus mihi fecit Cl. V. Scipio Gentilis, collega coniunctiss. & compater amiciss. cuius commendatione primitus hunc auctorem amare & æstimare cœpi, cuius dono eundem primo habere licuit. *μεγάλη χάρις εἰδῶ.* Nam tametsi mihi iam anteà innotuerat ex citationib. summorum virorum, Cuiacij & Hotom. meiq; Doct. Ioan. Borcholti p. m. in comm. Feudisticis, de quib. tanquam ex vngue leonem æstimare poteram: nunquam tamen integrum nanciscì potui ante eum diem, quo ipsum D. Gentilis beneficio singulari meum esse voluit.

17. *689. vulgus stolidum, prauum, rude, futile, vanum)* egregia verò epitheta. Adde Insipidum, quod vulgò tribuebat supr. Et meritò. *ὁ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, ὅτε δικαίαν, ὅτε καλήν*: vt canit Cleanthes, qui *τοῖς πολλοῖς ἄκρατον καὶ ἀναιδῆ δόξαν* ibidem tribuit. Et alius quidam apud Athenæum eleganter: *ὁ δῆμος ὁδὸν ὅτ' ἀκούει ἄθ' ὁρᾷ. Μεθ' ὧν γὰρ οἱ πολλοὶ μετὰ τύπων ἡ μίμησις*, vt ait Rhetor *ψόγῳ θείους* in Progymnasmatis editis ab H. Stephano Anno 1567. Similes sunt sententiæ apud Senecam, & Ioan Ludouic. Viuem.

18. *700. ad præmia magna vocauit)* præmia dixit pro diuitijs, more Lucretij. Vise Indicem Giphanij Doctoris & amici mei. Oportet autem summa & incredibili diligentia fuisse Guntherum, qui inculto illo seculo, nullo præeunte elegantissima sæpè dicendi genera tam auidè consectetur, tam oportunè adhibeat.

19. *703. iniusto iure tenebant)* *ὀξύμωρον* hoc ab Ouidio mutuatus est, apud quem iniustum rigido ius dicitur ense. Est autem Ius iniustum, Ius belli, quod etiam iniquum dicitur. Sic patriæ iniquum tempus apud Lucret. est tempus belli.

709. æqui-

Hosted by Google

709. *æquinocum ſibi*) Græci ὁμώνυμον ἢ ϕερώνυμον hunc vocant Latini cognominem. Vide Nonium pag. 42. Pariſ. ed. Sic & infrà.

710. *patris*) Suſpicor ſcripſiſſe Gunth. patrijs.

715. *æterna Laudis monumenta reliquit*) Hîc quoque manifeſta imitatio eſt Lucretij: cuius vt & Virgilij & Lucani lectionem Poëtæ noſtro familiarem fuiſſe, multa in hoc opere argumento ſunt. Sic ille æterna famæ monumenta dixit, hoc pulcerrimo verſu:

Æternis famæ monumentis inſita florent.

Cum quo comparare ſoleo hunc Guntheri verſum:

Præclarumq; ſibi cupientes didere nomen.

Nam hîc etiam verbum Lucretianum emicat, vt & in iſto lib. 8. v. 107.

Certaq; fortunæ clarent exempla ſiniſtræ.

Sic & Plautum, & Terentium, & Salluſtium, & Virgilium, & Plinium, & Senecam, & Symmachum, & Auſonium, aliosq; id genus heroës ſtudiosè eum legiſſe & imitari voluiſſe paſſim apparet. Quod idcircò ſemel hoc loco dico, vt tantò pluris hunc ſcriptorem faciamus, qui adeò ſuprà ſeculum ſuum ſe extulerit, atque ex illa barbarie pulcrum os cœlo erigere auſus fuerit.

723. *Spondebant*) Leg. ſpondebat.

725. *mandata extremo in fine dediſſe*) De morientium vltimis elogijs ſiue mandatis & diſpoſitionibus videndus eruditiſſimus Briſſonius lib. 7. De formulis. Illud autem mirum ac penè ridiculum videri queat, quod res alienas tam larga manu diſtribuit iſte filijs ſuis. Sed fortuna res & bona ſocordium & ignauorum adiudicat vigilantibus ſtrenuis atq; induſtrijs. Eò alludit.

732. *famæ vulgata*) id eſt, famam vulgarem. Ad eum modum hoc dixit, quo ſup. 433. ſecreta rerum, id eſt, res ſecretas. Sic proſpera rerum, lib. 9. v. 84. Sic anguſta locorum lib. 2. v. 10. & arcta locorum, lib. 4. v. 361. & iniqua viarum lib. 6. v. 86. Eſt autem elegans Græciſmus, quo & Lucretius & Salluſtius & Symmachus alijque vti amant. Vt ecce Symmachus lib. 3. epiſt. 74. multa in te virtutum natura congeſſit: quæ ſi quis trutinet penſiore iudicio, neſciat, vtrùm 20.

Hosted by Google

vtrùm in te bona fortitudinis magis ac mentis excellant. Sic totum illum locum restituit G. Schoppius Francus, lib.3. verisimil.c.1. Plura exempla vid.in Conlectaneis Lucretianis,quæ nolo compilare. Vel hinc palàm fit, quantus eruditæ antiquitatis amator fuerit Gunth.

743. *Eualuit*) E. præpositio auget vim verbi, vt in Euincere, Edurus, &c. vt aliâs etiam DE, teste Paulo in l. 2.ff.depositi.& Giphanio Indice Lucretiano.

744. *rursum renocata*) De hac Palilogia quàm sit bonis auctorib. frequens, vid. Barn. Brisson. lib. παρέργων. & Animaduers.Is. Casauboni amici nostri eruditiss. in Sueton. initio lib. 1. vbi similiter planè loquitur:Intra paucos rursus dies repetita Bithynia. Sic Ammianus Marcellinus lib.25.Iustitia rediisse rursus ad terras.

754. *regni vtriusq;*) Orientalis scil.seu Constantinopolitani, & Occidentalis, quod iam olim ad nationem Germanicam translatum nrat.

767. *partem litis vtramq; Euocat*) Rectè. Oportet enim ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. Μηδὲ δίκλω δικάζειν πρὶν ἂν ἀμφοῖν μύθων ἀκούσῃς. Et vt Seneca inquit:

Qui statuit aliquid,parte inauditâ alterâ:
Æquum licèt statuerit,haud æquus fuit.

768. *patruo causam fugiente*) Erat enim reus: ideò (vt fit) lucem cauſlæq; cognitionem subterfugiebat: secundum supr. dicta ad v. 630. Quod sequitur v. vlt. *seruato iure*,id aliâs plenius dici solet, seruato iuris ordine. Cui contrarium est,neglecto iuris ordine aliquid præsumere: quomodo Gunth. inf. loquitur lib.7.v.395.

NOTARVM LIBRI PRIMI FINIS.

NOTA-

Hosted by Google

NOTARVM AD GVN. THERVM LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

1. *Malignus, pro anguſto, parco, & exiguo.* 2. *Honeſtatis cura potiſſima ſit.* 3. *Imitatio Virgilij & Claudiani.* 4. *Fidelis.* 5. *De feudorum amiſſione nonnulla.* 6. *Iudices inter dominum & vaſſallum qui.* 7. *Tam ac, vel atq;, Mediolani etymon.* 8. *Nimis, pro valde.* 9. *Signatum nomen.* 10. *Horatij imitatio & vera lectio.* 11. *Longobardia vnde dicta.* 12. *Magiſtratus non temerè perpetuandi.* 13. *Virtus, pro fortitudine militari.* 14. *Cœlum vertice pulſare vel tangere.* 15. *Alpem, pro Alpes.* 16. *Manus regia Guntherus aliquotiens emendatus.*

V. 11. *Fauceſq; malignas)* Epitheton hoc eo ſenſu cape, quo Virgil. Æn. xi. dixit: 1.

—— tenuis quo ſemita ducit
Auguſtæq; ferunt fauces, adituſq; maligni.

Quem locum ob oculos hîc fuiſſe Gunthero, quouis ſacramento contendam. Sic lucem malignam pro parca atque exili idem Virg. Æneid. 6. vſurpauit. Sic Lucan. lib. 5. v. 651. loquitur. Sic Quintilian. lib. 2. c. 2. inter ſe opponit, malignum & effuſum. In laudandis, inquit, diſcipulorum dictionibus nec malignus, nec effuſus.

32. *Nec quid ſit licitum perpendere, ſed quid honeſtum)* 2.
Hoc ex Claudiano mutuatus eſt, cuius ſunt iſta: 3.

Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit
Succurrat, mentemq; domet reſpectus honeſti.

Sunt & apud Ciceronem ſimiles ſententiæ. Paulus quoq; Apoſtolus inquit: πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. Sic Symmach. lib. 2. ep. 23. Quid deceat magis, quàm quid libeat (malim, liceat) expendendum. Valeat igitur tyrannica illa ac nefaria vox eius, quæ priuigno ſuo Imperatori dicebat: Si libet, licet.

33. *proprium agnoſcere)* Interponend. videtur, eſt, cum Pet. Pern. Quo verbo Aug. ed. tamen etiam caret.

Ibid. *agnoſcere culpam, Culpa vbi nulla ſubeſt)* Mentis bonæ propriam ait eſſe hanc εὐλάβειαν & cautionem, omnia etiam tuta timentis. Eandem ſententiam fermè totidem

totidem verbis Innocentius III. post Gunth. vsurpauit in c.2.ext.de obseruat.ieiuni: Sic enim ait: Bonarum mentium est, ibi timere culpam, vbi culpa minimè reperitur. Quanquam & de impijs dicat Psalmus: Illic eos trepidare timore, vbi nullus est timor. Porrò pietatis & religionis Friderici argumenta plura inf.indicabuntur.

43. *omnem*) Leg.omnes.

4. 45. *fideles*) id est, Vasalli: vt sæpè in libris Feudorum. Sic inf.h.lib.v.191.

47. *At quicunq;*) Caussa vna amissionis feudi hîc exprimitur: nempe si vasall⁹ domino seu seniori suo seruitiũ
5. honestum deneget: munera militiæ renuat si fœdera iustę: vt ait lib.8.v.608. Quo loco & aliæ caussę priuationis feudi afferuntur: vt, si successor feudi intra annum & diem

Spreuerit à Domino feudalia poscere iura:

hoc est, si inuestituram non petierit. Sed de his alijsq; caussis prolixiùs tractatur in vsibus Feudorum.

6. 48. *curia censet*) Curiam dixit pro paribus curiæ. Nam si lis sit de feudo inter dominum & vasallum, eius litis iudices sunt pares curiæ, id est, eiusdem Senioris alij vasalli. Dominus enim in propria caussa iudex esse non potest. Vid. infrà lib. 8. v.633. Confertur autem in hos Iurisdictio per electionem factam alternis, à Domino & vasallo: aut à Domino etiam solo, si vasallus eligere nolit. Qua de re prolixè explicat, ciuis meus Ludolphus Schraderus tract. feud. part.10. sect.8.9.10.11.&12.

56. *Nunc age*) Terræ Italiæ descriptio elegans: cuius explicatio à Geographis petenda.

63. *Hinc sale Tyrrheno, Venetis hinc clauditur vndis*) hoc est, mari Supero & Infero. Sic enim appellantur. Vndas Venetas dicit pro mari Adriatico.

65. *obice*) Pœna, obijce, Vide Gellium lib.4.c.17.

66. *rigidum Boream*) Aug.ed. rapidum Boream.

74. *experta carinis*) id est, tentata. πεθηπκῶς: id est, spectata. Lucan. Haud magis expertus discrimine Cæsar in vllo est, vt lib.5.v.249. Vide & Oth. Fris. exercita enim ex ipsius mente positum est.

86. *Venetus*) VVecheliani cùm aliàs Spiegellianæ editionis vitia ad vnum omnia ita religiosè retinuerint, quasi ab ijs nefas esset recedere, hîc sine caussa lectionem mutâ-

mutârunt in, Venetas. Sicut lib. 4. v. 439. pro Atheſam repoſuerunt Atheſim, contra morem Guntheri.

90. *Tam Cereris Bachiq; ferax, & mitis oliuæ Arboris*) Sic. ed. vulgares. At ego pro Et, libenter legerim quàm: vt ſit, quod τῷ Tam reſpondeat. Schoppius tamen meus Ac, reponit, exemplo Plauti, qui iungit, Tam, atq;. Vt Amph. Sc. 1. Tam conſimilis eſt atq; ego. Hoc primùm. Deinde pro oliuæ reſponſuerim, oliui: poſt quod verbum apponenda diſtinctio eſt: ne quis erret, iungendo, oliuę arboris. Non enim oliua dicitur arbor, ſed olea: cuius fructus ſeu bacca, oliua: vnde expreſſus ſuccus ſeu liquor, oleum, oliuum, & oliuitas. Venit hîc mihi in mentem Plinij, qui in parte Italiæ quadam (puto Campania) ſcribit quaſi certamen eſſe Liberi Patris cum Cerere. 7.

92. *nullo munere tardam*) nouè dictum, pro carentem, priuatam, deſtitutam. Notandum hîc γλυκὺ σχῆμα, quo rei inanimatæ notitia & ſenſus tribuitur.

100. *Seu quod ab inuento*) Etymon Mediolani duplex affertur. Poſteriùs approbauit Alciat. IC. Mediolanenſis patricius, Emblem. 2. Vbi vid. Claudij Minois Comment. 8.

104. *Vrbs opulenta nimis*) Sic infr. 350. populoſa nimis. Hæc quoq; partic. Nimis, biblicum quid ſapit. Ea. n. pro valdè, vel admodũ, vel vehementer vtitur vetus Interpres locis penè infinitis. Quamuis & Plautus nonnunquam ſic loquatur: vt Amph. Sc. 1. Nimis pulcris armis prędita, &c. Sic Sempronius Aſellio apud Gell. lib. 13. c. 3. L. Æmilium Paulũ, nimis bonum Imper. ſignis collatis decertare, &c. 9.

107. *Hanc vetus*) Italia in vlteriorem & interiorem olim diſtinguebatur.

116. *citerior*) Neſcio qua auctoritate vel ratione primam producat.

Ibid. *Gracia maior*) Ouid. 4. Faſt.

Italia nam tellus Græcia Maior erat.

Hęc vſitatius Magna Gręcia dicebatur: vt eſt apud Cic. Tuſcul. Quęſt. Vnde aũt Græcia Maior dicta ſit, docet Feſtus, (quem vide.

119. *Scandia*) Aug. ed. *Scanzia*.

126. *ſignato nomine*) i. recens cuſo. κεχαραγμένῳ. Venuſta translatio à re monetaria: qua & Horat. vſus eſt in Arte: 10.

Signatum præſente nota procudere nomen.

Sic enim potiùs ibi legendum videtur, quàm producere. 12.

127. *Dicitur*

Hosted by Google

12. *127. Dicitur à longis ea Longobardia barbis*) Idem etymon Isidorus lib. 9. tit. De gentium vocabulis amplexus est: Longobardi à longis barbis nomen habuerunt. aliter tamen alijs originari placuit. Vide Reinerum Reineccium in Panegyrico, quem Illustrissimo Principi meo D. Henrico Iulio scripsit. Sed malè sentiunt, qui à Bardis Saxoniæ populis, ac non potiùs à bartis, id est, barbis dictos esse Longobardos volunt. Est enim vox Latino Germanica, id est, Longobardica. Guntheri autem & Isidori etymo subscribit etiam Paulus Diaconus lib. 1. c. 9. Certum tamen est, Longobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cùm primitus VVinili dicti fuerint, ita postmodum appellatos. Nam iuxta illorum linguam lang/ longam: Bart barbam significat. Hæc ibi Diaconus.

13. *145. fastum Ne pariat diuturnus honor*) σόφισμα πολιτικὸν hic obseruandum, de Magistratib. non facilè perpetuandis, ad vitandam scil. insolentiam. Quæ causa etiam Romanos mouit, vt exactis Regibus, plerosq; Magistratus annuos esse voluerint. Plura ad hoc institutum annotata vide apud Is. Casaubonum Animaduers. ad Sueton. pag. 25.

149. Vt terra vix inueniatur in illa) Idem de hodiernis Heluetijs confœderatis vsurpare licet.

14. *152. armorum patriam virtute tueri*) Virtute armorum ita dixit, vt Plautus, virtute belli: quem imitata doctissima fœmina Sulpicia sic cecinit in Satyra sua:

—— Duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.

Sic & aliâs sæpè Gunth. virtutem pro fortitudine militari vsurpare gaudet, exemplo Sallustij, Ciceronis, aliorum. Sic supr. lib. 1. v. 249.

—— Romanum nostra virtute redemptum
Imperium.

Sic infr. lib. 3. v. 544.

—— magna miseram virtute redemit.

156. iure) leg. *iura*.

168. quem mitem contemnit, sentit acerbum) Sic Bened. Arias Montanus in salutis humanæ monumentis, Argum. tab. 51. de duplici aduentu Christi fecit.

Christum

Christum sponte tibi venientem suscipe mitem.
Si non suscipies, experière grauem.

170. *Omnibus Italiæ*) scil. vrbibus.

172. *Ardua sidereum pulsabat vertice cælum*) Sic Babylon à Propheta dicitur vsq; ad cœlos exaltata. Ad Horatianam imitationem, Sublimi feriam sidera vertice (quam rectè hîc etiam Spiegellius obseruauit) addo Ausoni: Idyll. 8. Illum ego si cernam, tunc tangam vertice cœlum. Et Symmach. lib. 1. epist. 46. digito supera conuexa, quod aiunt, tangere. Græci quoq; vsi sunt hoc Prouerbio. Sic enim Aristænetus lib. 1. epist. XI. καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, ἐδόκει τῇ κεφαλῇ ψαύειν τοῦ οὐρανοῦ. Propertius quoq; lib. 1. eleg. 8. dixit ad eand. faciem, contingere sidera plantis: vbi tamen doctissimi viri, palmis substituunt: quos refutat Schoppius meus lib. 1. Verisimil. cap. 6. 15.

173. *Alpemq;*) Sæpissimè Gunther. eos montes, qui Italiam cingunt, & à Germania Galliaq; separant, ac vsitatè Alpes vocantur, Alpem nominat, exemplo Lucani & Claudiani. Huius sunt ista Paneg. 7. 16.

——— *extemplo frondosa fertur ab Alpe.*

Illius hæc lib. 3.

Agmine nubiferam capto supereuolat Alpem.

Quomodo noster lib. 7. v. 222. *Nubifera rupes Alpis transcendere.* Glossar. tamen vet. negat Alpes habere numerum singularem.

175. *Orientis*) Leg. *Orientes.* Quam correctionem etiam inter Pitheanas postea reperi.

180. *vsq; adeò*) Epiphonema habens sententiam, vt puto, ex Marone translatam. Notus enim est versus summi vatis:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Similis est locus apud Cornel. Nepotem: & Lucan. lib. 1. vers. 248.

183. *rebus sublata secundis*) Hoc quoq; hemistichion Virgilianum est ex 10. Æn.

186. *ergo vt tantorum*) Digressio de iure Imperatoris in Italia, tempore Friderici Ænobarbi & retrò Principum Germanicorum.

201. *Claudere iura manu*) Alludit, ni fallor, ad manum regiam, esse in manu alicuius i. potentia, arbitrio: 17.

&, manu emittere, pro è potestate sua, &c. Ex manibus dimittere: Ex manibus eripere, Plaut. Terent. Cic. Sallust. Liuius, Suetonius.] Ab. Oth. Frisingens. multùm tamen hæc imperatoris potestas limitatur, de qua meminit Pompon. in l. 2. ff. de orig. iur. & ad id, quod Imp. omnia iura in scrinijs suis recondita habere dicitur ex l. 19. C. de testam. Quod ad Rom. Pont. egregiè scil. accommodauit Bonifacius VIII. c. 1. De constit. in 6.

203. *Ipso præsente quiescant*) Velut minus lumen superuentu maioris obscuratur & euanescit.

CAPVT II.

1. Nauta, pro nauclero. 2. Plebes. 3. Vulgus mobile, cur immobile etiam dicatur. 4. Fatalis furor & cæcitas. Leonis flagellum. 5. Stimulus iracundiæ cauda. 6. Ducis & militis boni officium simul præstare. 7. Imitatio Virgilij & Ennij. 8. Imber telorum. 9. Dolus pulcer seu bonus. Guntheri loca plurima quæ interpunctione, quæ lectione affecta persanantur.

207. *His modò, quæ posscit terræ cultura, retentis*) Ita legend. & distinguend. sine dubio. Vulgò terræ cultura recentis. Hæc quoq; emendatio mihi à Melchiore Kochio meo primùm indicata, & postea in Pithœi quoq; edit. deprehensa est.

211. *post tristia nubila clarum Sidus*) εἰκὼν elegantissima, quæ sup. quoq; fuit in arg. huius libri:

—— *Ceu sideris ortu*
Illustrata noui plebs Itala gaudet. ——

213. *Viribus*) Pern. siue Pith. vrbib. Quæ lectio procul dubio verior. Et stabiliri potest meo animo ex v. 182. sup. hoc l. Eleganter, fama loquax circumtulit: quod aliàs distulit, id est, disseminauit, sparsit, vulgauit.

1. 226. *Nauta*) Nautam καταχρηστικῶς dixit pro Gubernatore seu Nauclero. Non enim cuiusuis est nautæ arte ratem temperare, clauumq; regere. Notanda est hæc insignis comparatio, & ex antithesi conferenda cum descriptione tempestatis & naufragij, quæ est infr. lib. 10. v. 374. & seqq. Vel ex similitudinibus istis, quas vno loco colligam in INDICE, & ex orationibus, quas passim huic historiæ inseruit luculentas, elucet summum Guntheri ingenium, si alia eius documenta deessent.

240. *phas*

240. *phaleratis vocibus*) vt lib.3.vers.363. phalerata mandata,&c.

253. *facti*) malim,*factis*.

269. *Esurie*) VVechel.ed.malè,*Esurijt*.

299. *arsura*) Aug.ed.*ansura*. Quid si mansura?

305. *plebes*) Antiquum & Ennianum verbum:quo & Sallustius,& Ausonius,& Liuius sæpiss. vti gaudent.Ennij hi sunt versus memoria digni, quos & B. Hieronymus in Epistolis suis laudat: 2.

Plebes in hoc regi antistat loco:licet
Lacrimare plebi; Regi honestè non licet.

Sic Auson.Idyll.1.*Noxia quem scelerum plebes tremit*. Idem Mosella: *Lata operum plebes*. Sic trabes pro trabs est apud Lucan.lib.10.*Crassumq; trabes absconderat aurum*.

307. *Girardi consulis aedes diruit*) Aug.ed.ædem. De ædib.pœnæ causa diruendis dicam inf.extremo lib. 8. vbi docebo, videri hunc morem apud Mediolanenses durasse inde vsq; à Rom.Reip.temporib.

330. *ereptos victoribus eripit agros*) Nam vt ptouerbium habet,Fortis in fortiorem incidit. Et sacræ litteræ inquiunt:Væ qui spolias,quia spoliaberis.

334. *vetustas*) peccabat hîc vulg. lib. distinctio. Sed iunge, ruinas vetustas:non autem, vetustas erexit: ne inquam putes vetustatem erexisse, sed vrbs illa erexit seu instaurauit vetustas ruinas.

355. *immobilis vulgi*) Cur ita ? Annón secundum Phocylidem,πολύτροπον ἦθος ὄμιλος ; & vt ait Sallust. Iugurth.vulgus plerumq; solet esse ingenio mobili, seditiosum atq; discordiosum,cupidum nouarum rerum,quieti & otio aduorsum? Est ita.Sed vt Fortuna,Ouidio teste: 8.

——*tantùm constans in lenitate sua est*,

sic Gunth.dicere vult,istud vulgus tantùm in sua improbitate esse immobile, cum cæteroqui maximè sit mobile.

361. *gaudebat habere*) ἠγάπετο ἔχειν.Græcismus, quo & infr.vtitur aliquoties.

363. *frustraq; citatos legibus*) id est,contumaces.De citatione trib.edictis facta dixi sup.ad lib.1.v.632.

368. *omnis*) Pern. siue Pith. omni. Vt mox infr.380. Omni plena bono.

369. *bono ſpumantes nectare cellas*) ita legend.& diſtinguend.videtur.

384. *ſedes innoxia*) Sic iuuenalis:

—— *cum quo*
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.

Res enim vel anima carentes, vel animantes mutæ iniuriam facere, & noxiam contrahere non poſſunt : vt eſt in tit:Si quadrup. pauper. feciſſ.dic.

389. *vt ſi quis caſtrorum*) Similia interdicta prouocationum & duellorum vid.lib.7. v.348. inter leges militares Friderici.

401. *medius*) ſupple,tamen. Præceſſit enim,licet.

413. *Rhodano quas*) Aug.ed.quas Rheno. Non rectè.

414. *Bertholdus*) Eiuſdem & infr. fit mentio lib. 5. v.308. vbi eius cum Reinaldo tranſactio auctore Friderico facta refertur. Fuit autem Dux Zaringię ſiue Zeringengenſis appellatus:Et ad eum ſcripſit Papa Innocentius III. celebrem illam epiſtolam contra Philippum, Sueuiæ Ducem, Friderici noſtri filium : quæ extat in c. venerabilem. 34. extr. de electione & elect. poteſt. Vbi multa ille de ſuo iure in electione & examine Imperatoris falsò iactat.

419. *Taneramq;*) Aug.ed. Tancramq;.

430. *validorum*) Sic rectè Pern. Alij nullo ſenſu aut metro,*validiore*. Aug.ed. *validore*, & in correct. validiore. Error natus ex notis.

441. *ſectantibus*) fort. *ſpectantibus*.

445, *Tarquinum*) Leg. *Tarquinium*. Virg. Æneid. 8.

Nec non Tarquinium eiectum, &c.

454. *Prima dies*) Initia in bellis magnum momentum faciunt in vtramq; partem, pro vt ſeſe dederint. Bella enim ſtant fama, vt ait Q. Curtius.

459. *auguſtam*) Pith. anguſtam.

464. *Apicius*) A page hinc Apicium, qui à gula nominis celebritatem adeptus eſt. Placet enim valdè emendatio Iac. Cuiacij, qui Guntherum iuxtà cum Hotomano, cuius tamen aliarum rerum fermè omnium æmulus atque aduerſarius erat, fecit plurimi. Is ergo Cuiac. libr. 5. Feud. in commentar. ad conſtitutionem Friderici De pace Conſtantiæ, legend. hîc docet Opitius: cùm & Otho Friſing. lib. 2. hiſtor. Ænobarbicæ c. 16. ſic ſcribat: Marchio Opitius,

Opitius, cognomento Malaſpina. Imperator tamen Opizonem vocat in d. conſtit. de pace Conſtant. vbi gratiam ei facit iſtius rebellionis, de qua hîc fit mentio. Et ita rectè Pith. apud Pernam edidit.

470. *ſtimulare & compungere)* His verbis ad nomen Spinæ alludit.

474. *ſtolidus furor)* Sæpè numero homines fatali errore vel potiùs furore in propriam ruunt perniciem, & volentes pereunt. Quam in ſententiam extant verſus elegantes & graues apud Lycurgum Orat. contra Leocraten, Latinè redditi à Phil. Melanchthone, quos cum omnibus noti ſunt, hîc parco adſcribere: vt & Lucani verſus. Sic Velleius Paterculus lib. 2. Quippe ita ſeres habet, vt plerumq; cui fortunam mutaturus eſt Deus, conſilia corrumpat, efficiatque (quod miſerrimum eſt) vt quod accidit, etiam meritò accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat. Sic & Ammianus Marcellin. lib. 14. Solent manum iniectantibus fatis hebetari ſenſus hominum & obtundi. Idem libr. 17. In Tagetis Tuſci libris legitur, Veiouis fulmine mox tangendos adeò hebetari, vt nec tonitrum, nec maiores aliquos poſsint audire fragores. Eodem ſæpè alluſit Q. Smyrneus: vt lib. 1. *λυγρὰι ἧ μιν ἀτρύνεσκον κῆρες*, &c. Et poſtea eod. lib. *ἦ σεῦ πολυμήνης μάνιαρες. Φρένας ἐξελόοντο καὶ νόον, ὄφρα σε κῆρες ἀμειλιχοι ἀμφιχέωνται.* Et lib. vlt. *παρὴ παρὸς γὰρ νόον ἀνδρῶν αἶσα κιχὴ.* Et lib. 12. *κῆρες γὰρ πάντων νόον ἔκπαλον.* 4.

475. *gens pradita)* id eſt, damnata. Sic vice verſa damnatus pro perdito inf. v. 488. Quid quod Plautus quoq; his verbis promiſcuè vtitur? vt cùm ait, capitis aliquem perdere, pro damnare.

482. *vt leo)* Comparationem hanc illuſtrem expreſſiſſe videtur ex illo Salomonis: Ira regis, ira leonis.

483. *Exueratq́;)* Ita reſtitui, cùm antea in O. l. legeretur, *exueritq́;*. Præceſſit autem, manſueuerat, cui hoc verbum in modo reſpondere certè oportet. Contrario modo erratum erat infr. lib. 3. v. 70. vbi legebatur, verterat, cùm ſit verum, verterit.

484. *Si quis eum iaculis)* In h. & ſeq. v. tam lectio, quàm diſtinctio peccabat, ſenſumque vitiabat. Pro, eum, legebatur, cum. Deinde perperam iungebantur hæc: irri-

Hosted by Google

tet generosi pectoris iram: cùm sint iungenda: Iram dissimulat reprimitque. Sed περισσυγραφίας infinitas ex hoc opere sustuli, quas non semper necesse est indicari, cùm à quouis attento lectore facilè deprehendantur. Augusted. quam postea vidi, quo ad distinctionem post, irritet: mecum facit.

485. *Praditus*) Probo coniecturam Pithœi, legentis, Perditus.

5. 489. *tunc se stimulante flagello Incitat*) De hoc iram colligentis leonis more videndus & Plinius lib. 8. c. 16. & Lucanus lib. 1.

Mox vbi se saua stimulauit verbere cauda, &c.

Plinij hæc de re verba sunt ista: Leonum animi index cauda. Et mox: In principio terra verberatur: Incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur. Adde & Catullum Galliambo: Age, cæde terga cauda; tua verbera patere. Sic ibi Cybele leonem exhortatur.

564. *Aggressus aditusq;*) ἐκ παραλλήλου hæc duo nomina iunguntur, ne quis τὸ aggressus pro participio habeat.

515. *implicet*) malim, impluat, vt infr.

520. *Fundaq; fatifero tenerum secat æra plumbo*) De vehementia & impetu fundæ eiaculantis glandes plumbeas vsque ad liquefactionem, vide quæ notabo infrà, lib. 10. v. 354.

523. *seq; exhortantur in arma*) Significat militaria celeusmata, quæ vocantur vt inf.

531. *Appensiq; cruci*) id est, furcæ. Sic. lib. 9. v. 559. appensum ligno, dicit. Aug. ed. aspensiq;.

540. *oppugnat & adsilit hostes*) Oppugnare quidem eminus potuit. At (inquit Schoppius) quomodo hostes adsilire potuit, qui vrbe clausi? Fort. legend. adlicit, id est, ad pugnandum irritat & prouocat. Sed nec hoc ipsi satisfacit.

542. *præsens*) Eidem Schoppio melius videtur præses.

6. 546. *perfecti militis vsum, Officiumq; simul discreti Principis implet*) Similem locum vid. lib. 4. v. 288. & seqq. Sic de Catilina Sallust. Multum ipse pugnare: sæpè hostem ferire: strenui militis & boni Imperatoris officia simul

mul exequebatur. Sic de Alexandro Magno Q. Curtius: de alijs alij ſcribunt. Sed tamen corporis munus à milite; ab Imperatore verò animi poſcitur : vt ex Xenophontis ſententia ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 25. Nec temerè prœlio intereſſe Imp. debet.

556. *cruorem*) Diſtinguebatur hîc malè, ſic, quaſi iungenda forent, cruorem ſanguinis. Vt taceam, quod ita nemo ſanus loquitur, quorſum pertinuiſſet τὸ fluuio? At ſanguinis fluuius elegante hyperbole dicitur.

559. *Nulla eſt audacia maior*) Locus communis de fame imperioſa & indomita: ad quem vid. quæ notaui in Comment. Oppiani.

575. *certa pugnat pro morte*) id eſt, pro aqua lætiferâ, certò mortem allaturâ ob infectionem ſeu venenationem.

579. *Vltrò*) f. *vltrà*, id eſt, inſuper.

598. *ferreus imber telorum*) Sic lib. 9. v. 353. Vndique tela pluunt. Sic ferreus imber elegantiſſimè dictus eſt ab Ennio, hoc verſu: 7.

Haſtati ſpargunt haſtas: fit ferreus imber. 8.

Quem imitatus Virgilius 12. Æn. hæc fecit:

——— *It toto turbida cœlo*
Tempeſtas telorum, & ferreus ingruit imber.

Ipem Virgil. alibi telorum copiam cum niuibus comparat, Æneid. 11.

——— *Fundunt ſimul vndiq; tela*
Crebra niuis ritu.

Sic Latinus Pacatus Drepan. Panegyr. Effuſis hinc inde ſagittarum nimbis. Aureos autem imbres Corippus Poëta inprimis elegans vocat miſſilia aurea.

607. *tota mente recepit*) quaſi dic. cùm priùs laboraſſet veſania & alienatione mentis, iam ad ſe redijt: iam pectus reuocauit, vt Guntherus loquitur, eò reſpiciens, quod heroici motus atque impetus hominem, quem arripuerunt, quaſi extra ſeſe in ecſtaſin quandam rapiunt. Pflug. tamen leg. cenſebat: tota mente, id eſt, integra: vt Liuius initio procœmij ſui totam mentem vocat eam, quę à perturbationibus & ſollicitudinibus libera eſt. Quomodo & alij vtuntur.

Hosted by Google

612. *tantum)* Videtur tam verbo, consurgere, iungi posse, quàm cum seq. plebeium. Pflug. malebat, in altum pro tantùm.

618. *Monarchiam totius sumere mundi)* An Rom. Imperium sit quarta & vltima mundi monarchia, grauis est controuersia, mota à Iohanne Bodino Gallo contra communem ac receptam ex literis sacris opinionem: quam contra ipsum defendendam suscepit Matthæus Dresserus, à Bodino per contemptum homo de Schola appellatus.

627. *solida fodiendo viscera terræ)* Describit cuniculos. Et viscera terræ vsurpat, exemplo Ouidij, interiores eius partes, quæ sunt Græcis ἔντερα: Sicut in animali eæ partes sunt abditæ & profundæ.

635. *protinus occurrens)* Simile quiddam in obsidio Viennæ Austriæ à Christianis aduersus Turcas cuniculos agentes factum memoratur.

640. *Vlterior cælo non reddidit)* Schoppio placebat rescribi, vlterius.

657. *miles duce fretus vtroq;)* Sic restitui, cùm legeretur, vterq;. Nam quis est miles vterq;? At vtroq;, id est, & Othone Com. Pal. & Duce Allobrogum.

659. *Ablatis furtim scalis)* Ego verò, vt muri fastigia conscendi possint, Adlatis, non Ablatis scalis opus esse iudico. Ita ergo restituendum. Voluit exprimere Germanicum illud: **Die Leitter anlehnen.**

9. 663. *pulcro sublatæ dolo)* Alludit ad dolum bonum, qui à Iurisconsultis vocatur, estq; positus in solertia Strategematum. Sic apud Quintum Smyrneum 12. Paralipom. Vlixes ὑπεθήκατ' ἀχαιοῖς μῆτιν καὶ δόλον ἐσθλὸν. Sic ἀγαθὰ δικαίων dixit Æschylus.

vers. vlt. *capto muroq; repellunt)* f. castro muroq; repellunt. Schoppius.

NOTARVM LIBRI
SECVNDI FINIS.

NO-

Hosted by Google

NOTARVM AD GVNTHERVM LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

1. De Euchariſtia quædam ex antiquitate repetita non protrita. 2. Sanctorum reliquiæ. 3. Pulſare precibus, conuicio, lite, actione: pro, laceſſere vel conuenire. 4. Boni cum malo non perdendi. 5. Proueniſſe etiam pro rerum malarum copia. 6. Fœdus naturæ inter homines. 7. Deſperatio in audaciam vertit. Guntherus emaculatus.

V. C *Ertè)* malim, certæ.

6. *9. Altaris)* Sic & Sancti Patres tam Græci, quàm Latini de Euchariſtia loquentes paſſim dixerunt Aram, Altare, θυσιαστήριον: ipſámq; Euchariſtiam nunc oblationem, nunc ſacrificium, nunc hoſtiam: quæ appellatio adhuc hodie hæret in pane conſecrato, etiam inter idiotas. Sed ad differentiam ſacrificiorum & victimarum ſeu hoſtiarum veteris fœderis hoc appellârunt Incruentum ſacrificium: Græci ἀναίμακτον θυσίαν: non quo voluerint Laicos vſu calicis prohibere, & communicatione ſanguinis Dominici arcere: [hoc enim grande ſacrilegium vocat ipſe Papa Gelaſius in c. 12. comperimus. De conſecrat. diſt. 2. Vbi vult, aut integra quemq; Sacramenta percipere, aut ab integris arceri debere: qui textus cùm ſit generalis, nequaquam (ſi verum amamus) ad ſolos Sacerdotes eum reſtingere poterimus, quod facit auctor rubricæ ſeu ſummæ. Neque enim nigrum per rubrum reſtringi, ſed hoc ſecundùm illud intelligi debet, vt cum vulgo Topicorum legalium loquar.] Sed ideò, vt dicebam, ne quis putet, hîc ſanguinem effundi, vt in priſcarum victimarum mactatione: vel etiam oppoſuerunt hanc appellationem criminationibus & calumnijs Paganorum, de quibus ex Tertulliano alijsq; conſtat, quòd Chriſtianos infandæ cuiuſdam αἱματοποσίας inſimulârint. Vt autem hîc & de tempore Cœnæ Dominicæ ſumendæ, alijsq; circa eandem priſcis ritibus at ſollennibus aliquid ὡς ἐν ἐκτροπῇ adſpergamus: primitiuæ Eccleſiæ ho- 1.

mines cotidie ea vtebantur: vnde θυσία καθημερινὴ, id est, cotidiana hostia apud Chrysostomum dicitur homilia 3. ad Ephes. Quotidiè iteratur hęc oblatio, & quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur: inquit Paschasius, & B. Augustinus in c. 71. & seq. De consecr. dist. 2. Et in Sententijs Prosperi: Christus semel immolatus in semetipso, quotidie immolatur in Sacramento. c. 52. semel. ead. dist. De consecrat. B. Ambrosius in c. 10. ad Hebr. Nónne (inquit) per singulos dies offerimus? c. 53. ead. dist. 2. Eodem libens retulerim Plinij de Christianis testimonium lib. 10. Epistolarum ad Traianum Imper. vbi scribit, solitos esse stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem, seque Sacramento obstringere, &c. Quamquam ibi Sacramenti verbum & de iureiurando simpliciter accipi possit: & status ille dies fortasse sit ἡ Κυριακὴ ἡμέρα, id est, Dies Dominica: de qua placet adscribere locum ex Epist. 3. B. Ignatij, viri Apostolico spiritu pleni. Καὶ μετὰ τὸ σαββατίζειν ἑορτάζέτω πᾶς φιλόχελος τὴν Κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὑπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τῷ θανάτῳ γέγονε νίκη ἐν χελεῷ. ὃν τὰ τέκνα τῆς ἀπωλείας ἀρνοῦνται, &c. Id est: Post Sabbathi cultum quisquis amat Christum, celebret diem Dominicam, resurrectione videlicet Domini insignitam, illam reginam ac Principem omnium dierum: in qua & vita nostra exorta est, & mors per Christum deuicta: quem filij perditionis abnegant. Ergo, vt dicebam, vel quotidie, vel certè quot diebus dominicis Cœnam hanc sacram celebrabant veteres Christiani. Plus dico, etiam domi quisq; suæ Eucharistiam seu Communionem sacram cuiuis cibo præmittebant: vt ex Tertulliano & Hieronymo obseruauit Beatus Rhenanus Annotat. ad librum de Corona militis. Sed vt paulatim ardor Christianismi refrixit, & sinceritas eius contaminata est, & adulterata religionis simplicitas: ita & cœnæ sacræ rarior esse vsus cœpit, quasi assuetudine crebritateque illa metuendum esset, ne vilescceret. Restrinxerunt igitur eam ad certa quædam tempora, quæ alijs temporibus sanctiora habebantur. Et Chrysostomus quidem d. homilia 3. significat, suo æuo in Ecclesia Græca συνήθειαν καὶ νόμον fuisse, vt tempore Quadragesimæ & Die Epiphaniorum

rum participarent mysteria. Sed ipse grauiter illum morem eamque legem reprehendit atq; oppugnat, conquerens, quòd Sacerdotes extra illa tempora quotidie frustra adstent ad altare; nemine Laicorum participante, quodq; frustra & dicis caussa vocetur καθημερινὴ θυσία. Vrget itaq;, sæpius participandum esse. Idemque facit homilia. supr. in ep. 1. ad Timotheum, & homil. 6. vocat λατρείαν καθημερινὴν. In Concilio autem Agathensi decretum legimus, vt mimiùm ter in anno vnusquisq; Laicus communicet: in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste. Qui ne his quidem temporibus communicaret mysterijs, inter Catholicos non haberetur. Relatum est in c. 19. De consecrat. Dist. 2. Eademque tempora & Fabianus Papa præscribit in c. 16. ead. Dist. non vt ne frequentius, sed ne rarius quisquam communicaret. De quotidiana verò communione B. Augustinus lib. de Ecclesiast. Dogmatibus, cap. 53. sic sentit, vt institutum illorum, qui Eucharistiæ communionem quotidie percipiunt, nec laudet, nec vituperet: hortetur tantùm & suadeat, omnibus dieb. Dominicis communicandum. In epist. verò 118. c. 3. iubet, vnumquemq; facere, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum: h.e. vniuscuiusq; conscientiæ & pio arbitrio hoc relinquit. c. 13. De consecrat. Dist. 2. At Nilus Episcopus & Martyr in Capitulis seu Paræneſibus suis etiam quotidianam suadet communionem. Sic enim ait: πάσης ἀπέχου φθορᾶς, καὶ τῆ μυστικῆ θείωνι πᾶσαν ἡμέραν μέτεχε. ἄν τω γὰρ χρισθῆ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον γίνεται. Sed & hoc in dubium à nonnullis reuocatum reperi, an illo ipso die, quo Cœna sacra primùm instituta est à Saluatore nostro, rectè eadem sumatur. Et sumendam esse ab omnibus fidelibus, præcipit Soter Papa, idq; (vt ipse ait) ex vsu Ecclesiastico: quo etiam Pœnitentes post satisfactionem Canonicam ad communionem recipiantur. Sed & Baptismum, primum Noui fœderis mysterium, in quo ianua salutis aperitur, vt inquit Leo Papa epist. 35. ad certa aliquando tempora restrinxerunt (excepto tamen casu necessitatis) vt ad Pascha & ad Pentecosten. c. 22. celebritatem. De consecrat. Dist. 3. c. 11. non ratione. & c. 12. duo tempora. & 6. seqq. De consecrat. Distin. 4. Cuius instituti rationem inuestigat Leo Papa, ep. 4. Verùm ad Eucharistiam paulisper redeamus: ad

cuius

Hosted by Google

cuius priſca ſollennia hoc quoq; pertinet, quod non niſi à ieiunis hominibus ſumenda ſit. c. 49. Sacramenta altaris. De conſecrat. diſt. 1. c. liquidò. 54. De conſecrat. diſt. 2. Et hoc quoq;, quod ſancti Patres primùm ſuaſerunt, vt coniuges aliquamdiu ante vſum ſacræ Cœnæ à complexu maritali abſtinerent atq; ſecubarent: vt Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius Magnus: quorum ſententiæ à Gratiano referuntur, cauſ. 33. quæſt. 4. Tandem Eliberitano Concilio conſtitutum hoc & ad neceſſitatis legem productum eſt, vt coniuges tribus vel quatuor, vel etiam octo diebus antè ſecubent, ſeſeq; à concubitu contineant. c. 21. omnis homo. ead. diſt. 2. Quomodo & inter paganos vſitabatur, vt pridie ſaltem à Venere purum ſeſe præſtaret, qui ſacris operari aut intereſſe vellet: quod ex Tibullo alijsque Poëtis didicimus. Audiuerant nimirum aliquid etiam Ethnici de illis Dei edictis, quibus per Moyſen populo poſtridie in conſpectum Dei venturo munditiam ſanctimoniamq; præcepit. Priuſquam verò ſacra communio adminiſtraretur, proclamabat Præco, vt quidam, quos tantis myſterijs (quæ ſæpiſſimè φρικτὰ, q.d. horrenda ſeu veneranda, Græci Patres, vt Chryſoſtomus, Nazianzenus, Damaſcenus, alij vocant) intereſſe nefas ducebant, exeſſent. Ac de Catechumenis quidem notaſſe eſt, eos ab hac λειτουργίᾳ, ſeu actione ſacra ſubmoueri conſueuiſſe, vt qui myſterijs nondum ſatis initiati eſſent. Atq; hæc erat, quæ dicebatur Miſſa catechumenorum, id eſt, miſſio vel dimiſſio. c. 67. Epiſcopus. De conſecrat. diſtinct. 2. Nam & B. Cyprianus ſæpè miſſam vel remiſſam pro remiſſione vel miſſione vſurpat, magiſtri ſui exemplo Tertulliani, ad quem vide Annotat. eruditiſſimi Beati Rhenani in lib. 4. aduerſ. Marcionem. Iubebantur autem & Pœnitentes exire (id eſt, qui ob maius aliquod delictum ſeu peccatum mortale ſacris interdicti publicam agebant pœnitentiam, & Eccleſiæ, cuius diſciplinam læſerant, hoc modo ſatisfaciebant ex arbitrio Epiſcopi) & qui orare neſcirent. Putaui, Sacerdotem ipſum clara voce ſolitum jubere id hominum genus abire. Sed aliter me docuit Chryſoſtomus, qui d. homil. 3. ad Eph. certi præconis meminit. Sic enim ait: ἀκούεις ἐξωτ@ τῦ κήρυκ@, καὶ λέγοντ@. ὅσοι ἐν μετανοίᾳ, ἀπέλθετε. ἀπέλθετε, οἱ μὴ δυνάμενοι δεηθῆναι.

Nimi-

Nimirum cum Pagani à ſuis falſis ſacris procul eſſe profanos iuſſerint (quod multis & Græcorum & Latinorum auctorum teſtimonijs probat Ampliſſ. Briſſonius lib. 1. De Formulis) multò hoc iuſtius à Chriſtianis factitatum eſt, & adhuc fieret, ſi ij eſſemus, qui eſſe debemus, hoc eſt, ſi diſciplina vigeret Eccleſiaſtica, quæ non minùs, quàm vel militaris vel ciuilis ἔρρειν καὶ οἴχεσθαι. Illis abire iuſſis, ad eos, qui remanſiſſent communicaturi, Sacerdos Præfationes quaſdam certas ac ſolennes ad præcipua Chriſtianorum feſta accommodatas ipſi communioni præmittebat: quæ adhuc paſſim locorum laudabiliter retinentur. Egregium enim pietatis incentiuum in ſe continent. Harum nouem canonizantur approbanturq; in c. 70. & c. ſeq. De conſec. Diſtin. 2. Poſt hæc Panis ille myſticus frangebatur, & quidem per ipſum Sacerdotem, ab eoq; inter communicantes (quibus eum non in os inſerebat, vt hodie fit, ſed in manum porrigebat) diſtribuebatur. Fractio panis ex Diuo Paulo 1. ad Corinth. ſumta, etiam à B. Ignatio inculcatur, epiſt. 11. ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Θεῷ, διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ. καθαρτήριον ἀλεξίκακον, id eſt: Frangentes panem vnum, quod eſt Pharmacum immortalitatis, antidotum mortis, vitamq; concilians in Deo per Ieſum Chriſtum, medicamentum vitiorum & malorum omnium expulſiuum & purgatorium. Eadem porrò fractio diu in vſu Eccleſiæ manſit, vt apparet ex B. Auguſtini ſententia relata in c. 37. cùm frangitur hoſtia ex confeſſione ſeu Palinodia Berengarij in c. 42. Ego Beringarius. De conſec. diſt. 2. De Sacerdote quod dixi, eum fuiſſe ſolitum frangere panem Euchariſticum, probatur per reſcriptum Honorij III. in c. 7. Thomas extr. De corpore vitiatis ordinand. vel non. Vbi vult Papa, non ideò minùs ordinandum eſſe Sacerdotem, quòd vngula pollicis (vnguem dicere voluit. Nam vngula quadrupedum propria eſt) ei auulſa ſit, dummodo ſatis adhuc pollens potensq; ſit pollex (alludit ad etymon pollicis) ad frangendum Euchariſtiam. Sed Rotomagenſis tandem Synodus vetuit, Laicorum manibus Sacrum illum panem contingi, eumque per manum Sacerdotis cuique in os inſeri voluit. Hoc ampliùs etiam aquam admiſcebant vino Calicis Dominici: quam quidem mixtu-

ram

tam adeò neceſſariam aliqui exiſtimârunt, vt ſine ea hoc myſterium non rectè celebrari putârint. c. 1. 2. 3. 4. 5. & 7. De conſecrat. Diſt. 2. Maximeq; in hac ſententia fuit Cyprianus, ex cuius Epiſtolis, maximè lib. 2. ep. 3. dd. cc. 2. & 3. ſunt deſumpta. Iuſtinus Martyr quoque Apologia 2. (quam Imperatori Antinino Pio pro Chriſtianis obtulit) aquæ huius iuxta cum pane & vino meminit: aliosq; ſimul circa Euchariſtiam tunc temporis vſitatos in Eccleſia ritus refert. Vtebantur & cannis ſeu fiſtulis, quibus ſanguinem Dominicum ex calice exorberent, maximè Laici: quod idem probat teſtimonijs Beatus Rhenanus d. loco. Sed & quoties Cœnam celebrabant, ſinguli Deo aliquid offerebant: quem Sanctorum Patrum vſum confirmat & Pontifex in c. 69. omnis Chriſtianus. De conſecrat. diſt. 2. Hinc ipſum Panem ſacrum, vel potiùs complures buccellas, oblatas dixêre: quod verbum etiam in vſu vulgi noſtri ſine vllo ferè intellectu ſubiectáue notione remanet. Quia verò hoc etiam bono pioq; fortaſſe ſtudio conſtitutum eſt, vt in Miſſarum ſolennibus preces ad Deum pro animabus defunctorum funderentur: c. 72. viſum eſt. & c. ſeq. De conſecrat. diſt. 2. hinc illa tandem inualuit opinio, non pro viuis modò valere atq; efficax, ſed etiam pro defunctis offerendnm eſſe Deo iſtud ſacrificium. Ac Miſſæ pro defunctis mentio fit in c. 24. non mediocriter errant. De conſecr. diſt. 5. Vbi quaſi Hieronymi verba referuntur. Sed nimis, meo quidem animo, manifeſtè παρεμβεβλημένα ſunt iſta: Dum igitur pro cunctis animabus: vſq; ad. Audiant itaq;. Cùm enim non cohæreant neq; cum antecedentibus, neq; cum conſequentibus, quouis Sacramento contendam, Hieronymi non eſſe. Sunt autem Oblationes pro defunctis etiam apud Tertullianum, antiquiſſimum apud Latinos Scriptorem Eccleſiaſticum, in libro De Corona militis, & De Monogamia. Quid? quod Ioan. Damaſcenus περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων, &c. (niſi ſcriptum νοθεύεται) ad ipſos Apoſtolos auctores Oblationem ſeu Miſſam pro defunctis refert. Sic enim ait: οἱ δὲ μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι τοῦ λόγου, οἱ δὲ τοῦ κόσμου γύρον ζωγρήσαντες μαθηταὶ τοῦ σωτῆρος καὶ θεῖοι ἀπόστολοι, ἐπὶ τῶν φρικτῶν καὶ ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων μνήμην ποιεῖσθαι τῶν πιστῶν κεκοιμηθέντων ἐθέσπισαν. Idq; ait βεβαίως καὶ λίαν ἀναμ-

πρέπ-

πρῴπως, id est, firmiter sineque omni contradictione, ab Apostolica & Catholica Ecclesia tum ab initiò sic seruatum esse, tum porrò ad finem vsque mundi seruatum iri. Quod sumpsisse videtur Damascenus ex Ioanne Chrysostomo homilia 3. ad Philippenses. Imò & prior Chrysostomo Arnobius extremo lib. 4. testatur, Christianos in conuenticulis suis solitos pacem cunctis & veniam à summo Deo postulare, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione. Plura ad notitiam antiquitatis Ecclesiasticæ circa horum mysteriorum vsum pertinentia non vulgaria reperies apud Beatum Rhenanum, quem non compilabo: ac potiùs, quoniam satis exorbitaui, tandem ab hoc, quasi diuerticulo, non iniucundo, vt spero, illuc vnde digressus sum, redibo in viam.

16. *profugata*) fort. legend. proculcata. An flagellata? vt inf. v. 53. templa flagellantur. Sic flagella tormentorum dixit lib. 7. v. 533. Et flagellatam tormento molem lib. 8. v. 51. Et, tecta flagellant, lib. 10. v. 353. Schoppius tamen reponebat: En profugus alta, vel, celsa miss. Sed præfero his coniecturis omnibus lectionem Nobilissimi Christoph. Pflugij: hanc: Ecce profligata.

21. *nudo vestigia gressu Figentes*) Tales infr. Mediolanenses Friderico occurtunt.

22. *tum*) sic legend. puto, vbi vulgò, tunc. Per pios cineres intelligit hic eas, quas vocant Sanctorum Reliquias. Per has cum constet, olim miracula edidisse Deum ad conuertendos infidelium animos, postea hominum superstitio Idola ex ijs fabricauit: sæpè etiam nescio, quæ ossa pro ijsdem venerata est, ab impostoribus & nundinatoribus venditata.

50. *Sed bella nec illos*) Quos vsus bella non sinunt exercere? Nimirum studiorum, Psalmorum & precum, ad quas faciendas conuenire non licet per tumultum bellicum. Non solùm igitur Leges inter arma silent, sed & preces. Vt autem hîc precibus pulsare Deum dixit, ita Iustinianus sæpè solet dicere, pulsare aliquem actione vel lite, pro iudicio conuenire. Hinc rectè in vet. Glossario: Pulsat, αἰτᾶται. Pulsati, καταιτῶμενοι. Vbi non rectè scribi censeo, καταιτιαμένοι. Arnobius lib. 4. Ne vestras aures conuicia aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniurijs.

55. Ergo

55. *Ergo pius pariter*) Confer locum huic geminum, qui est lib. 5. vers. 134. & Senecam, apud quem Nutrix ad Hippolytum, omne muliebre sexus propter vnam Phœdram oderat: Cur (inquit) omnium fit culpa paucarum scelus? Sumpsisse autem ista Gunth. videtur ex colloquio Abrahami cum Deo, quod Genes. 18. describitur:
4. Numquid perdes iustum cum impio? Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram. Nequaquam facies iudicium hoc. Quid? quod Ethnici quoque aiunt, propè abesse ab interitu eam Rempub. in qua

ἐν ἰῇ πμῇ ἡ μὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Interdum tamen sit, vt secundùm Horatium Diespiter neglectus incesto addat integrum: & vt tota ciuitas aut regio vnius ob noxam & furias plectatur: vnde in versu Hesiodi dicitur:

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἰπαυρεῖ.

57. *Si scelerum vindex*) Legebatur antea perperam, *Sic scelerum* v. & mox post, *venisti?* signum interrogationis erat appositum. Quæ ita, vt edidimus, restituenda sunt.

60. *Parce bonis, & perde malos*) Nam qui malis parcit, bonos it perditum, vt sup. lib. 1. v. 479. ex Sallustio, Seneca & Ausonio docui.

70. *verterit*) Legebatur, *verterat*: non rectè.
5. 78. *de more vetusto*) Cicero, More maiorum dicit.

79. *iniustè victrici*) lego, *iniustè*.

88. *In tantis scelerum prouentibus*) Sic Lucanus lib. 2. Tantóne nouorum prouentu scelerum. Exprimit verbum Græcum φορὰ. Rectè Nonius hoc annotauit: Prouentum etiam malarum rerum dici veteres voluerunt. Et idem pag. 221. ed. Paris. Thesaurus (inquit) etiam pessimæ rei copia dici potest. Sic Euripides Ione θησαυρὸν κακῶν ἀνοίγεσθαι dixit. Propertius lib. 2. etiam examen fluprorum.

92. *Vlcisci scelerum noxas*) Hoc & seq. v. continetur officium boni Principis & Magistratus: qui etiam Paulo teste Roman. 13. Dei minister est, ad bonum quidem benè faciendi: ad terrorem verò malè agenti: neque frustra gladium

dium gerit, sed ad vindictam & exerendam iram aduersus delinquentes.

95. *homines fœdere naturæ iunctos*) Sic Seneca 2. controuers. 7. Humanum genus cognatum naturâ dixit. Et IC. Florentinus in l. 3. ff. de iust. & iur. Natura, inquit, inter nos cognationem quandam constituit. Estque in primis memorabile, quod in hanc sententiam Philo scripsit lib. 1. De vita Mosis: ὁ κλείνων ἄνθρωπον, εἰ καὶ δικαίως καὶ ἀμυνόμενον καὶ βιαζόμενος, ὅμως ἔπαιτον εἶναι δοκεῖ, διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ χαλεπὴν συγγένειαν: Fœdus naturæ etiam Ouidius dixit 10. Metamorphos. 6.

105. *Arctantur*) Aug. ed. *artantur*. rectè.

109. *sic pestem peste leuamus*) κακὸν κακῷ ἰώμεθα: quod tamen fieri vetat Sophocles. Sed ἄλλα φασὶν ἄλλοι.

111. *Viuere, nec gratas viuendi noscere causas*) Videtur Gunth. respexisse ad hunc Manilij versum, eumq; παρ' ἓν δῆσαι.

Et propter vitam viuendi perdere causam.

112. *At tu per fidei*) Obsecratio vehemens, vt est tota oratio plena παθῶν.

118. *aliàs quocunq;*) malim, alijs quæcunque alijs, scil. bonis aut rebus. An, omnibus, scil. nobis, ereptis seu abreptis extra Terdonam, quocunq; terrarum aut gentium victori libuerit.

125. *laborem Dissimulans*) vt ille apud Principem Poëtarum, qui

Spem vultu simulans premit altum corde dolorem.

Iungenda autem videntur ista: laborem animi: non, vt vulgò distinguitur, Animi documenta.

127. *exemplum sancire*) Sic lib. 6. vers. 566. cunctis exempla relinquat, more Terentij, apud quem est: Exempla fient. Sic & Græcorum elegans est verbum de pœnis, παραδειγματίζειν. Sic alibi Gunth. timorem sancire non semel dixit.

135. *Tandem spe posita*) Desperatio & necessitas fortes efficit. Nihil enim amplius metuunt desperabundi. Sæpè ad hunc locum communem alludit opt. Poëta Q. Smyrneus: vt lib. 2. Paralipom. 7.

——ἐπεὶ μέγα κάρτος ἀνάγκη
πολλάκι μοχθιζομένοισι καὶ ἀπρηνέσσιν ὀπάζει.

Vt lib. 12.

τρωσὶν γὰρ ἐνέπνευσεν μέγ' ἀνάγκη
θάρσος, ὅπερ πρὸς ἄρηα καὶ ἀπόπονόν περ ἐγείρει.
κάρπιμοι ἦ τότ' ἄνδρες ἐπὶ μόθον, ὁππότε θυμὸν
παρθέμενοι γενύσιν ἀφειδήσωσιν ὀλέθρου.

Vt lib. vlt.

—— περὶ γὰρ κακὰ μυρία κῆρες
ἀνδρὶ περισήσανθ'. μένος δ' ἐνέπνευσεν ἀνάγκη.

Vide & Guntherum noſtrum infr. lib. 10. v. 162. vbi plura huc facientia annotabo.

161. reddita) malim, *dedita.*

164. In ſortem cætera prædæ Omnibus) Vide quæ dicam ad v. 468. lib. 10.

209. Vt tuba) Varia inſtrumenta Muſica hîc notare licet, partim ἔμπνευστα, partim ἐγχρουστά.

214. Pæana lætum canat) παιήονα κυγαίνειν vocat Oppianus: ad quem, ſi benè recordor, annotaui, duplicem Græcos Pæana habuiſſe: quorum vno Martem ante pugnam inuocabant; altero Apollinem celebrabant, partâ iam victoriâ. Priore modo vſurpat Euripides Phœniſſis, cuius ibi Scholiaſten vide: & adde Scholiaſten Thucydidis.

219. ſtimulatus Apolline) ἐνθουσιαδής.

221. Quid volui demens) Virgilianum hemiſtich.

222. tentare) Auguſt. edit. *temptata*: quæ lectio non contemnenda videtur.

239. peregrinis ſtatio benè nota carinis) Hîc quoque Virgilianam agnoſcas imitationem. Quod autem nonnulli tales verſus, qualis hic eſt, explodere ſolent ceu monachales, iniuriam facere videntur etiam optimis Poëtis, apud quos tam ſunt crebri, vt penè elegantiam quandam hîc affectârint: quod rectè monet I. Douza in Notis ad Tibull.

240. condicto tempore) id eſt, ſtatuto, conuento. Sic inf. condictam vrbem. lib. 6. v. 398.

242. caput mundi Romam) Sic Auſonius Moſellâ, caput rerum Romam, populumq; patresq;, &c.

259. abſente) nato.

CAPVT

Hosted by Google

CAPVT II.

1. Distinctio Christianorum in Populares seu Laicos, & Clericos. 2. Ars fallendi veritatis specie pingere falsitatem. 3. Caput male firmum cum cæteris membris infirmitatem suam communicat. 4. Seneca leuiter tentatus. 5. Legum senectus, mutabilitas & mortalitas atq; iustitium. 6. Ille & Iste ad quid referantur. 7. Tutela quàm variè accipiatur 8. Asylum Romuli. 9. Belli domiq;. 10. Symmachi locus correctus; alius eiusdem tentatus. 11. Augusto felicior, Traiano mitior. 12. Virtus Francona, id est, Franci. 13. Onustus laude, donis. Plurima Guntheri loca persanata.

262. *Cuius origo*) Digressio in commemorationem caussæ illius contemptus Clericorum apud pop. Roman. Caussa fuit seditiosum & populare dogma Arnoldi Brixiensis, qui Clerum, Monachos, Episcopos, ipsumq; adeò Papam Rom. traduxerat in concionibus ad vulgum, cui hæc cantilena valdè grata accidit, quamuis ipse sæpè non sit melior illis, quibus obtrectat. ὄψον ἐν λόγοις φθονεροῖσι, inquit Pindarus.

265. *edocuitq; diu*) sub Magistro Petro Abelardo Britannico: de cuius ingenio & dogmatibus vid. Othon. Frising.

266. *assumpta sapientis fronte*) ἐπὶ δοὺς σχῆμα σοφῷ ἀνδρὸς.

269. *plebis adulator*) δημοκόλαξ. Poplicola.

270. *Pontifices*) hîc intelligendos esse Episcopos inferiores docet mox sequens antithesis: ipsumq; Papam.

272. *vanis*) Ita reposui, pro varijs. Sic & apud Silium lib. 10. Modius noster pro *vario*, restituit *vano*. *Sed vano quid enim te demoror ager. Leutule, conqueſtu?*

273. *Nil proprium Cleri*) Cum his Arnoldi dogmatis conferri possunt articuli Valdensium relata ab Æneæ Syluio Histor. Bohem.

275. *curæ popularis*) id est, rerum secularium seu mundanarum. Vt mox v. 278. Viros populares vocat, qui vulgò Laici & seculares dicuntur. Sic Clericus & popularis opponuntur infr. v. 329 & apud Ioan. Chrysostomum. De qua distinctione sic scribit Iacob. Cuiacius lib. 1. Feud. tit. 1. §. si verò Archiepiscopus. Vetus est distinctio Christianorum, qua Laici à Clericis separantur: licèt si generaliter rem tractes, omnes Christiani sint Clerici, omnes

Sacerdotes. Aliâs Latinè Popularis est, qui ad populum gratiosus esse studet. An legend. hîc *curis*, id est, aulæ?

287. *falsis admista*) fort. At mista: vt sit, quod respondeat τῷ quidem, quod præcessit.

288. *veris falsa probans*) Pulcerrimus est hic locus ex Philosophia depromptus. Animus humanus ita est à natura factus ad Verum & ad Bonum, & ita ad hęc fertur, vt neq; falsum, nisi sub specie veri, neq; malum, nisi sub imagine boni, vnquam amplectatur. A falso quà falsum,
3. à malo quà malum, per naturam abhorret. Deinde notetur hîc Sophistarum ingenium & mos in circumueniendis hominibus, siue quàm pulcra fallendi arte vtantur. Imitari videtur Guntherus Silium Italic. lib. 11. vbi est: Veris falsa per artem Virrius admiscens-

294. *Impia mellifluis admiscens toxica verbis*) Sic lib. 6. v. 328. Dulcia miscuerant secreto mella veneno, Legati Pontificij.

309. *impuri*) Legeb. antea, *impurè*. Sic paulò pòst vers. 319. *impuri verbi*.

311. *doctrina*) malim, *doctrina vatis inhærens*.

312. *vua gustum*) Videtur alludere ad illud inter Iudæos olim Prouerbij vice iactatum: Patres comederunt vuas, & filijs obstupuerunt dentes: Quod Propheta grauiter reprehendit.

3. 316. *vt caput infirmum*) Conser locum similem lib. 6. vers. 574. Videtur autem Gunth. hanc γνώμην à Seneca mutuatus, vt alia quoq;, de quibus suo loco. Sic enim ille lib. 2. De clementia, cap. 2. A capite bona valetudo. Inde omnia vegeta aut erecta, aut languore demissa, pro vt animus hominum viget aut marcescit. (Vbi legend. puto: vegeta & erecta.) Serenus tamen fontem morborum stomachum facit. Grauissimè D. Iohan. Chrysostomus homil. 6. ad Ephes. πάντα οἴχεται καὶ ἀπόλωλε. τὸ γὰρ κάπον, τὸ τὰς ἄρχοντας νοσεῖν. τῆς γὰρ κεφαλῆς ὑχ' ὑγιαινούσης, πῶς ἂν τὸ λοιπὸν σῶμα ἔυρωστον μένοι.

5. 334. *Senio fessas mutasq; reponere leges*) Sic senium passas leges renouare dixit lib. 8. v. 486. Elegantissimè. Nam vt omnium rerum humanarum est quædam παρακμὴ & senectus, omniaq; orta occidunt, vt ait Sallustius: Ita ne leges quidem sacratissimæ ab hac communi sorte im-

te immunes aut exemptæ sunt. Quæ de re videantur, quæ sæpè disserit Imp. Iustinianus in l. 2. C. de vetere iure enucleando, & in Nouellis suis. Eodem modo & Gellius loquitur lib. 2. c. 24. Legibus (inquit) istis situ atq; senio obliteratis. Pulcrè quoq; Liuius lib. 34. mortalitatem tribuit legibus. Quas tempora aliqua desiderârunt leges, mortales & temporibus ipsis mutabiles esse video, &c. Sic Ammian. Marcellinus lib. 16. scribit: Sullam Dictatorem Leges sumptuarias ex rhetris Lycurgi, id est, axonibus Romam translatas, diuq; obseruatas & senescentes paulatim reparasse. Sic alibi Guntherus dixit: Leges nonnunquam iustitio suppressas silere: vt h. lib. v. 402. & lib. 8. v. 482. Et ruinam morum ac iuris. Sicut ergo IC. Papirius Fronto Peculium simile esse aiebat hominis, quòd scil. nascatur, crescat, decrescat, moriatur, teste Martiniano in l. 40. ff. de peculio: Ita quid vetat, quin idem & de Legibus dicamus. Parum est igitur, Ius ac Leges in ciuitate esse, nisi & νομοφύλακες constituantur, qui iura regere, & temporibus Reip. accommodare leges, & senescentibus vigorem reddere possint.

340. *vtraq;*) Legeb. *vterq;*. Qua retenta lectione hic sensus esset: vterq;, scil. & populus, & eius planus Arnoldus. Sed melius videtur esse id, quod reposui. Vtraq; maiestate, intellige diuinâ & humanâ.

343. *repetatur*) Aug. ed. *repetetur*.

347. *Ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus, error*) Ita omninò distinguendum. Vulgò perperam ponitur distinctio post, fecerat: quasi coniungenda essent, improbus error. Imò improbus à Gunth. dicitur ipse plebis seductor Arnoldus, quem paulò antè stultum appellauit v. 340. & funestum. v. 343. Significat ergo hominem fuisse μωρόκακον, seu stolidè improbum, vt eleganter Buchananus reddidit Psalm. 14.

356. *Ille regentum*) Legend. puto, *Iste*. Sic enim vtuntur Latini, vt Ille ad remotius membrum quod præcessit, Iste ad proximius referatur: vt aliâs Hic & Ille referuntur. Exemplum est mox in v. seq. Sic inf. v. 505. 6.

Quo plus ille dato, quàm gaudeat iste recepto,

Sic Ille & iste sibi mutuò respondent lib. 5. v. 158.

375. *pace*) Nomen pro aduerbio positum. Pacificè.

7. 380. *Plebis tutela Tribuni*) Sic Regum tutela Deus dicitur elegantiſſi. à Scip. Gentili collega meo coniunctiſſimo in Paraphraſi Pſalm. 145. Notum eſt, tutelam ſignificare non modò eam vim ac poteſtatem, quæ eſt tutori in pupillum, ſed quamlibet etiam defenſionem, conſeruationem, ac munitionem. Sic tutela corporis ſui, tutela ædificiorum, tutela viæ, tutela dotis, tutela minorum à Prætore ſuſcepta, &c. paſſim in iure ciuili occurrit. Lucan. l. 4. v. 6.

——— *tutelaq́; valli*
Peruigil alterno paret cuſtodia ſigno.

Hoc amplius non diſſimulabo, Tutelam à Poëtis modò pro tutore & patrono ſeu defenſore, modò pro ipſo cliente vſurpari. Huius exemplum mihi ſubiecit ex Priapeijs carm. 76. *Eſt tutela Rhodos beata Solis.* Sic Horatius carm. Seculari lib. 4. Od. 6. Romanam iuuentutem Dianę tutelam vocat:

Virginum primæ, puerique claris Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ. ———

Illius autem notionis, quando pro tutore ponitur, apud eundem Horatium exemplum eſt lib. 4. Od. 14. ad Auguſtum.

——— *te profugus Scythes*
Miratur, ô tutela præſens
Italiæ, dominæq́; Romæ.

Et lib. 1. ep. 1. rerum tutela mearum cùm ſis. Et in Priapeijs carm. 36. Vulcanus Lemni tutela dicitur. Et carm. 75. Pomarij tutela diligens dicitur Priapus. Eadem notione & Gunth. hic vtitur, Tribunos tutelam plebis indigitans. Quò pertinent hæc Salluſtiana, in frag. Hiſt. lib. 1. Concordiæ gratiâ plebei tribunitiam poteſtatem reſtitui, ex qua omnes diſcordiæ accenſæ. Et lib. 3. Erepta in poſterum vis tribunitia, telum à maioribus libertati paratum. Nota res ex Liuio, qua occaſione & fine inſtituti Tribuni pl.

384. *prouentibus*) fort. Gunth. ſcripſerat, *prouectibus*, quod magis quadrare videtur.

8. 386. *ex laribus paruis & primi Regis aſylo*) De Romuli Aſylo nota res ex Liuio, Dionyſio & alijs. Florus ſeu Annæus lib. 1. Erat in proximo lucus, hunc aſylum facit. Iuuenalis in falſos nobiles:

Et

Hosted by Google

Et tamen vt longè repetas, longeq; reuoluas.
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

De abusu autem asylorum per vrbes Græcas sub Tiberio vid. Tacit. 3. Annal. quæ etiam ad nostros mores accommodari possunt, quando passim similis abusus inualuit. In sacris litteris vrbes perfugij dicuntur asyla, quæ Deus ipse constituit certis quibusdam casibus.

387. *Stramineisq; casis*) Ad has casas & hanc egestatem euertendum esse Romanis, & in necessitate ac miserijs iacendum, si iustitiam sequi & suum cuiq; restituere velint, dicebat in sua contra iustitiam & Ius naturale disputatione Carneades: teste Lactantio lib. 5. c. 17. & epit. c. 1.

389. *extulerant vbi*) puto scripsisse Guntherum, extulerunt vti. Primum enim hęc systole vsitatiss. est opt. auctoribus, sed quę sępè deprauata sit: vt docet Giphan. Coniectan. Lucret. Deinde *vti* sæpè apud Gunth. in vbi mutatum fuisse, alibi demonstraui.

392. *Tunc populus Regi*) Similis mos Spartæ viguit, vt Reges ad bella profecturi mandata certa à populo acciperent. Illud autem, belli domiq́ue Sallustiano, imò & Plautino & Ciceroniano more dictum est, pro eo quod vsitatius est, domi militiæq;. Hoc ideò quoq; moneo, ne quis fortè imperitè iungat, mandata belli & patrio casu accipiat, τὸ belli, Plautus bis (quod sciam) hac formula vtitur. Vt Prologo Captiuorum: *Domi belliq́; duellatores optimi.* Vbi Lamb. Duelliq́ue legit: cùm & in Asinar. ita scriptum sit, Sc. Perfidię. *Quæ domi duelliq́; malè feciſti.* Ennius 16. Annal. Hos pestis necuit; pars occiditilla duelli. Cicero 4. de Repub. Periclem, cùm iam ciuitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuisset, &c. Sallust. bello Iugurth. Paucorum arbitrio belli domiq́ue agitabatur. Et rursum: Animus belli ingens, domi modicus. Sic Symmachus lib. 1. ep. 37. Nemo enim belli notus, aut domi clarus exsortem præmij sensit industriam. Sic enim ibi legendum pro eo, quod vulgò Bellis, olim docui in Prodromo meo, quem nouæ scriptoris illius editioni à me aliquando adornandæ præmittere decreueram, vt loca, lautia huic consulari viro, & præf. vrbi præpararet. Nunc me Schoppius meus quiescere fecit; cui vt homini amicissimo & trium MSC. librorum auxiliaribus copijs

9.

10.

Hosted by Google

ad eam editionem procurandam instructiori tantam ex Symmacho laudem non inuideo. Addo Sex Aurel. Victorem, Domitiano: Iste primo clementiam simulans, neque iners, domi belliq; tollerantior videbatur.

406. *Gentes*) Sic Romani vocabant nationes & populos suo imperio, neque subditos, neque amicos, neque socios.

413. *procumbunt*) Aug. ed. procumbant. optimè.

424. *Sic neq; nos nobis*) Videntur certè Romani hîc aliquid dicere. Res enim ipsa docuit, ideò tam varijs casibus & infortunijs diuexatam esse Romam, quod inde procul abessent Impp. Quippe non solùm heri vestigia agrum pinguefaciunt, sed etiam præsentia Regis maximè salutaris est regno; absentia pernitiosa: vt ipse testatur Guntherus inf. lib. 5. v. 577.

429. *tangit*) Ita reposui pro, tangat. Sequitur enim, mouet: & locaui.

432. *Redde vicem meritis*) τὸ ἐυεργέταν ἀγαναὶς ἀμοιβαὶς ἐποιχόμεθ' τίνειν, vt Pindarus ait.

435. *Patricios*) Hæc hauserunt Romani ex dogmate Arnoldi Brixiensis, de quo suprà 331.

438. *Iam redeat senior*) fort. legend. *censor*. An exemplum apud Liu. est lib. 1. Dec. 1. Senior pro Senatore? Atqui iam præcessit Senatus.

11. 443. *felicior illo*) Prouerbiale quiddam hæc sapiunt: Augusto felicior, Traiano mitior vel melior. Eumq; morem sic acclamandi Principib. in Senatu ad suam vsq; ætatem durasse scribit Ioan. Sarisberiensis lib. 5. c. 8. Policratici: FELICIOR AVGVSTO, MELIOR SIS TRAIANO. Quia sicut Augustus felicissimus, ita & Traianus Imp. optimus diu habitus est: vt idem ait lib. 8. c. 19. Constat tum ex Plinij Panegyrico, tum ex historicis, Traianum optimum Principem Senatus decreto appellatum esse. Quod cognomen etiam Iustinianus ei tribuit in §. quod quidem ius. Inst. Quib. non est permiss. fac. testam. Vnde libenter correxerim Symmachum lib. 1. ep. 7. sic legendo: Bonus Nerua, Traianus optimus, Antoninus Pius innocens, Marcus plenus officij, temporibus adiuti sunt. Vulgò ibi legitur: Bonus Nerua Traianus, Antoninus Pius, &c. Omisso verbo, Optimus: quod omninò videtur

detur interponendum, ſeparandusq; Nerua à Traiano, tanquam pater à filio adoptiuo, anteceſſor à ſucceſſore. Quamuis ex Schoppi litteris didicerim in vetuſtiſſ. C. MSC. non, Optimus, ſed ſtrenuus ibi interponi. Felices appellari ſolere Imperatores, notius eſt, quàm vt hic dici debeat.

448. *conceſſa mihi*) ſcil. priuilegia immùnitatesque. An legend. conceſſa munera? Puto autem ſcripſiſſe Guntherum: Nec conceſſa, &c.

450. *diſcrimina ſalutis*) Nouè dictum.

452. *tibi deuota*) Sic inf. 7. v. 123. tibi deuotæ pignora mentis. Alludit autem ad antiquam formulam, qua ad Principem vtebantur: Deuotus numini maieſtatique eius.

458. *fecêre*) Aug. ed. *ſedere*.

459. *dum vendere nobis noſtra volunt*) quaſ. d. Imp. cùm rei ſuæ emptio non valeat. l. 16. ſuæ rei. ff. de contrah. empt. l. 4. C. eod. l. 45. neque pignus. ff. de reg. iur. cùm id, quod cuiuſq; proprium eſt, non poſſit ampliùs ipſius fieri. §. ſed ſi rem. Inſt. de legat. §. ſic itaq;. de action. l. 159. non vt ex pluribus. ff. de reg. iur.

461. *pretioq; nouos ſumpturus honores*) Honores non debent venales fieri, neque pecunia comparari, ſed virtute. Salluſt. 1. ad Cæſ. de Rep. ord. Grauiſſimè Ioan. Chryſoſtomus homil. 6. ad Epheſ. *ὠνηταὶ γεγόνασιν αἱ ἀρχαί. μυρία ἐν πύθῃ τίκτεται κακά*. Id eſt, Venales facti ſunt magiſtratus. Inde innumerabilia gignuntur mala. Vide Animaduerſ. Iſ. Caſauboni in Suetonium. Veriſſimè Iuſtinianus Nouella 8. Nundinationem magiſtratuum ait eſſe omnis improbitatis principium & finem. Et Alexander Seuerus dicebat: Neceſſe eſſe, vt qui magiſtratum emerit, eundem rurſus vendat: nec ſine rubore puniri poſſe eum, qui quod emit, vendit. Nam vt Seneca inquit: Quod emeris vendere, gentium ius eſt. Vnde non mirum, ſpoliari prouincias, & nummarium tribunal audita vtrinq; licitatione alteri addici, lib. 1. de benef. c. 9. Vid & l. vlt. C. ad l. Iul. repet. Quòd ſi inferiorum magiſtratuum tales fieri nundinationes turpe eſt, quantò idem flagitioſius erit in ſupremo dignitatis faſtigio? vt aliquando Imperium Roman. quaſi ſub haſta venditum legimus, & à militibus ei

addictum, qui plus obtuliſſet. Sic deteſtanda eſt nundinatio Imperij Germanici à Carolo IIII. quem Bohemi patrem patriæ appellant. Is enim filio ſuo VVenceſlao hominum ignauiſſimo tam peruersè ſtuduit, vt ei nondum etiam bimulo imperium redemerit ab Electoribus, quorum ſingulis centena millia aureorum promiſerat, id eſt, Tonnam auri. Quam pecuniam cùm repræſentare non poſſet, publica eis Imperij Roman. vectigalia obligauit, atque ita vires Imperij & neruos non mediocriter incidit ac imminuit. Vide Æneam Siluium hiſtor. Bohem. cap. 34. Quid autem de Sacerdotijs venalibus dicendum? (quam Simoniam vocant) Quicquamúe hac re fœdius cogitari poteſt? Et tamen fuit tempus, cùm & hæc paſſim eſſent venalia, omniaque pecuniæ obedirent. Vid. Ioan. Tilium Chron. Gall.

12. 462. *Franconа virtus*) Aug. ed. Gallica. Sed melius videtur Francona. Eſt autem periphraſis elegans, pro Franci ſeu (vt vulgò) Francones. Sic virtus Catonis apud Horatium: πολεμάρχης, & ſexcenta talia apud Homerum & Q. Smyrn. Notetur hîc elegantiſſima γνώμη: Virtus eſt pretium, quo faſces & honores emuntur. Sed Sententias, quibus abundat Guntherus, colligemus in INDICE vno loco.

465. *Hoc mihi vel nullo venient commercia pacto*) Forma orationis venuſta, qua ſignificamus ſummam vehementiam & fiduciam, quam in re aliqua collocamus. Sic infrà lib. 4. v. 531.

Aut hîc aut nuſquam gelidam tranſibimus Alpem.

Sic Ouidius:

Namq; ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.

13. 467. *Laude venimus onuſti*) Sic lib. 5. verſ. 3. ſummæ cognomine laudis onuſtum dixit. Alibi, legatos donis & muneribus onuſtos. Quomodo Horatius libr. 1. epiſt. 7.

Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.

CAPVT

CAPVT III.

1. *Diuitiarum præ honore contemptus.* 2. *Senecæ opes.* 3. *An omnia sint Imperatorum.* 4. *Libra. Marca.* 5. *Romanorum auaritia.* 6 *Promissa Principum quanta fide obseruanda.* 7. *Persij imitatio.* 8. *Amodo, Inante, Incoram.* 9 *In Liuio emendando conatus.* 10. *Quasi, prope, circiter.* 11. *Quà ioco, quà serio: elegani formula Spartiano restituta; vt & Plauti Militi duobus locu.* 12. *Rapere vrbem, pro diripere. Gunther us pluries correctus.*

469. *Nec sibi quærit opes, sed pulcræ laudis honores)* 1.
Placet impensè quod apud Sallustium: Bello Iugurth. ait Marius, se ex parente suo & ex alijs sanctis viris ita accepisse, Omnibus bonis oportere plus gloriæ, quàm diuitiarum esse. Quam in sententiam pulcerrimè Quintus Smyrnæus lib. 14.

ἀνίῃ γὰρ πινυτῷ καὶ ἐπίφρονι πολλὸν ἄμεινον
χυ῀σός τε καὶ χρυσοῖο καὶ ὄλβος, ἠδέ καὶ ἄλλων
ἐσθλῶν ὁππόσα ἐστὶ καὶ ἔκτοθεν ἀνθρώποισιν.

Quos versus ita fecimus Latinos:

Gloria quippe viro prudenti plurimum & auro
Et domui, & cunctis, quæ homini contingere possunt,
Antistare bonis, ac pensior vna putanda est.

Quibus affinia sunt ista Theocritica in Idyllio, cui tit. χάριτες.

ἄστε ἐγὼ τιμήν τε καὶ ἀνθρώπων φιλότητα
πολλῶν ἡμιόνων τε καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμαν.

Quæ ita ferè sonant Latinè:

Est mihi gloria pluris amicitiæq; bonorum,
Plurima quàm nudorum et equorum armenta tenere.

Seneca quoque de contemptu diuitiarum lib. 22. epist. 12. *Maius est* (inquit) *regno regias opes posse contemnere.* Sed 2.
ipse tamen (vt hoc transiens addam) eas non contemsit. Constat enim, ditissimum fuisse: adeoque studiosum parandæ rei, vt ter millies sestertium quadriennio cumulârit, Tacito teste: quæ summa valet centies quinquagies centena millia Caroleorum: seu vt vulgò computamus ἐν πλάτει, Tonnas auri centum quinquaginta. Facilè igitur ei fuit de paupertate ad legem naturæ composita Philosophari, quemadmodum

Qui satur est, pleno laudat ieiunia ventre,
Et quem nulla premit sitis, est sitientibus asper.

470. Non

470. *Non habet ille ſuum, ſed habentibus imperat aurum*) Expreſſit ex apophthegmate C. Fabricij: cui ad focum ſedenti cum Samnites magnam auri vim attuliſſent, quo eum corrumperent, reſpuit, dicens: Malle ſe habentibus aurum imperare, quàm aurum habere.

3. 482. *Iure quidem noſtrum, populo concedimus vſum*) Quatenus omnia ſint Imperatoris, vid. ICtorum diſputationes ad l. *ἀξίωσις*. ff. de leg. Rhod. de iactu. Seneca 7. de benef. c. 41. Iure ciuili (inquit) omnia Regis ſunt. Et: Sub opt. Rege omnia Rex imperio poſſidet; ſinguli dominio. Vetus & nobilis hac de re controuerſia fuit inter Martinum & Bulgarum, antiquos Iuris ciuilis Gloſſatores, qui Friderico noſtro *σύγχρονοι* fuêre.

493. *ſperaſſe*) malim, *ſpiraſſe*.

498. *Millia quinq; librarum*) Miror hanc quantitatem ſup. in poſtulatis Romanorum non fuiſſe poſitam, quæ tamen hîc in reſponſione Imp. exprimatur. At tacitè petiuerunt Romani, opinor, quòd largitio Regum vſitata erat tantæ ſummæ: apud Oth. certè Friſ. exprimitur. Si libras auri hîc intelligas, erunt ſeptingenta millia aureorum Rhenenſium, hoc eſt: quaſi ſeptem Tonnę auri. Nam
4. libra duas continet marcas: marca verò vna olim ſeptuaginta florenos Rhenenſes; hodie 75. Ex hac ſumma æſtimare licet, quanta in Romanis fuerit ſitis auri, qui tantum ab Imp. poſtulare auſi ſint. Eandem in ipſis aliâs quo-
5. que Guntherus notat, & auri inſatiabiles eſſe ſcribit, adeoque inflammatos cenſus ingentis amore. Vt lib. 6. v. 263. vt v. 655. Nec myſterio carere videtur cabaliſtica quorundam obſeruatio, quod initiales literæ huius Paulinæ Sententiæ: Radix Omnium Malorum Auaritia, conſtituant vocem R O M A: cui tamen quiſq; quantum volet per me licet tribuat.

500. *non extorta*) Nam in neceſſitatibus nemo liberalis exiſtit, vt ait Modeſtinus l. 18. rem legatam. ff. de adim. legat. Et vt Papinianus: Donari videtur, quòd nullo iure cogente conceditur. l. 82. ff. de reg. iur. l. 29. ff. de donat. Quid quòd Deus ipſe hilarem datorem amat, vt eſt in ſacris literis? Sicut etiam vice verſa inuito beneficium non datur. l. 69. ff. de reg. iur.

501. *ſua*

Hosted by Google

501. *ſua tempora*) id eſt, ſeſe, vel ſuas miſerias: vt Cic. hoc meo tempore: id eſt, rebus meis aduerſis.

503. *vt dans plus gaudeat accipiente*) Reſpexiſſe videtur ad definitionem Beneficij traditam à Seneca, & laudatam in vſibus Feudorum lib. 2. tit. 23. In quibus cauſis feud. amitt. Beneficium nihil aliud eſt, quàm beneuola actio, tribuens gaudium capientibus, capienſq; tribuendo, in id, quod facit prona, & ſponte ſua parata.

504. *poſſum*) Aug. ed. poſſim.

511 *nudo ius & reuerentia verbo Regis ineſſe ſolet*) Non eſt ab hoc loco alienum, quod vulgò receptum eſt, Promiſſionem à Principe factam ſub fide & dignitate principali (Bey Fürſtlichen Ehren vnd Würden) æquipollere iuramento. Quod probat Ioach. Mynſing. Cent. 1. obſeru. 17. Sic vim iurisiurandi habet inter Hiſpanos, vt audiui, ſi nobilis vel Princeps per honorem equeſtrem aliquid promittat: qua formula etiam Rex ipſe vtitur & obligatur.

516. *Dicta ſemel, nullum patiuntur iure recurſum*) Talis ſit princeps, qualis Iupiter Homericus: cuius ſunt iſta Iliad. 1. v. 529.

ἠ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, ἠδ' ἀπατηλόν,
ἠδ' ἀτελεύτητόν γ', ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω. h. e.
Nil fallax noſtro aut reuocabile prodit ab ore:
Nec linquo infectum, quicquid caput annuet iſtud.

Nec inelegánter huc accommodauit Baldus illud Pſalmi: Semel locutus eſt Deus. Notanda hæc ſunt aduerſus principium Machiauellicum, quod homo impius ſuo Principi inculcat, Principem quiduis & ſimulare & diſſimulare, adeoq; etiam iuratam fidem fallere debere, quoties ipſi vtile eſt. Vid. Machiauelli Principem. Exempla verò ſuppeditat Hiſtoria Gallica, & Scotica. Nam apud Georg. Buchanan. lib. 16. Rer. Scoticar. quidam in hoc ludo edocti, non dubitant palàm quoq; hoc profiteri: Fidem promiſſorum non adeò anxiè à Pricipibus exigendam, ſed quatenus eum præſtare commodum eis videretur. Sed ad hanc rem plura in Commentario noſtro, De fide cuiuis homini ex iure gentium ſeruanda.

518. *habebo*) ſcil. iuſiurandum. alioqui non video, quò hoc verbum referatur.

524. *Dum*

Hosted by Google

524. *Dum mea non esses*) Eodem ferè modo Paulus de Deo colligit in epist. ad Roman. Cùm Dei inimici essemus, filium suum nobis dedit, per quem sibi nos reconciliaret: quid ni ergo iam multò magis omnia nobis daret cum ipso?

526. *namq; quod imperium*) malim, *imperio:* vel, *nam quod in imperium.*

532. *nec proprijs, nec illis*) viribus scil.

535. *Perfidus ille Græculus*) Manuelem intelligit Imp. Nouæ Romæ seu Constantinopolis: de quo supr. libr. 1. Græculus contemptim & κατ' ἐξοχὴν dicitur, vt apud Iuuenalem:

Græculus esuriens ad cœlum iusseris ibit.

Nationis huius leuitatem Cicero quoque pro Flacco notauit.

537. *Quem tibi tutorem, timeas licet ore fateri*) Ita correxi distinctionem, quæ hîc fœdè peccabat, alieno loco positâ interrogationis notâ. Peccabat etiam in sequentib.

544. *virtute*) belli, vt Plautus loqui amat. Cùm igitur Carolus manu militari in se transtulerit Imperium, quomodo gloriatur Papa Innocentius III. Sedem Apostolicam Romanum Imperium à Græcis transtulisse in Germanos in persona Magnifici Caroli? c. venerabilem. extr. de elect.

551. *pauper*) id est, mendicus. Vt apud Græcos non quiuis πένης est πτωχὸς, ita nec omnis pauper est mendicus. Ille quamuis ægrè tamen suo victu se sustentat ac tolerat; Hic ab alieno totus pendet.

557. *in nostro regno*) Fuit enim Desiderius Longobardorum Rex cum vxore & liberis Lugdunum à Carolo M. Victore in exilium abductus. Vide Platinam fol. 120.

566. *Omnia numine mutato sub eadem viuere forma*) Nihil sub sole nouum est, vt ait Sapiens Hebræus. Semper eadem fabula in huius mundi theatro agitur: Tantùm personæ & histriones commutantur, & subinde noui in scenam prodeunt.

569. *publica cura Senatus*) Appositiuè hæc accipio: ne quis τὸ *Senatus* gignendi casu positum esse putet: contrà passiuè vsurpatum inuenias apud Horat. Od. 8. lib. 2. A cura autem publica nomen habet curia, teste Ouidio.

593. ap-

593. *appoſuiſſe*) leg. *oppoſuiſſe*. Rectè autem dolo artem oppoſuiſſe dicit: quia cum Crete cretiſſandum: καὶ ἥλῳ τὸν ἧλον. Clauus clauo trudendus eſt.

595. *laſo*) Aug. *Cod. Heniſchij* manu annotatum habebat, læſæ. Quam correctionem probo.

599. *aſtutam oſtendere vulpem*) Videtur reſpexiſſe ad illud Perſij. Satyr. 5. 7.

Aſtutam vapido ſeruus ſub pectore vulpem.

602. *A modo*) id eſt, poſthac. Græciſmus, ἀπὸ τοῦ νῦν. Sic Apulei. loquitur: Nemo me à modo tam manè egredientem ſolum videbit. Sic Feudal. iur. compilatores in Forma iuriſiurandi fidelitatis, lib. 2. tit. 5. A modo inantea ero fidelis huic, &c. Sic ſæpè vet. Interpres Bibliorum. Quis noſtrum non vtrumque iuxtà barbarum iudicaſſet? At Propert. quoq; (lib. 2. eleg. 3.) nitidiſſ. elegiæ ſcriptor τῷ inante vtitur, pro, antè. De quo loco vid. Giphan. Conjectan. Lucret. & Ian. Gulielm lib. 2. veriſim. cap. 4. vbi Apuleio 1. Metam. etiam [exante] reſtituit, eodem ſignificatu. Tale ferè apud eundem Apul. eſt, Incoram. In omnibus his abundat I N præpoſitio. Libens ego & apud Liuium lib. 2. Dec. 3. legerim, Inante. Ibi: Demiſſi ſunt in locum ſaxo conſeptum, inante hoſtijs humanis, minimè Romano ſacro, imbutum. 8. 9.

611. *Romanus qua fronte dolis ambire laboret*) Sic reſtitui lectionem & diſtinctionem. Antea erat, Romanis. Poſſet etiam legi, *Romani*, q. f. d. a. *laborent*. Sed prior, vt leuior & elegantior mutatio, magis placet. Romanus enim collectiuè dicitur, pro, Romani. De gladio ſcelerum vindice inf. dicam ad lib. 6. v. 502.

629. *Mittuntur*) Aug. ed. *Nituntur*, non rectè. Sicut mox pro *eductis*, *edoctis*. *Quaſi millia quinq; virorum*. Græci dicerent, ὡς vel ὡσεὶ πενταχισχίλιοι ἄνδρες. Interdum etiam addunt, τὸ ἀριθμόν. Sic Marc. Euangel. c. 8. v. 9. Ioan. c. 6. vbi tamen particulam eam video non rectè omiſſam in vtraq; tam noua, quàm vet. interpretatione Latin. Sic Lucas c. 3. ἦν δὲ ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα: quod rectè ſic expreſſit Sedulius lib. 2. Sex quaſi luſtra gerens. Non habuit ergo cauſſam neq; Eraſmus, neq; Caſtalio, cur in interpretatione N. Teſtamenti tam ſtudiosè particulâ Quaſi abſtinerent ceu parum Latinâ. Alter enim vbique pro ea 10.

vſurpat,

vſurpat, Fermè; alter verò, Circiter. Atqui & Terentius & Cicero ſic vtuntur partic. *Quaſi*. Vt Heautont. Sc. 1. Quaſi talenta ad XV. coëgi. Vt in Oratore: Quaſi in extrema pagina Phœdri. Vt Acad. Q. 4. *Sol quaſi pedalis videtur*. Idem Cic. 7. Attic. ep. 8. cùm ſciemus, quantum quaſi ſit in trientis triente. Idem & partic. Inſtar ſic vtitur: vt 16. ep. 5. Habet Tiro inſtar LXX. epiſtolas meas. Vulgò pro his vſurpamus *circiter, fermè, ferè, penè*: cùm vel numerum, vel locum, vel tempus, vel magnitudinem rei non exactè, neq; præcisè nouimus. Vnum etiam hîc monere non erit abs re, *Quaſi* interdum poſitum videri loco non ſuo, vbi *Quæ* legendum erat. Exemplum obſeruabam aliquando apud Ælium Spartianum in vita Antonij Getæ: vbi vulgò ſic habent edit. Qui cùm contenderet, & diceret quaſi ioco, quaſi ſeriò, omnes cum liberis occidendos, &c. Reſtituenda interdicto particula, *Quà*: hoc modo: Et diceret, quà ioco, quà ſeriò. Penè perierat huic hiſtorico vel βυογραφῳ elegantiſſ. dicendi genus, quo & Plautus, & Cicero, & Plinius, & Pacat. Drepanius, & Mamertinus Panegyr. vtuntur. Plaut. Milite, Sc. Quid mihi nunc. *Qui conſectare quà mares, quà fœminas*. Sic enim veriſſ. eum locum reſtituit Lipſius, & ego in 2. codd. MSC. Camerarianis reperi. Idem Plautus ead. fab. Sc. Ne me moneatis: *Eum oderunt quà viri, quà mulieres*. Sic enim eſt in ijsdem MSC. Quamquam maior Codex habet, Quaſi viri: perinde vt apud Spartian. contendo peccatum fuiſſe. Quod autem vulgò ibid. legitur: *odêre tam viri, quàm mulieres*, id à mala manu gloſſatoris obreptitium eſt. Idem Trinummo: Sc. Staſime. *Mores autem rapere properant quà ſacrum quà publicum*. Qui locus apud Plaut. ſolus manſit incontaminatus. Sic Cicero Attic. 15. ep. 18. *Quoniam intelligo te diſtentiſſimum eſſe, quà de Buthrotijs, quà de Bruto*. Plinius Panegyr. *Satisfactum quà ciuium, quà ſociorum vtilitatibus*. Pacatus Panegyr. *Iam te ipſum quà publicè, quà priuatim, &c.* Mamertinus Panegyr. *Hi cùm in prouincias miſſi erant, quà ſacra quà profana rapiebant*. Sed iam ſatis exemplorum. Audire licet. Modium Nouantiq. lect. ep. 92.

11.

631. *Oppoſito præbens, ſi fas eſt credere, mundo*) Ideò hæſitantes dicit, *ſi fas eſt credere*: quod nonnulli de Antipodibus, an vlli vſpiam ſint,

Hosted by Google

dubitârunt, inter quos & Lactantius Firmianus libr. 3. c. 24. & B. Augustinus, alijq; sancti Patres fuerunt. Imò eos esse quidam pernegârunt, contra rationes Sphæricas & Geometricas, contraque experientiam nauigantium. Vocantur autem ἀντίχθονες Aduersipedes in vet. Glossar.

636. rapiunt hostiliter vrbem) Rapere vrbem dixit v. 619. pro diripere, simplex pro composito. Sic lib. 10. v. 39. rapiendis congrua muris, pro diripiendis. Et supr. in argum. lib. 2. Castra rapit, pro diripit. 12.

NOTARVM LIBRI TERTII FINIS.

NOTARVM AD GVNTHERVM LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

1. FELICITER, fauentium formula. 2. Sella pro Ephippio. 3. Lupus pro Lupato. 4. Recreare, Reconflare. 5. Iniussu alicuius. 6. Morticinus. 7. Imitatio Lucretij. 8. Compati, condolere. 9. Animantia, pro animantes. Guntherus aliquotiens correctus.

v. 3. IN *nostrum Olympum*) id est, In nostrum hemisphærium, vt vocant Sphærici. Atq; hoc est, quod eleganter ait inf. lib. 5. v. vlt. *Alterno partitur lumine cœlum.*

26. acclamante) Quid illa caterua acclamabat? nimirum illud solenne, FELICITER: quod etiam plenius nonnunquam efferebant: FELICITER QVOD AGIS. Vide Senecam & Barnab. Brisson. libr. 8. de Formulis. Illud ergo FELICITER Guntherus ἐξηγητικῶς seu appositiuè appellat, faustum omen. Cohæret enim cum seqq. Sic Phædrus Aug. libertus nuper à Pithœo editus, lib. 5. vt mos est vulgi, passim & certatim ruunt: FELICITER subclamant. Loquitur de Attica plebe Demetrium Phalereum excipiente, posteaquam tyrannidem inuasisset. 1.

29. *Venalis honor*) Qui Friderico proponebatur à legatis Romanis lib. 3. v. 451. vt scilicet appareret, illo quoq; seculo verum esse, quod iam olim Sallustius scripserat: Romæ omnia venalia esse, seu venum ire. Quam sententiam ter repetit Bello Iugurthino. Porrò conducta gaudia eleganter vocat, quæ largitionibus fuissent prouocata, & quasi mercenaria. Plebs autem absumptis muneribus gaudere desinit, vt præfica ad alienum mortuum deflendum conducta, flere cessat accepta mercede: & amici vtilitatum, ijs cessantibus amici esse desinunt.

44. *serena tempora latitiæ non longas habuêre moras*) Dictum νομικῶς. Respicit enim ad sententiam eam, quam & suprà attigit lib. 1. v. 603.

48. *Crescentisq; domum*) Eiusdem & infr. meminit v. 107. Videtur autem hæc fuisse domus illius Crescentij, qui Othone III. imperante tyrannidem Romæ affectauit, ac res nouas molitus est: quem cum Imper. primò in gratiam recepisset, postea relapsum horrendo mactauit supplicio. Naso enim & auribus omnibusque membris mutilatum vili iumento auersa ad caudam facie imposuit, perq; totam vrbem circumuectum tandem ad portam suspendit.

2. 58. *sella*) Intelligo ephippium. Nam quo minus accipi possit de sella aliqua curuli, facit, quod paulò antè dixit, equo insedisse Imperatorem. Sic & inf. lib. 5. v. 201. sellam, quæ pœnę causa portatur, pro ephippio accipiendam puto. Pflug. hic legi volebat, Stella: vt intelligeremus vmbraculum siue cœlum, quod vocant.

3. 59. *fastidit*) Equus. mox, lupos pro lupatis vsurpat, exemplo Ouidij 4. Trist. eleg. 5.

Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

Idem Ouid. etiam altero verbo vtitur 1. Amor. 2.

Asper equus duris contunditur ora lupatis.

Est autem æquè vsitatum vtrumq; genus huius nominis, lupatus & lupatum.

63. *Ipse*) equus. Nota αὐτοτύπωσιν equi generosi, cui & superbiam tribuit, & quasi intelligentiam sui vectoris. Sic Bucephalum Alexandri M. neminem præter herum suum recepisse sessorem perhibent. Ex omnibus autem animantibus

ribus maximè φιλόπμον est equus, & laudis ac honoris sensuum habet acerrimum. Vide, qui de re equestri scripserunt, in primis Ioach. Camerarium.

70. *Proxima turrigeris repetit tentoria muris Ipse: sed exim.*) Sic distinguend. cum editione August. Vulgò, *Ipse, sed exim.* Intelligendum autem, *Ipse*, scil. Fridericus Imp.

75. *Corpora fessa cibo recreare*) Sic inf. lib. 6. v. 49. elixa recreatur filia matre. Recreandi verbo more Lucretij vtitur, cùm de cibis sermo est. Nam vt idem ait Lucret. Propterea capitur cibus, vt suffulciat artus. Et Cic. 1. de offic. Cibo & potione reficiendas, non opprimendas esse vires monet. Notandum etiam obiter aliud verbum Lucretianum, *Reconflare*: vt cùm ait, somno reconflari sensus per membra repente, id est, recolligi.

77. *feralia*) Non rectè Perna, *feracia*.

79. *Iniussúq; suo*) Nota causam seditionis Romanorum. Est autem elegans hæc locutio, qua de Terentio, Cicerone, Varrone, Sallustio & Liuio sumptâ alibi quoque Gunth. vtitur: vt infr. lib. 7. v. 73. iniussu Romani Principis. Et lib. 9. v. 314. Ipsius iniussu. Sallust. Iugurth. Senatus ita vti par fuerat, decernit, Suo atq; populi iniussu nullum potuisse fœdus fieri. Terent. Phormion.

Itáne tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo?

Cicero Cat. Mai. iniussu Imperatoris, id est, Dei, de præsidio & statione vitæ decedere. Varro 1. de re rust. c. 16. Nè quis iniussu villici exeat, neq; villicus iniussu domini longiùs, quàm vt eodem die redeat. Liuius, l. 1. Seruius, &c. primus iniussu populi voluntate patrum regnauit. Ibid. Seruius: quanquam vsu iam haud dubiè regnum possederat, tamen quia interdum iactari voces à iuuene Tarquinio audiebat se iniussu populi regnare, conciliata priùs voluntate plebis, &c. ausus est ferre ad populum VELLENT IVBERENT né, se regnare, &c. Idem Liuius in descriptione formulæ sacramenti militaris lib. 3. conuenturos se iussu consulũ, neq; iniussu abitũros. Eademq; verba repetit lib. 22. Ad eandem faciem dixit Plautus Trinum. Sc. 1. *Incõsultu meo ædes venales hasce inscribit litteris.*

95. *Nec cedunt hostes, sed prælia pectore firmo excipiunt*) Secundum illud Catul.

Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus.

96. *bellum committitur*) Vſitatius eſt, prælium committere. Inter bellum & prælium tantum intereſt, quantum inter genus & ſpeciem, ſiue inter totum & partem. Sed tamen Salluſtius quoq; bello vtitur pro prælio. Nota hîc deſcriptionem velitationis, id eſt, leuioris pugnæ; deinde ſeriæ. Prælia prima vocat inf. v. 254.

101. *tinnire ſonores Ictus audires galeas*) Melchior Kochius meus diuinabat, melius hîc legi poſſe, ſonoris ictibus. Quam lectionem conſtabilitum ibat ex loco ſimili lib. 7. v. 647. cui libenter aſſentior. Nam vt tinnire ἐνεργητικῶς accipiamus, retentâ vulgari lectione, durius videtur. Iam hæc ſcripſeram, cùm hanc emendationem inter Pithœanas quoq; reperi. In Aug. verò edit. ſonoris Ictus.

103. *grauiclypeoſq; leues*) ἀντίθεσις elegans.

125. *hæc ſint tibi*) ἐπιχειρήσεις ſeu inſultatio victorum in victos.

140. *ſopore*) Sic repoſui, pro *ſapore*. Sed & Perna rectè ſic edidit.

148. *Soracten*) Soracte Mons Apuliæ in Phaliſcis, in quo ſpelunca cooperta latebram ſibi elegit Sylueſter Papa. Vid. Platinam. Meminit eius & Horat.

Vides vt alta ſtet niue candidum Soracte.

154. *Coras*) Aug. ed. *Corax*.

163. *illam quo poterat*) f. *poterant*. Sequitur enim: *Suſcepere*. An, quo poterat, ſcil. fieri?

165. *miſſarum celebrante preces*) Sic ſupr. v. 23. ſacra miſſarum ſolennia vſurpauit.

169. *vltorem enſem*) Sic vltor gladius, quo iura armari iubentur, in l. 31. cum vir. C. ad l. Iul. de adulter. pro *Cinxerat*, fortè an legend. *Strinxerat*.

171. *Indultum purgauit Papa reatum*) Indulgentias Papales, quæ vocantur, denotat, quas & bullas ominoſo verbo appellant.

175. *coacto milite*) collecto: vt Senatum vel pecus dicimur cogere, &c.

179. *Iamq; vaporifera*) Tranſtulit iſta ex Othone Friſingenſi lib. 2. c. 23. vt multa alibi alia.

189. *Exhalant nebulæ: calidi ſpiramine cœli Languidæ peſtif.*) Ita hæc, quæ vulgò malè, interpunximus.

196. *ani-*

Hosted by Google

196. animantia) Noui qui dicerent, animantes, non etiam animantia rectè vsurpari. Contra eos hic locus notandus est.

199. quorum morticinis) Morticina substantiuè vsurpat cadauera draconum, bufonum, colubrorum. Sic Sæpè interpres Biblicus. At Varro & Plinius adiectiuè tantùm: vt morticina caro, morticina ouis, &c. 6.

204. lætaiuuentus) f. *lecta*. Nam quî læta esse possit, tot malis afflicta? Pflugius malebat, *læsa*.

215. sediam) Malim, tam. Videtur hîc ante oculos habuisse Atticæ pestis descriptionem, quæ est extremo lib. 6. Lucretij. 7.

222. compatiens) συναλγῶν, ἢ συμπάσχων. Eodem verbo & lib. 6. vtitur. v. 586. Et aliâs, condoleo & congaudeo. Quæ omnia in INDICE inter Sordida & Mixobarbara retuli, quia veterum & probatorum exemplo auctorum carent. Cicero quidem Græco verbo vti maluit, vt cùm inquit ad Attic. Valetudini tuæ συμπάσχω. Condoleo autem Latinis nihil aliud est, quàm doleo: vt apud Comicum: Caput ex vento condoluit. Lucretius συμπάσχειν eleganter expressit per concruciari & consentire. 77, 29. & 98, 11. 8.

CAPVT II.

1. Crepundia montis. 2. Fluere in cineres. 3. Certant tutari, certatim tutantur. 4. Tanti, pro tot, Quanti, pro Quot. 5. Principum facta obscura esse non possunt. 6. Senecæ locus tentatus. 7. Imitatio Virgilij. 8 Ibi pro In à librarijs positum. 9. Et Con pro Non. 10. Infamia immortalis. 11. Commercia famæ, linguæ, sepulturæ sortis humanæ. 12. Tamen etsi. 13. Plauti aliquam multa loca ope MSC. Cod. restituta. 14. Testis pro spectatore. Guntheri loca pluria emendata. 15. Ipsum Gunth. reb. gestis Friderici Ænobarbi non interfuisse.

225. crepundia montis) Nouè ac mirè dictum. Spiegel. exponit, initia, vt quemadmodum crepundia sunt infantiæ oblectamenta, sic & montis quasi quandam pueritiam intelligamus. Haud scio: tamen, an non etiam aliud quid hic lateat. Initia & crepundia à bonis auctoribus pro eodem vsurpari obseruat Ios. Scaliger ad illud Catull. Tua mater initia. Cybeles Magnæ Deum matris initia, id est, 1.

Hosted by Google

crepundia vocat tympana, tubam, &c. quę Apuleius Apolog. ſacrorum crepundia.

234. *talenti*) Miror omnes editiones tam conſtantes eſſe in hac lectione, cùm procul dubio verum ſit, talenta octingenta.

244. *Inſtabat ſceleri populus*) Sic & inf. loquitur. Vulgò hìc malè legebatur, celeri.

250. *directa*) malim, correcta. Vel præced. verſu quoq; Indirecta legend. cum Pflugio, qui fraudulenta exponit.

253. *Occurrens*) leg. occurrit.

255. *Riſit ad hæc, &, Sic pueros: Dux inclitus inquit*) Vulgò in omnibus edit. luxatus & malè diſtinctus erat hic verſus: Riſit, & hic pueros, &c. cuius præclara & veriſſima reſtitutio hæc eſt, quæ meo Melchiori Kochio debetur. Pflugius tamen putabat ita ſanari verſum poſſe, ſi τὸ pueros bis legamus cum indignatione.

2. 263. *Suburbia tædis In cineres collapſa fluunt*) Cogitabam pro fluunt ſubſtituere tanquam ἐμφατικώτερον, ruunt. Sed cùm videam aliqui quoque ſic loqui Gunth. vt lib. 10. v. 475. oppida flammis, In cineres collapſa fluunt: nunc nihil muto.

264. *nec regia*) Sic rectè Perna. Aug. & aliæ vulg. ed. Non. Similiter fuit aberratum inf. v. 313. non exiguos.

272. *vti*) Sic reſtitui, pro *vbi*. Quomodo & inf. ſæpiùs erratum eſt, vt lib. 5. v. 194. & 419.

280. *Sic bona pars*) proboNobil. & erud. Pflugij conjecturam, legentis: *Hic*, pro *Sic*. Nam & præceſſit: *Hic ex-*
3. *celſa, &c.*

282. *certabant tutari*) id eſt, certatim tutabantur. Sic lib. 9. v. 174. certabant poſcere, pro certatim poſcebant. Et hoc ipſo lib. 4. v. 490. certabant ſe commendare: id eſt, certatim ſe commendabant. Imitatione Virgilij ſic loquitur, cuius hoc eſt Æn. 2. certant illudere capto.

283. *vel retinere locum, vel fata ſubire*) Huiuſmodi fortitudinem vel potiùs audaciam ac pertinaciam deſcribit lib. 9. v. 359. vbi viſe, quæ annoto ex Plaut. Sal. & Floro.

284. *Rex nil ſe memorabile credens, Dum ſupereſt aliquid*) Imitatur Lucanum: cuius ſunt iſta, lib. 2. 657. v.

Nil actum credens cùm qui dſupereſſet agendum.

Sic

Hosted by Google

Sic Gunth. lib. 6. v. 92. ait, Fridericum Æn. nihil infectum pati, quod ſuſcepiſſet agendum. Sic Iuſtinianus in l. pen. C. De his, quibus vt indig. *Nil actum eſſe credimus, dum quid agendum ſupereſt.* Et Achilles Homericus Iliad. τ. inquit:

αἶψα μάλ'. ὅ γὰρ χρὴ κλοτοπεύειν ἐνθάδ' ἰόντας.
ὅδε Δαναοῖσιν. ἵνα γὰρ μέγα ἔργον ἄρεχθον.

Notum eſt etiam illud Alexandri M. μηδὲν ἀναβαλλόμενος: dequo vid. Alc. Embl. 3. & Carmina in Veredum Poſthianum inter adoptiua magni illius amici noſtri carmina.

292. *virtute coacta*) At hæc non eſt virtus: quæ à libero debet proficiſci arbitrio. Nota autem, Virtutem hîc pro fortitudine militari poni. Exempla vide plura mihi apud Phœdrum obſeruata.

293. *Audaci pudor eſt ſub rege timere*) Adeò militibus exæquatus cum Imp. labos volentibus eſt, vt ait Salluſt. Iugurth. Et Claudiani ſimilis eſt locus:

Vtq; Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur, &c.

317. *ſemicremis trophæis*) Exemplo Ouidij, qui 2. Metam. ſemicremum ſtipitem dixit, hoc eſt, media ſui parte vſtulatum. Et idem in Diris, membra ſemicremata. Martial. lib. 11. thura ſemicremata. Gunth. hîc paulò antè Semuſtam prædam dixit.

323. *occurrêre viro*) Legebatur, *viri:* quaſi iungendi eſſent magnates viri. Fateor apud Plautum Sticho, Sc. Libros inſpexi, eſſe, ſummates viros, & contrà, infimates: atque ita etiam magnates viros dici poſſe. At hîc legendum contendo, viro: intelligendumq; Imp. Friderico. Nam ita aliâs etiam loqui gaudet Gunth. vt ſup. v. 26. *totaq; caterua Acclamante viro.* Et inf. v. 343. *tenuêre virum.* Sic lib. 7. v. 637. Impulit ira virum.

325. *Palologus*) Sic metri cauſſa edidit Perna, & hîc & lib. 5. v. 400. At Spiegel. vbiq;, *Palæologus.*

329. *Stapulenſis*) Auguſt. edit. & Pernæ, *Stabulenſis:* vt & lib. 5. v. 361. & lib. 9. v. 163. vbi *Guibaldus*, qui hîc eſt *VVibaldus.*

330. *Andreas*) Capuę Comitem vocat inf. lib. 5. v. 384.

342. *fulgentia*) Ego ſimpliciter dictum exiſtimo, nec fulgentia ad funera, ſed ad ſigna referendum eſſe. Ita Chriſt. Pflugius. At ego malim, *Lugentia.* Nam cur *fulgentia?*

tia? an respicit ad antiquum Romanorum morem, concremandi cadauera, vt inde scil. castra igne collucerent? Atqui mos iste ea tempestate desierat: imò iam Macrobij seculo, vt ipse testatur 7. Saturnal. cap. 7. An quia lucernas apponebant funeribus? Quod hodieq; in quibusdam Saxoniæ vrbibus, alijsq; Germaniæ partibus fit. An *fulgentia*, propter faces & funalia in exequijs præferri consueta? An deniq; (quod mihi Schoppius subiecit) sicut Accendere pro Implere veteres interdum vsurpârunt, teste Giphanio Indice Lucretij: ita fulgentia dicta sunt plena?

343. *monituq; fideli*) Sic supr. Friderico disuadebant Consiliarij expeditionem Hungaricam, lib. 1.

350. *ora rigatos fletibus*) malim, *rigantes*. Quamquam & rigatos tolerari possit, quod Gunth. fortasse posuit vitandi ὁμοιοπτέλευτα caussa.

353. *emeritos*) suspicor leg. *emeritas*: vt iungatur cum *cohortes*, quod sequitur v. prox.

Ibid. *Solenniter*) Ad talem quendam modum, qualis infr. describitur lib. 10. vers. 509. Formam eam gratiarum actionis Guntherus semel posuisse satis habuit, ne bis agatur idem, vt alibi in simili negotio περὶ ἀπαδιώξιν ait.

371. *luctatos diu inter caua saxa amnes*) Sic eleganter & Panegyrista locutus est.

4. 373. *tantorum virorum*) Tanti, pro tot. Quantitas continua, pro discreta, seu magnitudinis verbum, pro multitudine seu numero. Sic lib. 8. v. 460. Sic Lat. Pacat. Drepanius Panegyrico ad Theodosium A. Vnde, cum tantis promissa persoluas, quid cui promiseris, scias. Sic Terent. Sexcenta tanta. Sic Quanta, pro Quot probatissimi auctores dixerunt. Propertius: *Curarum peperit millia quanta tibi?* pro Quot millia. Ambros. in Tobiam: cap. 7. *ô quantos miseros aliena fecerunt bona!* pro Quot miseros. Vegetius: *Vt integris suis quantos possint hostes interimant.* Imo nec Gunth. vti abstinuit: vt lib. 5. v. 328.

Quanti Pontifices, quanti coîre potentes.

Illustre exemplum vtriusque vid. apud Vlp. in l. si ita legatum. ff. de leg. 1. in tantos quanti inueniantur (id est, in tot seruos, quot inueniuntur) legatum valebit. Vbi simul nota, ampliores vsurpari pro plures. Similia exempla plurima obseruaui in lectione eruditiss. scriptoris B. Hieronymi.

377. *Nec*

Hosted by Google

377. *Nec Princeps Latebras)* Principes viros latere non 5.
posse, quicquid agant, Pindarica est sententia Pythi: 1. al
alijs quoque vsurpata. Grauissimè C. Cæsar apud Sallust
in Catilin. (Scribam locum, vt in meis membranis legi-
tur.) *Alia* (inquit) *alijs licentia est. Qui demissi vitam*
in obscuro loco agunt, si quid iracundiâ deliquêre, pauci sci-
unt: fama atq; fortuna eorum pares sunt. Qui magno impero
præditi in excelso ætatem ducunt, eorum facta cuncti mortales
nouerunt. Ita in maxima fortuna minima quidem licentia
est: neq; studere, neq; odisse, sed minimè irasci decet. Quæ apud
alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atq; crudelitas
appellatur. Breuius Symmachus lib. 1. p. 96. *Fama nihil*
ignorari de conspicuis viris patitur. Claudianus:

——— nec posse dari regalibus vnquam
Secretum vitijs. Nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit: latebrasq; per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.

Præclarè Seneca lib. 1. de clement. c. 8. Principum facta dic-
taq; rumor excipit: nec eis magis, quàm Soli latere con-
tingit. Quem locum hîc ob oculos habuit Gunth. Addit
ibid. Seneca: Ideò nullis magis cauendum esse, qualem fa-
mam habeant, quàm principibus, qui qualemcunq; me-
ruerint, magnam habituri sunt. Vbi (quod prætereiens
moneo) libens legerim, curandum, pro cauendum. Cogi-
tet igitur assiduè Rex vel Princeps, se in orbis theatro posi-
tum, omnibusq; ad spectaculum propositum: nullum di-
ctum aut factum suum latere posse. Magnaq; principibus
in vtramq; partem adhibenda est cautio: cùm neq; vitia
neq; virtutes eorum latere queant: vt rectè mone Georg.
Buchananus in Dialogo De Iure regni apud Scotos.

381. *vt mare)* Imitationem Panegyristæ hoc loco
rectè obseruauit Spiegel. Mare non decrescit, quantumuis
multas in orbem terrarum diffundat aquas. Nam flumi-
num fontes ex mari per cauernas & occultos terræ mea-
tus veluti percolati scaturiunt. Sed neq; maius fit vel ex-
undat tot fluuiorum in mare se exonerantium affluxu.
Qua de re vid. Lucret. lib. 6. & Lucan. lib. 5. vers. 355. & Fr.
Vallesium De sacra Philosophia c. 63. Et Interpretes Ari-
stotelis ad 2. Meteor. cap. 2. Hinc & Plautus Curcul. Sc. 1.
dixit: *Quis nam istic fluuius est, quem non recipiat mare?*

Hosted by Google

391. *Quæ quasi plena bonis)* Legebatur, *bono*. Sed rescribend. esse, *bonis*, manifestum est ex v. 233. lib. 3. vbi idem Bononiæ etymon adfertur.

392. *Hinc)* Ita reposui, cùm legeretur, *Hîc*. Padum eleganter vocat Italarum aquarum Rectorem, id est, Regem: planè Virgiliana imitatione. Notus est enim ex sumno vate fluuiorum Rex Eridanus. Georgic. 1. Et Æn. 8.

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

sic. Gunth. infr. lib. 5. v. 282.

Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

sic Mart. lib. 12. Epig. vlt. Rector aquarum Albula. Sic denique Ausonius Epigram. 3. Illyricis regnator aquis Danubius.

394. *notis)* Pflugius malebat, totis.

399. *sacer)* malim, *sacra*: vt sacram vrbem vocet Romam.

403. *atq;)* Vulgò, *adq;*.

404. *Tunc quoq;)* Veronensium ista perfidia in Frideicum, conferri potest cum illa Spoletanorum, de qua sup. v. 235.

412. *Struxerat)* Probo, quod Pflugius diuinabat, *Strnxerat*.

43. *fortuitu)* malim, *fortuitò*.

422. *simul)* pro simul ac: exemplo Ciceronis, Virgilij Liuij, Tibulli, &c. pro *certa* Pflugius diuinabat, *caca*. Sed amen inf. quoq; certum periculum dicet v. 479.

437. *Hinc)* Restitui, *Hic*.

438. *chaos)* χάος ab Hebræo תהה. i. caligauit.

439 *Athesamq;)* Vvecheliani sine caussa hoc mutârunt in *Athesimq;*. Quamquam enim ab alijs scriptoribus Athesis sic fluuius vocetur: Gunth. tamen constanter vtitur Athesi, Athesæ, metaplasmo quodam: vt paulò antè v. 395. & 401.

440. *certantem saxis)* Eleganter dicit flumen pugnare cum saxis, per quæ fluit.

7. 444. *Supercilio scopulosi verticis)* Imitatione Virgilij, qui supercilium cliuosi tramitis dixit Georg. 1. Sic supercilium montis, amnis, ripæ, &c. alij dixêre, honesta metaphora, vt Græci ὀφρὺν. Quod pluribus auctorum locis iam olim comprobaui ad Oppianum.

447. *ibi*

Hosted by Google

447. *ibi cautos*) In Aug.ed.quidam correxerat,*clau-* 8.
ſos. Ego pro,*ibi cautos*, diuinabam legend.*incautos*,quod in contextum quoq; recipere non dubitarim. Mouebat me,quod etiam inf. v. 468. *ibi* pro *In* perperam à librarijs poſitum eſt, dum ſcilicet *Inhibet*, deprauârunt in ,*ibi habet*. Error ex notis eſt. Nam ĩ non ſolùm pro *In* ſcribebant,ſnd etiam pro *Ibi*.vt tĩ pro tibi.Quod notiſſ.ijs, qui in MSC.Cod.verſati ſunt.

456. *dirumq; nefas*) Sic repoſui & hîc & lib. 6. v.435. vbi vulgò,durum nefas,& durum ſcelus.Sed longè ἐμοιπικώτερον eſt,dirum.

459. *complacuit*) Reſcribe,*Non placuit:* quod & Aug. 9.
ed.auctoritas & ſenſus poſtulat. Sic in vita Attici à Corn. Nepote deſcripta non iunctus deprauatum legebatur in coniunctum:cùm verum ſit:Ipſum Pompeium non iunctus non offendit. Vt Schoppius noſter in veriſimilibus probat,& ante ipſum Sim.Boſius ediderat.

467. *altæ*) Pern.*altè*, ſine diphthongo. Sed melius videtur,*altæ rupis*.

468. *Inhibet*) Vulgò,*Ibi habet*.Sed veriſſimæſt hæc emendatio,quæ P.Pithœo debetur.

480. *fataq;*) id eſt, fortunam Imperialem in diſcrimen adducere.Vulgò malè,factaq;.

483. *tumidamq; relinquere mentem*) Pflug. conjiciebat,tumidumq; rel.montem.

494. *mentisq;*) leg. *meritisq;* : vt reſpiciat illud ſequens,*Conſilioq;*.

501. *tutos aditus*) f. *abitus*.

514. *paramus*) Aug.ed.*paremus*.

521. *cogunt appendere*) cum ſcil. vt mox: non decet redimi,eum ſupple. Pflugius tamen legend tentabat: *Et caput illicitam cogunt app. ſum.* quod non probo.Nam capitolitiam ſummam vocat capitationem;quam alibi Capitolitium cenſum.

525. *rei accipiunt propriam donate crimine vitam ab Imp.*) Vnum hoc eſt inter iura maieſtatis, poſſe damnatos capitali ſententiæ eximere , & in integrum reſtituere: vt Ioh.Bodinus docet lib. 1. De Repub. c. vlt.vbi VII. ferè maieſtatis capita ponit. Donato crimine eſt condonato, vel gratiâ criminis facta.

527. *fœ-*

Hosted by Google

10. 527. *fœdaq; manſuræ fugio commercia famæ*) Elegantiſſimè dixit, commercia famæ: vt Lucret. linguæ com-
11. mercia; & Tacitus Annnal. 6. Sortis humanæ commercium. Silius Italic. lib. 2. commercia culpæ. Sic Auſonius Eidyl. 9. commercia linguæ iungere. Et B. Ambroſ. contra Symm. Commercia ſepulturæ nullis vnquam negata defunctis. Participio Manſuræ alludit Gunth. ad ſententiam Plautinam, Persâ Sc. Quæ res benè vertat. (Sic enim ibi 2. MSC. Cod. Camerarij, non vt vulgò vertant)

Pater, hominum immortalis eſt infamia:
Etiam tum viuit, cùm eſſe credas mortuam.

12. Eâdem Sc. porrò verſu ab hinc ſexto, eorundem MSC. ope conſilio ὀδῷ παρίεγως reſtituo Plauto elegantem articulum, *Tamenetſi*. Vulgò ibi legas: *Tametſi id futurum non eſt, &c.* Aç quoniam hoc ſcribendi genus ſolutum ac liberum eſt, bonisque auctoribus quauis occaſione perſanan-
13. dis iluſtrandisq; datur, paulò hîc etiam latiùs euagemur ad alia Plauti loca reſtituenda, vbi cad. particula ſuo loco extrua erat, eoque hanc interdicto Vnde vi reſtituamus. Rudeite, Sc. Quis me eſt mortalium.

Tamenetſi non hoc, aliud fabulemur.

Vbi vulgò, Tamen ſi. Sed hunc quidem locum ex coniectura; Illum autem iuſſu eorundem MSC. reſtituimus, Trinummo, Sc. Sta illicò: *Facile eſt inuentu: datur ignis, tamenetſi ab inimicis petas.* Eadem partic. Vulgò interpoſita diſtinctione malè dirimitur Militę, Sc. Quod volui. *Tamenetſi iſtuc mihi acerbum eſt, quia hero te carendum eſt optimo, &c.* Hæc igitur exempla addi poſſunt illis, quæ de hac partic. doctiſſimi viri annotârunt: Cuiac. 1. obſ. 14. & Muret. 1. Var. lect. 17.

534. *rationis apertæ*) f. *opertæ:* cùm mox dicat, *ſecretas tentare vias.* Quomodo & ſupr. aperto vultu corrigebam, operto.

547. *Protinus anguſto*) Facinus huic planè geminum Salluſtius deſcribit Bello Iugurthino, patratum à Ligure quodam, gregario milite in exercitu C. Marij in Numidia. Vtrumque locum rectè atq; vtiliter inter ſe conferes. Cæterùm pro *infringunt* ego diuinabam, *infigunt*: Pflugius, *inſtringunt*.

557. *ſic vbi cum ſummo*) Ita ſanaui locum, qui antea nullo ſenſu habebat, *conſumpto*. 568. *pu-*

Hosted by Google

568. *pugnam mala cauſſa metuſq; Impedit*) Alludit ad ſententiam Ouidij:

Frangit & attollit vires in milite cauſſa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

572. *turpi ſupplicio*) Suſpendium etiam apud Homer. Odyſſ. antepen. vocatur κρεμασθὸς δένδρεϕ. Crucem paulò pòſt pro patibulo dixit.

575. *Qui ſocios propria iuſſus ſuſpendere dextra Obtinuit vitam*) Facit huc, quod Gothofredus ad l. 31. ad beſtias. ff. de pœnis, annotat ex Io. Paponio, hoc in Italia, Germania & Gallia vſu receptum eſſe, vt capitis reus vitæ nonnunquam donetur, ſi carnificis officio in alios fungatur. Non temerè tamen id concedendum eſſe, ne alioqui plures fortè exiſtant carnifices, quàm rei. Exemplum eius moris ſanè antiqui hic locus ſuppeditat.

594. *Hæc*) Malè antea hîc legebatur, *Nec*.

601. *agit*) Ex hoc quoq; loco licet intelligere, viuente etiam tunc Friderico, hoc poëma ſcriptum eſſe.

Ibid. *Quis iam, precor, omnia codex hæc capiet*) Similiter loquebatur lib. 1. v. 114. Porrò ſeqq. verbis πυκνογράφον, ſeu Notarium deſignat: de quo notus eſt Martialis verſic.

Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Vide Auſonij Epigramma vltimum.

606. *Sudamus laborem*) πόνον πονεῖμεν. Exempla huius Atticiſmi Græcis iuxtà & Latinis ſcriptoribus vſitatiſſimi plura annotaui in Commentarijs ad Oppianum. Viſe & Budæ. Comment. Gr. Ling. Sic arcui triumphali Romæ inſcriptum eſſe aiunt:

Dum tibi, Roma, decus, aternaq; ſudo trophæa,
Iſter pacatis lenior ibat aquis.

610. *Quos oculata fides inſtruit*) Quia ſecundùm Plautum Trucul. Sc. Ne exſpectetis: *Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem. Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt.* Et Quintiliano teſte: acrior eſt oculorum, quàm aurium ſenſus. Et Herodotus ait: Aures minùs eſſe fidas hominibus, quàm oculi ſint. Ex quo Seneca ep. 6. Plus, inquit, homines oculis quàm auribus credunt. Rationem eius rei reddit Ariſtoteles lib. περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν, ὅτι ἡ ὄψις καθ' αὑτὴν. ἀκοὴ δὲ κατὰ συμβεβηκός. Eod. alludit Gunth. lib. 10. v. 542. & ſeq. Placet in hanc ſententiam

tentiam ſadſcribere verba Iohan. Chryſoſtomi ex homilia 14. epiſt. ad Hebræos: ἡ ἀκοὴ ἡμῶν ἀπιστοτέρα τῆς ὄψεως ἐστιν. ὃ γὰρ ὄτως, ἅπερ ἀκούσωμεν, τῇ ψυχῇ παραπέμπομεν ὡς ἅπερ ἂν ἴδωμεν αὐταῖς ὄψεσιν. Hinc eſt, quod Horatius in Arte, Oculos fideles vocat: cùm per aures demiſſa ſegniùs irritent animos. Hinc & Teſtis pro ſpectatore ferè vſurpatur. Nam & iure ciuili non creditur teſti ſe audiſſe dicenti, ſed ſe vidiſſe. Plaut. Pœnulo: Sc. Iam
14. iſtuc. Teſtem eſſe, pro inſpectare dixit. *Euocemus huc Agoraſtoclem, vt ipſe teſtis ſit ſibi certiſſimus.* Hoc ipſemet interpretatus ait: *Vt tute inſpectes aurum lenoni dari.* Sic in Priapeijs:

Ludens hæc ego teſte te Priape
Scripſi non nimium laboriosè.

Et alib. *Magnis teſtibus iſta res agetur.* Et Seneca Thebaid. Vbi Iocaſta bellum inter filios compoſitura ſic loquitur:

—— feruidos iuuenes anus
Tenebo, nullum teſte me fiet nefas:
Aut ſi quod & me teſte committi poteſt.
Non fiet vnum.

Plura dixi ad tit. Inſtit. de gradibus cognatorum.

612. Nos procul abſentes) Notandum ex hoc loco, Ipſum auctorem rebus geſtis Friderici Imperat. non interfuiſſe; ſed audita, & quidem de multis pauca tantùm, referre. Sic & infr. lib. 10. v. 581. non ſe armis, ſed carmine
15. caſtra ſecutum ait. Non eſt igitur fides adhibenda ijs, qui Guntherum Friderico in obſidione Mediolanenſi adfuiſſe volunt, vt Ennius in bello Punico Scipioni Africano: in quibus & Philippum Melanchthonem eſſe video lib. 4. Chronic.

613. Vulgata ſuperſtite fama) Sic lib. 8. v. 26.

NOTARVM LIBRI
QVARTI FINIS.

NO-

Hosted by Google

NOTARVM AD GVNTHERVM LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

1. *Baugaria, Multimodus.* 2. *Indignus Episcopus.* 3. *Scauus, Memoria rei damnata.* 4. *Alieni dilecti pœnam nemo sustinere debet.* 5. *Deuotus.* 6 *Episcopi olim subiecti magistratui seculari.* 7. *Acta, Res gestæ.* 8. *Canu, sella gestata, pœnæ caussa.* 9. *Discessio à coniectura Christophori Coleri.* 10. *excipere pœnam, sententiam iudicis, plagas, vulnera, verbera, &c.* 11. *Inauditus, pro diuulgato. Gunntherus sæpè emendatus.*

v. 6. *Patère)* Sic rectè Pithœus. Vulgò, parere. Sic infrà 6.385. *Excipiunt illum valuis reuerenter apertis.* Vide & v. 2. in arg. huius lib.

12. *vetus illa simultas)* de qua & supr. Hanc mor. v. prox. iram vocat. Ouid. tamen inter hæc duo aliquid interesse significat hoc versu:

Sapè simultates ira morata facit.

14. *flagrantem)* Et ad iram, & ad illum, referri posse videtur. Sed posterius tamen fortasse melius est. Pflugius legit, irâ.

20. *Baugariæ fines)* Mirum quantopere in huius regionis appellatione variatum sit apud scriptores. Quam varietatem omnem diligentissimè collegit Amplissimus Cos. Augustanus Marcus Velserus: quam συλλογὴν vir in summo dignitatis gradu summè doctus & humanus ad me misit, & ego hic ipso, vti spero non nolente, hîc inseram.

Boiorum Iornandes semel tantùm meminit, hactenus, vt prope Sueuos in Germania magna ad orientem solem coluisse significet, adeò sciuit vtrosq; distinguere, corrupto autem fœdè iam tunc vocabulo, Baiobaros aut Boiolaros appellauit, quod apud Germanos prima & quarta, vastæ ambæ vocales, sæpè inter se migrent. Duarum vltimarum syllabarum productionem scriptores mirè variarunt, Paulus Diaconus promiscuè Baioariam & Boioariam

Hosted by Google

am vſurpat, extrita B. littera, vti gentis leges quoq; veteres, & pleraq; vetuſta diplomata, Metellus Poëta, inter Boios credo antiquiſsimus, Baiaricam patriam & Baiaricum ſolum, Venantius Fortunatus Baioariam, Baiouariam, Baiuariam, nec enim manuſcripti codices ſatis ſibi conſtant, & apparet Baut V interiectas à craſsiori pronunciata, quo modo eſt videre in Romanis lapidibus. POSTERISQVE EVORVM, *aut etiam* ÆVORVM *pro* EORVM *Guntherus Baugariam. Auctor vitæ S. Vdalrici & Baiarios & Bauuarios & Bauuuarios triplici v habet, vnde porrò Bauaria paullatim nata, ceterùm multò maximus eſt numerus Baioariam ſcribentium. Multiplicis autem ſcriptionis originem ex Boiaris aut Boieris duci, quam vernaculam Boiorum appellationem eſſe, ſemel iteruméq; monuimus, omnes vident, auctoribus nimirum ijs, quorum aures & linguæ ipſæ barbaræ, Iornandem Paulumq; dico, & qui eius præterea generis, nam aliam etymi rationem comminſci fruſtra eſt, neq; inde obſcurum, quibus gradibus à Biaris ad Baiaros & Baioaros ſiue Baioarios, ab his ad Baiuarios atq; Bauaros tandem itum, quod nomen poſteroribus ſcriptoribus totum debemus, quamquam audacinimis deflexu à vulgari pronunciatione, in qua Boiorum veſtigia vtut lancinata comparebant, atq; adeò comparent. Vixit ante annos ab hinc ampliùs ſeptingentos, poſt Iornandem trecentos circiter, Otfridus monachus, vernaculum Germaniæ ſermonem omnium primus litteris tractare aggreſſus, is linguam appellat ſcriptu perdifficilem, propter litterarum plerumq; congeriem ſonumq; incommodum, & in eam rem multa argumenta colligit, nam de vocalibus, Germanos illis creberrimè præ eo, quod nunc ſit vſos eſſe, tota equidem Otfridi ſcriptio teſtimonium dicit: quæ meo ſenſu cauſſa longè certiſſima:*

tißima,mutatæ pro ſcribentium libidine, & verò etiam inſcitia,orthographiæ. Qui Bauaros ex Boijs & Auaribus, Auares autem Hunni, compoſitos exiſtimant, næ illi palam nugantur: Scythica hæc,illa Celtica gens, & rarò duo aliqui populi æquè pertinacibus odijs ſeſe exercuêre. Sed vt eo iterum reuertamur, incidit Iornandis de Boijs mentio in annum poſt Chriſtum natum plus minus quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum, vt ego quidem rationem meo, Theodericum quippe Italiæ Regem anno à Chriſto nato quingenteſimo vigeſimo ſexto mortem oïbſſe comperio,quam ſi ætatis ſeptuageſimo ſecundo obijt, quadringenteſimo quinquageſimo quarto natum eſſe conſequitur, atq; decimus octauus ætatis à Iornande eo loco memoratus, numerum à nobis indicatum attingat,oportet. Nam hæc intentè & diligenter viſum expendere, quòd poſt priſca Romanorum Imperatorum tempora, vetuſtiorem iſto vſq; adhuc nullum auctorem repererim, qui Boici nominis liquidò & diſertè meminerit. Marcomanicum contra poſthac extinctum funditùs perijt,neq; renatum vnquam eſt,quò probabilior & confirmatior ſuperior coniectura noſtra,iam vix coniectura, Boios ſub Marcomanorum aliquamdiu & imperio & nomine delituiſſe,his afflictis iterum emerſiſſe,&c.

23. *Labeslaus*) Aug.ed.Iabeſlaus,niſi I.pro L. poſitum ſit.Pern. Ladeſlaus.

26. *Saxonicaq; p. Alb. Marchio terra*) Veteres Terræ Saxoniæ dixiſſent: Vt terram Italiam, terram Siciliam, terram Africam, terram Græciam, terram Galliam, &c. dixêre. Potens terræ Horatiano more dicitur: vt potens Cypri. Fuit autem hic Albertus cognomento vrſus ex antiquiſſ. gente Anhaldiana & Aſcanienſi, Marchio Brandeburgic.

27. *reducemq; (metu vel amore) ſalutant*) Q. d. Incertum eſt, qua de cauſa fecerint.

31. *vt ſibi quiſq; nocens*) Reſpexit procul dubio ad Iuuenalis ſententiam initio Satyr. 13.

Hosted by Google

36. *ſui timentem*) Ita iungo. Niſi malis, terrore ſui.

37. *liquerat*) Ang.ed.liquerit.rectè. Sequitur enim, Incuſſerit.

49. *ſagaci*) iunge,pectore.non,imperio.

54. *huic*) Ita reſcripſi, quod vulgò legeb. *hinc*. Iungend.enim,huic liti.

61. *Omnes*) Sic lego cum Pith. vulgò, *Omnis*. Iunge, Omnes patres Baugariæ,id eſt, Proceres.

67. *quòd plebs ea*) Nota principium politicum.

69. *multimodas querelas*) Sic inf. 10. 575. multimodas figuras dixit:& multimodum ducem, 9, 58. vbi plura vide. Apud Lucret. & alios multimodis & omnimodis velut aduerbialiter ſumitur.

73. *Acriter inter ſe*) vulg.ſe inter. contra metron.

88.) *antè*) nimirùm 4.488.

92. *loquendi copia data*) id eſt, poſtquam facta audientia:vt non ſolum vulgus,ſed & Plautus & Cicero loquitur.

2. 96. *Vix dignus Epiſcopus*) Sic antiquitùs,cum adhuc ab ambitione,faſtu, pompaq; ſeculari longiùs remoti eſſent Epiſcopi, modeſtè ſimpliciterq; ſeſe appellabant. Ac profertur à Spieg. formula ſubſcriptionis, qua Epiſcopus Argentinenſis quondam fuerit vſus:Ego N. diuina fauente clementia Argentoratenſis Eccleſiæ paſtor indignus. O ſancta Deoq; amabilis humilitas & priſca humilitas vbi es?

99. *Eccleſiæ maioris in æde*) Mirè dictum: cum ædes ſit Eccleſia,& Eccleſia fit ædes. Seo infr. quoq; ita dicit pacem quietis.

101. *Deo ſanctiſq; ſuis*) Abutitur reciproco, ſuis: vt & inf. ſemel atq; iterum. Nota hic iusiurandum etiam, per Sanctos Dei homines factum.

106. *pura fides nullo fucata colore*) Hæc apud Paulum Apoſtolum eſt πίστις ἀνυπόκριτος.

3. 120. *nomina ſæua nocentum damnat*) malim, ſceua. Significat autem, eorum memoriam poſt mortem fuiſſe damnatam. Id quod iure ciuili in quibuſdam atrociorib. criminibus fieri ſolet. Vid. l. 20. ex iudiciorum ff. de accuſ. l. vlt. ff. Ad l. Iul. maieſt. l. pen. C. eod. l. 6. §. ſed ne eorum quidem

quidem. ff. de iniust. rupt. §. per contrarium. Inst. De hæred. quæ ab intest. def. l. 15. in SC. §. si propter. ff. Ad SC. Turpil l. 4. §. in mortem. C. de hæretic. Cum aliàs regulariter crimina morte reorum extinguantur, & accusatio perimatur. l. 3. & l. 6. ff. de publ. iudic. toto tit. Codice Si reus vel accus. mort. fuer. Symmach. lib. 10. ep. 47.

127. *nonne*) Ita restitui, cum vulgò perperam legatur, *nec ne*, vt & inf. v. 130. *Nec*, & , *non*. & *nunc*, sæpè in hoc opere librarij inter se commutarant.

134. *Desine paucorum*) *Noli paucorum crimen diffundere in omnes:* vt ait Ouid. 3. De Arte am. Sic Tacitus 13. Annal. Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere: nihil vniuersorum iuri derogandum. Idem volunt illæ Iuris ciuilis regulæ: Non debent pœnam luere, quos nulla contingit culpa. Nemo alieni criminis successor constituitur. Peccata suos auctores tenere debent. Ne vlteriùs progrediatur metus quàm reperiatur delictum. l. 7. ff. de bon. damn. l. 26. ff. de pœnis. l. 22. C. eod. l. 2. §. pen. ff. de decurion. arg. tit. C. Ne filius pro patre. Imò satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare: vt opt. Princeps D. Traianus rescripsit, teste Vlpiano l. 5. ff. de pœn. Ex Antiphone Oratore: *εἰ δίκαι τὶ ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολύσαι ὁσιώτερον ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημα ἴσι. τὸ δ' ἀδίκως ἀποκτεῖναι, ἀσέβημα.*

141. *Deuotoq; tibi populo*) Sic sup. lib. 3. vers. 452. Rom. Imperatori deuota futura dicebatur. Sic lib. 7. v. 123. *Indubitata tibi deuotæ pignora mentis.* Quomodo in vetere formula est: Deuotus numini maiestatiq; eius: de qua vid. Brissonium in eruditiss. opere De formulis. Seneca: Nemo non se deditum & deuotum professus est, & si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, inuenit. Sæpè tamen & aliter verbo Deuoti, & Deuotionis vtitur Gunth. vide Indicem.

142. *infidamq; suis*) Malim, *tuis*: quòd iungatur cum *viribus totis*. v. seq. An. *suis*, scilic. Regibus vel Magistratibus? quæ sanè duriuscula ellipsis mihi fore videtur.

148. *placando Cæsare*) fort. interponendùm, *In*. An potiùs ita dictum, vt Plaut. in Aul. Sc. 3. act. 1. EV, quod

tibi ſempiternum ſalutare ſit quærendis liberis. Quo dicendi modo, ſanè pulcherrimo, ſæpiùs Pl. vtitur. Mox iunge: ſuminam ſub nomine certo, id eſt, certi nominis.

156. temporis auctor) qui tempora condidit: vt lib. 1. verſ. 167.

158. Illic matre carens, &c.) ἀμήτωρ καὶ ἀπάτωρ.

161. vbi) f. *vti*.

171. fundere multiplices querelas) Hæc ſunt Grauamina, quæ vocantur, Ordinum Imperij in Comitijs hodieq; proponi ſolita.

175. Sic domino) Comparationem hanc ſumptam puto ex parabola Euangelica.

182. validos tumultus) Sic rapidos tumultus non ſemel dicit Gunth. Diuinabam, calidos: vt ſup. lib. 1. v. 665. pro valido pectore malebam reponere, calido: vbi rationes noſtras vide ſodes. verſ. ſeq. *indignans*, interpretor, indignum cenſens.

7. *189. Ob ſua crudeliter acta*) Cicero alijq; vett. Acta vocant ea, quæ in Repub. in pace quis egerit: Quæ verò in bellis, propriè Res geſtas. Cicero etiam Actas res dixit Philip. 10. Salluſtius tamen Acta etiam in bello vſurpat: vt hodie multi pro rebus geſtis vtuntur. Iugurth. Milites alij alium læti appellant, acta edocent atq; audiunt: ſua quiſq; fortia facta ad cœlum fert. Et: Lacrimans obteſtatur per amicitiam perq; ſua antea fideliter acta, ne ſuper tali ſcelere ſuſpectum ſe haberet. Ouid. Salluſtium imitatur: *Exitus acta probat.*

6. *192. aut ſanguine pœnas ſolueret*) Hic locus euidenter demonſtrat, Friderici temporib. Epiſcopos & Clericos etiam fuiſſe ſubiectos ſeculari iurisdictioni, cui ſe & ſuos poſtea ſubtraxerunt Pontifices. Hîc enim cùm ius vitæ ac necis Imp. in Arnoldum Archiepiſcopum Moguntinum haberet, gratiam ei criminis & pœnæ fecit.

194. vti ſi quis) Ita lego & diſtinguo. Vulgò, *vbi ſi quis*. Cuiacius laudans hunc locum 11. obſeru. c. 22. legit, *Ibi*. Non rectè. Iungenda enim: *vti cogatur*. Notanda hîc eſt vſitata veterihus Germanis pœna, qua rei capitalis damnati priuſquam capite plecterentur, canem vel ſellam ſcapulis ignominiæ cauſſa per paſſus aliquammultos portabant. Quod etiam ab alijs rerum noſtratium ſcriptoribus

ptoribus memoriæ proditum reperio. Sed quid cani, inquies, cum ſella? An ſella pro ephippio accipienda? vt lib. 4. v. 58. & vt ſedilibus pro ephippijs vtitur Nazarius Panegyrico ad Conſtantinum. An verò pòtiùs aſſentiendum coniecturæ Chriſtophori Coleri, legentis, fellem, pro ſellam? Ita hoc diceret Guntherus: Liber canem; alius (ſeruus ſcilicet, ſeu armiger, vt aliâs loquitur) fellem ſeu catum portare cogitur (Liber hîc pro Nobili poſitus videtur, vt aliâs Ingenuus.) Sed quò minus ad hanc coniecturam meum adijciam calculum, illud me impedit, quòd etiam Otho Friſingenſis (quem ſibi Gunth. ſequendum propoſuit) lib. 2. de reb. geſtis Friderici c. 28. ſellam habet, non fellem: niſi quis apud illum quoq; corruptam eſſe lectionem putet: Quod vero ſimile non videtur. Iſtius autem χυροφορίας (vel vt Mart. Cruſ. vocat χυροβαστάξιας) præter Friſingenſem etiam Dodechinus meminit Appendice ad Chronicon Mariani Scoti anno 1155. vbi & nomina quorundam Comitum exprimit, qui canes portârint. Ad ſellam vt redeamus, notum eſt, Sellularios & Sedentarios notari ſolere tanquam ignauos & viles homines. Sic ἀνιδρῶτες & χαμαιπετεῖς coniungit Iuſtinian. Nou. 90. de teſt. Ea fortaſſis ratione & hîc ſella ignauiæ ſymbolum eſt: vt canis contumaciæ & impudentiæ. Quamquam Nobiliſſ. Chriſtoph. Pflugius volebat, canem à nobili portatum fuiſſe, ideò, vt eum officij ſui neglecti admoneret, quod erat, excubare in aula, & regem cuſtodire ac defendere: quod mihi valde fit probabile, cùm recogito, etiam Chryſoſtomum aulicos vocare canes, non contumeliæ, ſed honoris & officij causâ, homilia 10. in 1. ad Theſſalonic. Non eſt huic Germanico mori abſimile, quod apud Romanos prius quàm cruci affigerentur rei, patibulum vel furcam per vrbem ferebant. De quo vide Lipſi. Comment. de Cruce. Plautus Carbonaria apud Nonium: Patibulum feram per vrbem; deinde affigar cruci.

9.

197. *pœnam excipiat*) Vt ſup. lib. 4. v. 96. prælia pectore firmo excipiunt. Sic dictum eleganter, vt apud Cicer. 2. Tuſc. Excipere plagas: & pro Seſt. vulnera quomodo & Gunth. hîc v. 190. apud Ouid. 2. Faſt. verbera: Et, Tela, apud Cicer. de prouincijs conſular. & 4. Verrin. & Silium Ital. libr. 10. Sic ferrum excipere dixit Querolus noſter

10.

Hosted by Google

pag. 14. vbi inter Excipere & Recipere ferrum distinguit eruditiſ. amicus meus Ian. Gruterus. Sic Gunth. paulo antè: Iram excepit ſcelerata manus. Et alibi: Brixia excepit feros motus belli. Sic excipere ſententiam iudicis dixit Symmach. lib. 10. ep. 47. Quis vnquam ſententiam Iudicis inauditus excepit? Et, Excipere actionem Iuſtinianus in tit. De his per quos agere poſſumus, &c.

204. *paſſus plus mille*) Per Teutonicum miliare, inquit Otho Friſing.

205. *Decem totidemq;*) An, totidem canes: vt intelligamus, ſingulos canes à ſingulis Comitib. fuiſſe portatos? an Decem totidemq;, id eſt, viginti Comites accipiemus?

207. *fœda pondera generoſo collo*) Elegans anthitheton. Sic ſup. in arg. huius lib. v. 6. *Ferrè canes ſcapulis, fœdiſſima pondera cogit.*

208. *cuius inaudita pœna*) Caue accipias inaudite pro nouæ, inuſitatæ, vel nunquam fando cognitæ: ſicut Cicero inauditam crudelitatem dixit: Item, in omni memoria inauditum, &c. Non ita hic, inquam: Quia, vt paulò antè Gunth. aiebat, vetere more hæc pœna recepta erat: Et, vetus conſuetudo pro lege inoleuerat apud Francos & Sueuos, vt loquitur Friſingenſis. Non igitur inauditæ eo, quo dixi, ſignificatu. Sed, pro diuulgatæ, diſſeminatæ, nuntiatæ hominum ſermonib. & fama, ſeu famigeratæ & cognitæ: ab Inaudio, quod eſt cognoſco, apud Ciceron. & alios. Plaut. Aulular. Credo ego, illum iam inaudiſſe, mihi theſaurum eſſe domi, &c. Vide Non. pag. 61. Quid autem, ſi
11. hic legamus, *inquditu*, id eſt, auditione: vt lib. 1. v. 103. cuius inauditu?

213. *iugis horrentia ſummis*) Quid ſi, *hærentia*, legamus? i. pendentia: vt lib. 8. v. 413. *difficili loca pendula cliuo.* non tamen nego, etiam vulg. lect. defendi poſſe, eo ſenſu, quo ſup. initio lib. 2. dixit, *anguſta locorum ſaxoſis horrenda iugis.* Et lib. 4. v. 359. *duris horrendas rupib. Alpes*: & v. 433. *nubiferis horrenda rupib. Alpes.*

217. *Artifices ſcelerum*) id eſt, Auctores. Vt Seneca Agamemnone: Sceleris infandi artifex. Vt Ars eſt τῶν μέσων, teſte Seruio in 1. Æn. ita & Artifex. μηχανορράφους κακῶν vocat Euripides.

219. *vel cruce*) Crucem pro furca dixit. Nam Crucis ſuppli-

ſupplicium diu antè à Conſtantino Magno in honorem Crucis Chriſti, qua redempti ſumus, ſublatum & in furcam commutatum eſſe conſtat.

224. *radios effundere*) malim, *diffundere*: vt apud Lucret. lib. 3. largè diffuſo lumine ridet æther. Et Valer. Flaccus 3. Argonaut. dixit, iubar diffundere.

225. *ſtudijs*) id eſt, factionibus, more Salluſtiano. Vid. ſup. lib. 1. pro *exercita*, Aug. ed. legit, *exterrita*.

228. *Quam*) Vulg. vt & in Aug. ed. *Quem*. Malè. Præceſſit enim, *reuoluta*.

233. *triduo*) Nota hinc, feſtum Pentecoſtes, vt & alia maiora, per triduum celebrari ſolitum ab illius quoq; ætate Eccleſia.

CAPVT II.

1. Re præpoſitio anceps. 2. Pœnæ propter exemplum infliguntur. 3. Diſcidium & diſſidium quid differant. 4. Auſonius correctus. 5. Nonius à Schoppio leuiter caſtigatus: 6. Itemq; Symmachus. 7. Prælabi, præfluere, pro præterlabi, præterfluere. 8. Subrepti relatus, id eſt, ſubreptitiæ relationes. 9. Ruffinus expoſitione Symboli correctius. 10. Odor, odores, pro aromatis. 11. Properare ἐπεγητικῶς. 12. Imitatio Salluſtij gemina. Guntheri verſus multi correcti.

235. *Retulit*) Vulgò, *Rettulit*: quaſi abſque geminatione litteræ non poſſet τὸ R E produci. Contrarium te docebunt Conlectanea Giphanij in Lucretium, & Scaliger ad Propertium: hunc, inquam, articulum veteribus nunc longum nunc breuem fuiſſe. 1.

239. *Exempla trahentem*) Nam vt grauiter ac verè de vſu & fine pœnarum B. Cyprianus ait: Serm. de Lapſis: *Plectuntur quidam, quò cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium tormenta paucorum.* Similia habet Seneca de Ira ex Platone. Et Plato Iudaicus, Philo inquam lib. περὶ ἀρετῶν. καὶ ἐτέρων πμορίαι, inquit, ἕνεκα τὰς πολλὰς φόβῳ τοῦ μὴ παραπλήσια παθεῖν. Hinc & παραδείγματα Græcis dicuntur pœnæ grauiores. ICti quoq; ſæpè monent, pœnas propter exemplum & in emendationē hominum conſtitui atq; infligi, vt cæteri à maleficijs deterreantur. l. 6. §. 1. l. 16. §. vlt. l. 20. l. 28. §. famoſos. ff. de pœn. l. 14. C. eod. l. 7. C. de plagiar. l. 31. ff. depoſiti. l. 6. ff. de cuſtod. reorum. l. 1. C. 2.

Repetund. l. 9. C. de reb. eorum, qui ſub tut. Contrà verò impunitas magna eſt peccandi illecebra. Sunt & alij fines & vtilitates pœnarum, de quibus aliâs.

244. *generoſæ prolis amore*) Hoc enim animo, hoc voto pij parentes matrimonia contrahunt (quemadmodum eleganter inquit Calliſtratus, l. 220. liberorum ff. de verb. ſign.) vt ex prole diuturnitatis ſibi memoriam in æuum relinquant. καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἡ τῶν ἀνθρώπων κατάστασις, ὅσα δυνατὸν, ἐκ τῆς διαδοχῆς τοῦ ἀεὶ εἶναι τυγχάνει, καὶ αἱ τῶν γονέων εὐχαὶ εἰς τοῦτο πᾶσαι συντείνουσι, vt eſt apud Ariſt. 1. Oec. c. 8.

246. *Quæ ſibi per quaſdam*) Probo opt. Pflugij reſtitutionem huius loci.

Quæ ſibi per quoſdam nuper traducta fideles,
Teutonicas vrbes & coniugis arua futuri
Principis accitu (vulgò à coitu) *iam ſpe regina tenebat.*

(vulg. ſpem) per quoſdam fideles, i. vaſallos: niſi quaſdam fideles intelligere malis feminas, quibus à principe id negotij datum fuerit. Principis accitu, id eſt, vocatione, accerſitione: vt & inf. loquitur lib. 10. v. 2.

252. *diſcidium*) Pern. *diſſidium*. Quidam inter hęc duo
3. ita diſtinguunt, vt diſſidium eſſe velint animorum diſtractionem, Diſcidiũ verò corporum. Theod. Pulman. quoq; aliquoties apud Ter. vbi vulg. legitur diſſidium, ex MSC. libb. repoſuit, diſcidium. Vt And. Sc. Iam vbi. *Valeant qui inter nos diſcidium volunt.* Sic Hecyr. Sc. Dixtíne: *Neq; culpa hoc euenisſe diſcidium mea, id teſtor Deos.* Et ead. fab. Sc. Nihil apud: *Profectò in hac re nihil mali eſt, quod ſit diſcidio di-*
4. *gnum.* Sic olim in Perioch. 4. Il. apud Auſ. reſtituebam, Diſcidium fœderis comminiſcitur. Vbi etiam vulg. Diſſidium. Sed differentia illa vera non videtur Schoppio noſtro in Veriſim. lib. 2. c. 8.

253. *vt fortè*) Sic rectè ed. Pern. & nos antea de coniectura correxeramus, quod hic vulg. erat, *vi*. Sic alibi cõtrarium peccatum peccârunt librarij, poſito *vt* pro *vi*. Exemplũ obſeruauit Schop. apud Non. in Lactare: Accius Alcmęone: Tanta vi fruſtrando lactans vanans protrahis. Vbi
5. ed. vulg. Tanta vt fr. Vid. eius Comment. *de Arte Critica*.

255. *Principe digna viro, prolem paritura beatam*) Ludit in nomine Beatricis, vt alibi in ipſius Friderici. Cæterùm hic pulcerrimus verſus ita eſt ſimilis cuidam Oppiani, vt

vix

vix ouum ouo ſimilius eſſe poſſit aut lac lacti. Sic enim Cilix noſter Cyneg. 1.

Νύμφη ἀειῳοπόσῳα, λιχὼ ὃ πεγαλιτόκεια.

263. Alluit) fort. *Abluit.* nam flumen ipſum dicitur alluere mœnia vel muros. at Vrbs rectiùs dicetur abluere muros flumine.

273. ſuprema voluntas) Teſtamentum, quod ſæpè in iure ita dicitur. nonnunquam etiam ſuprema iudicia: vel ſuprema hominis, vt apud Paxinian. At Symm. ſuprema pro morte vſurpantur.

277. primi nominis vrbes) Si reſcribend. cenſui, vbi vulgò, *Primas.*

281. reliquas prælabitur amnis) Prælabitur pro præterlabitur dixit, imitatus, credo, vt ſæpè, Symm. lib. 1. ep. 8. volitat tuus Moſella per manus ſinuſq; multorum, ſed tantùm noſtra ora prælabitur. Sic enim ibi ex v. c. legend. docuit Schop. veriſimil. vbi vulgò, *præterlabitur.* Sic Petr. in hac præclara ſententia incultis aſperiſqùe regionib. diutiùs niues hærent: aſt vbi eâ aratro domefacta tellus nitet, dũ loqueris leuis pruina delabitur. Similiter in pectorib. ira conſidit: feras quidem mentes obſidet; eruditas prælabitur. Sic eleganter Columella prelabentis temporis fugã irreparabilem dixit, i. præterlabentis. Eod. modo Hor. 4. Od. 3. Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt, vt ibi Cruq. & Giph. ex MSC. ſuis legunt. Viſe hunc Indice Lucretiano, verbo Præſtringere. 6.

287. humanis rebus adempto) Reb. humanis eximi, pro mori. vide Lexic. Iuris ἐυφημία veterib. maximè vſitata cum de magnatib. ſermo eſt. 7.

290. nimirum) vulgò, *nimium.* Sed illud omninò poſtulat & metri & ſententiæ ratio. Erroris fontem hunc fuiſſe puto, quia paulò pòſt v. 293. ſequitur: nimiũ memor. Putabat ergo librarius etiam hîc, nimium fretus, legi debere. Pflugius tamen retinet, nimium; deinde pro Et legit, Sed quòd exponit, ſed etiam.

299. Vt quaſi) Ita rectè Perna. vulgò, *Et quaſi.* Sic *vtq;* pro *Atq;* reſtituii inf. verſ. 572.

321. meliora) ſcil. priore matrimonio, quod dirimendum fuit vt ſupra d. Quod ideo monco, ne quis imperitè iungat, meliora nouis fatis.

325. *precordia regni*) Hac elegante metaph. denotat vrbem in meditullio Imperij ſitam, & velut vmbilicum regni: Vt ὀμφαλὸν γαίης Delphos veteres dixêre.

328. *Quanti Pontifices, quanti coiêre potentes*) Quanti pro Quot. Vid. ſup. lib. 4. v. 373.

332. *littoreas numerare arenas*) ἄμμον μετρεῖν. ἀδύνατον: Qualia apud Poëtas multa.

337. *Henrice*) Hos quinq; filios Friderici etiam ſup. commemorauit lib. 1. v. 54. & ſeqq.

347. *ſi non florente iuuenta Inuida fallaces rupiſſent ſtamina Parcæ*) Similia ſunt in Epigrammate ſtatuæ Oppiani adſcripto:

εἰ δ' πολύν με χρόνον ζωὸν μίμνε φθόνος αἰνός
εἴασεν, &c.

Et Aſclepiades lib. 3. Antol. Erinnam Poëtriam, quæ adoleſcentula extincta eſt, hoc modo facit loquentem:

εἰ δ' ἀΐδας μοι μὴ ταχὺς ἦλθε, τίς ἂν τελίνην ἔσχ' ὄνομα.

353. *vocatos*) Legebatur antea, *vocatus*.

358. *hymenæa*) Metaplaſmus eſſe videtur, quales alibi plures annotaui. An potiùs hymenæa carmina iungendum?

364. *egregio Manueli*) Ironia eſt. Nam perfidum antea vocauit.

371. *Fraudibus*) Crimen falſi à Græcis legatis commiſſum notetur.

8. 379. *Subreptiſq; dolo relatibus*) Vulgò ſubreptitij vel obreptitij relatus appellantur. Vid. l. 2. C. De legibus, &c. Sic obreptiuum oraculum dicitur in l. 8. C. Theod. de Paganis, &c. Sic obreptiuam ſupplicationem vocat Symm. 5. ep. 64. & obreptiuas publicationes lib. 10. ep. 58. Subreptos relatus dixit pro ijs, qui ſubrepſerunt: vt ſucceſſa pro ijs, quæ ſucceſſerunt, anteceſſus pro eo, qui anteceſſit. Sic conſpiratis factiouum partibus dixit Phœdrus fab. 2. pro cùm partes conſpiraſſent. De quo eruditè Schoppius noſter in veriſimilibus. Surrependi verbum moneo obiter reſtituendum videri Ruffino in Expoſitione Symboli

9. Apoſtolici. Nam vbi vulg. legitur: Hi qui prima fidei elementa ſuſcipiunt, teſtimonia hæc habeant in corde ſcripta, vt nulla eis vnquam de his, quæ credunt, ambiguitas inimica ſurripiat: legendum videtur: ſurrepat.

382. *igna-*

382. *ignauaq; pectora*) Malim, *ignara*. Quamuis & inf. fæpiùs ignauum vulgus appelletur.

390. *dominis infidum ac mobile vulgus*) Sic Salluſt. Vulgus, vti plerumque ſolet, ingenio mobili, ſeditioſum atq; diſcordioſum erat, cupidum nouarum rerum, quieti & otio aduorſum. Quem locum puto hoc & ſeqq. verſib. faciundis Gunthero in conſpectu fuiſſe.

401. *aromatico conditum corpus odore*) odor pro aromate, imitatione veterum: vt Ciceronis, Virgilij, Horatij, Columellæ, Auſonij, &c. Eſt tamen in hac ſignificatione vſitatior numerus pluratiuus. Cic. 3. Tuſc. Incendes odores. Virg. 4. Georg. *ſuadebo incendere odores.* Horat. *in vicum vendentem thus & odores. Et piper, &c.* Auſon. Epigr. *Eune quid adfectas vendentem Phyllida odores?* Vlp. l. 7. ff. de in rem verſ. Si odores & vnguenta ſeruus emerit, & ad funus erogauerit. Pompon. l. 27. ff. de acquir. rer. domi. coctis odoribus vnguenta facimus, &c. Vet. Gloſſar. Latino-græcum odores exponit ἀρώματα. Et alterum Græcolat. ἄρωμα, odoramentum. 10.

419. *vti tandem*) Vulgò malè, *vbi*.

420. *Æternum veteri ſuem poſitura querelæ*) Nota, ſimultates & inimititias inter Principes ſæpè componi coniugijs, & affinitatibus. Exempla apud Hiſtoricos vbique obuia. Vide & inf. h. lib. v. 538.

428. *famamq; bonam præferre dolori*) Quantæ curæ Principi fama eſſe debeat, vid. inf. l. 6. v. 303.

435. *Properabat cœpta*) Properare aliquid ἐπεξηγητικῶς more veterum vſurpat: vt Attius apud Nonium: 11.

Melius pigraſſe, quàm properaſſe eſt nefas.

Tacitus Annal. 3. quod multos etiam bonos peſſundedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, præmatura vel cum exitio properant. Sic properare mortem, fulmina, arma, dixit Virg. Sic Propertius properare laborem, lib. 3. eleg. 20. Magnum iter. Vide plura in Prodromo noſtro ad Symmachum. Sic apud Iuſtinian. in tit. de publ. iudic. Si quis parentis fata properauerit, legend. vbi vulgò præparauerit. Vid. Cuiac. Notas ad eum locum.

443. *Si non perſpicuis patuiſſet cognita ſignis veſtra fides*) Videtur expreſſum ex Epiſtola Catilinæ ad Q. Catulum apud Salluſt. Egregia tua fides, re cognita, grata 12.

mihi

mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendationi tribuit. &c.

466. *timidumq;* vulgò tumidumq;

CAPVT III.

1. *Spiegelij in Gunthero expositio aliena reiecta. 2. Opes, pro potentia. 3. Priuatus, pro proprio. 4. Exfestucare, Resutare, Resignare, verba feudalia. Guntherus multoties emaculatus.*

1. 469. *Patientia nostra timori datur*) Quia (inquit Spiegel:) tarditatem pœnæ grauitate compensat: vt de diuina ira dixit Valerius. Quod verum quidem est; sed hæc expositio non attingit mentem Poëtæ. Is hoc tantùm dicit: Mediolanenses leuitatem patientiamq; nostram malè interpretantur, vel sequius accipiunt. Malè ipsos docet mea facilitas. Nam proficisci eam putant à timiditate: in quo ipsos vehementer falli, docebit eorum exitus vel potiùs exitium. Ex hoc loco disce, quî fiat quòd secundum Ausonium, *Parcit quisq; malis perdere vult bonos: & Bonis nocet, quisquis pepercerit malis*, vt habet Mimus Publij. Qua de re supr. lib. 1. v. 479.

474. *cades tantò grauiore ruina*) Quia vt Claudian. ait: *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.* Et Aristoteles in 2. Rhetoric. nescio cuius auctoris versus laudat, qui sunt huius sententiæ, Mureto interprete:

Fortuna in altum sæpè multos prouehit,
Non quod benè illis esse consultum velit;
Sed vt inde casu insigniore corruant.

Vel vt Maioragius reddidit:

Felicitates at q; opes dat maximas
Fortuna multis, non quod illos diligat,
Sed de gradu præstantiore vt decidant.

Vide etiam Lucan. lib. 1. vers. 70.

475. *nunc alijs*) Ita rectè Pern. ed. Legebatur antea N E C, nullo neque metro neq; sensu. Error ex notis, ñe natus. Sic apud Ciceronem ad Att. lib. 15. ep. 5. *nõ curem*, legebatur perperam, pro, *nunc curem*. quod rectè Sim. Bosius animaduertit.

478. *Nunc age*) proagite. vt inf. lib. 6. vers. 378. Propert. nunc agedum dominæ mentem conuertite nostræ.

Sic

Hosted by Google

Sic & apud Græcos ἄγε in exhortatione ad plures vſurpatur. Pro *acta*, malebam, *auſis*. Sed acta pro factis etiã aliâs vſurpat Gunth.

481. *Tutius eſt ferro*) Ex Ouidio 1. Metamorph.

—— *Namq; immedicabile vulnus*
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Sic Lucan. lib. 1 verſ. 140. *Dumq; nimis iam putrida membra recidit, Exceſſit medicina modum.* Quem locum Gunth. hîc ante oculos habuit.

503. *opes*) Sic lib. 6. verſ. 192. opes regni dixit: id eſt, vires & potentiam, more Lucretij, Ciceronis & Salluſtij, ac Liuij, qui ſæpè opes non ad ſignificandas diuitias, ſed ad vires & potentiam vſurpant. Lucretij quidem eſt illud lib. 3. Ad ſummas emergere opes rerumque potiri. Salluſt. Catilina: Profectò virtus atque ſapientia maior in illis (MSC. noſter, quem dono dedit Schoppius, omiſſo, in, illis) fuit, qui ex paruis opib. tantum imperium fecêre, quam in nobis, qui ea benè (vel vt idem MSC. noſter, bona) parta vix retinemus. Cic. pro Muræna: Veſtram, iudices, poteſtatem ac veſtras opes intuetur. Adeoq; vix vnquam aliter eo vtitur. Alij tamen opes pro diuitijs dixêre: vt Horat. magnas inter opes inops. Et idem Salluſtius alibi: Nam ſemper in vrbe quib. opes nullæ ſunt, bonis inuident, malos extollunt. Quamuis & hîc opes pro potentia accipi poſſint. Legebatur hîc *vbi* pro *vti*. 2.

506. *fortem*) Pflug. *fontem*.

517. *mortalia corpora ferro confodit*) Pflug. *mortali*, id eſt lethali & mortifero ferto.

523. *Vingeuum*) Aug. ed. *Vigeuum*.

530. *tamen*) Ita Pith. correxit. legebatur, *tum*. Ex quo ego, *tunc*, faciebam.

532. *feſta gaudia*) nuptiarum cum Beatrice.

536. *notificant*) ea.

552. *at bellum*) Ita repoſui, pro *Ad*. Sic ſup. vitioſè legeb. *adq;* pro, *atq;*.

553. *priuati*) id eſt, proprij. vt lib. 6. verſ. 443. paulus Feſti: decurtator: priuata dicuntur, quæ vniuscuiusq; ſint. Cicero quoq; 3. de Finib. coniungit priuata ac ſua: verbis tamen (inquit) in dicendo quaſi priuatis vtuntur ac ſuis. 3.

Sic

Sic Tertullianus. Allusum autem hic puto ad sententiam Pindaricam: τὸ οἰκεῖον πίζοι. ἀλλοτρίων δὲ ἐ μέλει.

560. *per septem signa Ducatum Ritè resignauit*) Quemadmodum inuestitura seu traditio possessionis in feudis per symbola quædam fieri solet, vt sup. dixi: v. 9. per vexillum, baculum, sceptrum, gladium &c. Ita & resignatio seu Deuestitura, quam exfestucationem vocant scriptores Gunth. σύγχρονοι. Sic Otho Frisi. lib. 1. c. 8. De Gestis. Frid. 4. Conditio pacis fuit, vt Bertolf. Ducatum exfestucaret. Id. Chron. c. 34. Eugen. Papa cum Rom. hoc tempore pacem fecit, vt patriciatus dignitatem exfestucarent. Plura vid. apud Hotom. De verbis Feud. Resignare autem (quod mireris) etiam Horat. sic vsurpat, pro reddere, vel à se dimittere. lib. 3. od. 29. *Si celeres quatit* (Fortuna) *pennas, resigno quæ dedit.* Et 1. Ep. 7. *Hoc ego si compellar imagine, cuncta resigno.* Eodem significatu Feudistæ vtuntur verbo Refutare: vt Refutare feudum, pro reddere. Imò & Sallust. ità locutus traditur in fragm. Hist. à Seruio in 4. Georg. Se regib. deuouent, & post eos vitam refutant. nisi fortè verius sit, eum scripsisse, reputant.

564. *Marchia tunc*) Austria primùm Marchia seu Marchionatus fuit: Post per Conrad. Imp. primò, & mox per eius successorem Frider. Aenobarb. in Ducatum commutata, trib. Comitatib. in vnum coniunctis. Hodie ad Archiducatum ascendit, & in paucis seculis Imperatorum Enneadem nobis protulit. Ex quibus ille qui nunc rerum potitur,

Viuat iò, vincatq; Pius, regnetq; Rudolphus.

569. *Néue secuturi*) Grauis est quæstio in Polit. An Rex aut Imp. antecessoris sui acta rescindere aut retractare possit, an illis stare cogatur. Ad eam hic respicit.

572. *Vtq; bono pacis*) Legebatur, *atq;*. etiam in Aug. ed. Sic supr. *Et* pro *Vt*. Pithœus retinet τὸ, *Atq;*, & in vers. seq. inserit, *vt: regali vt frueretur munere.* Cui non adsentior.

576. *Pacifico sub Rege*) Saturno, inquit Spieg. Credo quia Aureæ ætatis hic fit mentio, quam Saturno Rege fuisse fabulantur Poëtæ. Sed non est opus tàm altè ascendere. Imò Pacificum regem dicit Gunth. Fridericum ipsum, ad cuius nomen alludit: quod in lingua vernacula notum est

est, tantundem valere, quantum apud Hebræos Salomonis. Pro reuixerat, malim hîc reluxerat. Sic Ammianus Marcellinus lib. 25. de temporibus Iuliani Imperatoris. Æstimari poterat vetus illa Iustitia, quàm offensam vitijs hominum Aratus extollit in cœlum, eo imperante rediisse rursus ad terras.

577. *quantum placida firmata pace quietis*) Martialis eleganter lib. 9. Epig. *pacis amica quies.*

580. *astrictos laxauerat ante furores*) Sic ordina. Laxauerat furores ante astrictos.

NOTARVM LIBRI QVINTI FINIS.

NOTARVM AD GVNTHERVM LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

1. Alijs quàm sibi indulgere & ignoscere laudabilius est. 2. Obuenire. 3. Funiculus in diuisione. 4. Nazarij Panegyricus emendatur. 5. Limites Germaniæ. 6. Dare ventis. Ventus & unda rapit. 7. Condicere, Condictio. 8. Manumissio equestru & armorum concessio. Guntherus plurimis in locis emendatus.

v. 8. PErdere) se. Ellipsi hac elegante sæpiùs Guntherus vtitur.

9. *Quo nihil adiectum*) Semper igitur illud PLVS VLTRA, quod Max. Imper. Carolo V. pro symbolo fuit, etiam Fridericus noster in animo habuit, quod est generosi spiritus indicium. Sic Titus illum se diem perdidisse putabat, quo neminem beneficio affecerat.

10. *Quamq; alijs dederat pacem, sibi sponte negabat*) Exemplo Catonis, quem alijs facilius, quàm sibi ignouisse scribunt. Plutar. in vita eius: συγγνώμην ἔφη δίδοναι πᾶσι τοῖς ἁμαρτάνουσι πλὴν ἑαυτῷ. Ipse de sese apud Sallust. in coniurat. Catilin. Eleganter ad hanc rem Symmachus lib. 10. ep. 22.

1.

ep. 22. *Hoc est specimen animi continentis, sibi negare, quod alijs deferatur.* Id. eod. lib. ep. 25. *Magistratus bonus in alios sit temperatus; in se seuerus, sine contemptu facilis, sine terrore reuerendus.*

13. *Hos, vt fama tenet*) Nota hanc χωρογραφίαν terræ Poloniæ, & morum eius gentis descriptionem.

35. *partimq; nocentes*) Quia prope claudum habitantes claudicare discunt, vt est in vetere verbo.

40. *Vitem copulat vlmo*) Horatius in Epod. elegantiss. hoc dicit, maritare.

43. *assiduis pirata senescit in vndis*) pro, assiduò. hypalliage, quali & aliàs vtitur, vt inf. v. 75. Pirata, expono, tamquam pirata: vt apud Horat. Epod. Nec excitatur classico miles truci.

49. *recreatur*) id est, pascitur, alitur, cibatur. De hoc Lucretiano verbo dixi lib. 4. vers. 75. Eod. & Plautus vtitur Menæch. Sc. 1. sed ita, vt significet, plus etiam esse Recreare quam Alere. Sic enim ait:

Nam illic homo homines non alit,
Verùm educat Recreatque.

Describit hoc loco Gunth. ἀνθρωποφαγίαν Scythicam seu Tartaricam, quæ ne à charissimis quidem abstinuit, vt à maternis carnibus. Credo quòd honestum duxerit, suis in
2. proprio ventre conditorium struere.

55. *Funiculi sub sorte tribus deuenerat*) Si carminis lex
3. passa fuisset, posuisset opinor, obuenerat. Hoc enim verbum ICtis in hac notione vsitatius est. Nec Iurisconsl. tantùm, vt l. 130. lege obuenire. ff. de verb. signif. &c. sed & Varroni & Ciceroni & Cornificio alijsq;, vt: Si istiusmodi mihi fundus hæreditate obuenerit, Varro 1. De re rust. cap. 12. vt, hæreditas ei obuenit. Cornific. 4. ad Heren. vt, Obuenit hæreditas: Philosophia homini non obuenit. Cicero. Idem 4. Verrin. Sorte prouincia Sicilia Verri obuenit. Sic Iudices alicui obuenire dicuntur apud eundem pro Cluentio. Nam vt de prouincijs sortiebantur, ita & Iudices sortitò eligebantur. Omninò igitur fortunæ quædam significatio in hoc Obueniendi verbo continetur. Plautus etiam simplici vsus est, Curculione, Scen. Flos veteris vini *Mihi haud sæpè veniunt tales hæreditates.* Ita enim ibi lego cum Iano Guilielmio & ex auctoritate MSC. Camerar. vbi

Lamb.

Hosted by Google

Lamb.& vulg.ed.Eueniunt. Quod ait Gunth.funiculi sub sorte,ex sacris litteris sumpsit:in quib. dimensio agrorum & diuisio funiculis fit.vid.Deuteron.c.32.& Psalm.16.77. & 104.

57. *nomina barbara*) Polonorum horrida, &, vt Plautus vocat, latrantia nomina non ingrediuntur metrum Latinum.Sic supr. De Franconefurt & Magdeburg, Germanicarum ciuitatum nominib. similiter dicebat. Facit huc elegans locus in Panegyrico Nazarij: Quid memorem Bructeros,quid Chamauos, quid Cheruscos (vulgò non rectè Clamasos,Eruscos: Vnde B.Rhen. Etruscos facere voluit) Vangionas, Alamanos, Tubantes? Bellicum strepunt nomina,& immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem.Sed & in Nazarij illo, & aliorum Panegyricis iam olim plura emendauimus in Exercitationib. ad Ausonium. 4.

61. *Cuius,ob inuidiam,fratres*) Sic rectè ed.Pern.cum vulgò legatur, infidiam : quod nusquam lectum est pro perfidia,nisi in vet. Glossar.

63. *compulerunt*) Sic restitue,pro *compulerant*. Præcessit enim abiecêre:cui certè respondere debet, compulerunt,non compulerant.Est autem vsitatissima hæc systole Lucretio,Virgilio,alijsq; optimæ notæ Poëtis: vt dididêrunt: steterunt &c. Sic Varro *περὶ μέθης* apud Nonium: Hoc ægritudinem ad medendum inuenerunt. Loquitur de vino. Præcessit enim hic versus : Vino nihil iucundiùs quicquam cluit. Vbi sine caussa mihi quidem videtur Giphanius noster mutare Vino in Oino. Nam si ita scripsisset Varro,certè debebat postea subinferre Hunc,non Hoc.Sic Tibullus lib.2.Eleg.3.nec cithara, intonsæ profuerunt úe comæ.

67. *deflebat ærumnas suas*) id est, flens commemorabat vel exponebat. Sic & alibi Gunth. Deflendi & Dequerendi verba vsurpat.

73. *Iura*) malim,*rura*.Cum enim Iura sint res incorporales apud ICtos,teneri aut tangi non possunt.

75. *assiduâ mansit in aulâ*) Ita per hypallagen dictum, vt paulò antè v. 43. assiduis in vndis. pro assiduò mansit.nisi fortasse ita hîc etiam legendum quis putet. vel nisi fortè pro diuiti positum est, vt in 12.tabulis assiduus ciuis.

77. *Patruiq; loco*) Cunradi Imp. de quo sup. lib. 1.

81. *Nec iurare fidem, nec prisco more tributa Annua pendere*) Nota ex hoc loco, Polonorum Regem antiquitus Imperatori Rom. fuisse obnoxium, adeoq; & fidelitatem ei iurare vasalli in morem, & annuũ tributum Quingentarum Marcarum pendere solitum.

83. *Sæpè repulsa Infremuit iustâ patientia nobilis iræ*) Alludit ad sententiam P. Mimi. *Furor fit læsa sæpiùs patientia.* ἔνιοι γὰρ καὶ μύια σωλῆνα.

87. *Obicibus*) vulgò, obijcibus. Porrò ita disting. sequentia, aditus peruenit ad vsq;, Odera Germanos quà separat atq; Polonos. vulgò, quæ separat. malè. Sed Aug. ed. quoq; rectè legit, quà. Nota hìc, Gunther. Poloniæ & Germaniæ limitem constituere Oderam, seu Viadrum. Sic eleganter Phil. Melanthon. Germaniæ terminos ponit hoc epigrammate.

Rhenus ab occasu, Viadri sed flumen ab ortu,
Clauserunt fines, Teutona terra, tuos.
Aëriaq; Alpes immotum limes ad austrum.
Balthicus ad Boream terminat Oceanus.

92. *At Rex infectum*) Sic aliquando hic rescripsi pro eo, quod vulgò erat, inuictam: & in ed. Pern. inuictum: Nihilq; verius putabam quàm *infectum*. Sed nunc tali mutatione nihil opus esse video. Ait enim, Frideric. nihil relequisse inuictum, adeò quidem vt naturã ipsam vincere tentarit. Confer huc, quæ suprà annotaui ad lib. 4. v. 284.

94. *Ipsam, quæ cunctis imperat, naturam vincere*) ἡ φύσις παυδαμάτωρ καὶ παμβασίλεια Alludit ad sententiam Eueni, vt puto.

ἐκ μελίτης πλείους ἢ κ' Φύσεως ἀγαθοί.

Et alterius: μιλίτη πάντα δύνανται. Peccabat hic distinctio, quam correximus.

110. *his, qui sibi mente feroci Parcere noluerant, indignum parcere*) Qui sibi ipsi non pepercit, ei parcendum non est: Is indignus est, cui parcatur. Similis est sententia ICti Marciani in l. vlt. §. sic autem. ff. de bon. eorum qui ante sentent. & Vlpiani in l. 23. cum autem §. excipitur. ff. de ædil. ed. Qui sibi non pepercit, multò minus alij parcet. Ex quo hos aliquando versiculos fecimus.

Cui-

Hosted by Google

Cui nam hominum parcat, sibi qui non ipse pepercit?
Qui malus est in se, cui queat esse bonus?

120. *Quam miser)* Obseruandæ conditiones, quibus venia à Frider. data Polono, & is in deditionem acceptus.

125. *At tibi, quæ rutilo)* Vulgò & in Aug. ed. quoq; legebatur, qui. Sed Pern. rectè, Quæ: quomodo & ego antea restitueram. Quæ, scil. vxor regia, quod sequitur inf. v. 127. significatur Augusta Beatrix.

129. *Nec se de solio)* De iniuria iureiurando se purgandi mos vetustissimus est, cuius etiam apud Plaut. & Terent. fit mentio. Ad eum morem Guntherus hîc respicit. Notum est illud in Amphitr. Exiurâsti, te mihi dixisse periocum. Item illud ex Adelphis, Sc. obsecro populares: *Tu quod te posterius purges, hanc iniuriam mihi nolle factam esse, &c.* Mox: *Nollem factum: Iusiurandum dabitur, te esse indignum iniuriâ hac.*

131. *se præsentaret in vrbem virgineam)* Sisteret se iuri Magdeburgi in vrbe Saxon. celeberrima. Contrario verbo Absentare vtitur Claudianus de rapt. Proserpinæ.

136. *Rursus ad obscœnos mores vitiumq; recurrens)* Vt canis ad vomitum, vt sus lota ad volutabrum cœni reuertitur: quemadmodum paremiæ etiam sacris scriptoribus frequentatæ habent. De pleonasmo bonis auctoribus vsitato, rursus recurrens, aliâs dixi. 6.

137. *Æolijs dedit irrita ferre procellis)* Dare ventis, Loqui in ventos, vel à procellis discerpi ac diripi, formulæ sunt loquendi, quibus plurimi auctores de vanis & inanibus promissis, votis, verbis, admonitionibus, minis ac præceptis vsi sunt, & miris quidem modis variantes. Succurrunt nunc isti: Callimachus, Lucretius, Catullus, Tibullus & Propertius.

Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.
Et: *Quæ cuncta aërij discerpunt irrita venti.*
Catul. Argonaut. Tibul. 1. eleg. 4. *Veneris periuria venti Irrita per terras & freta summa ferunt.* Et eleg. seq. *Quæ nunc Caurusq; Notusq; Iactat odoratos vota per Armenios.* Idem lib. 3. eleg. 6. *Venti temeraria vota, Aëria & nubes diripienda ferant.* Et mox seq. eleg.

Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Iuppiter, & ventos irrita ferre iubet.

Propert. Eleg. 7. lib. 4.

Fœderis heu taciti cuius fallacia verba
Non audituri diripuêre noti.

Idem lib. 2.

Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas,

Et eodem lib.

Quicquid iurârunt, ventus & vnda rapit.

Et lib. 1.

At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

Lucret. lib. 4. *Tu fac ne ventis verba profundam.* Ouid. 5. Fastor.

Abstulerint celeres improba verba noti.

Callimach. Epigr. 10. ὅτε κωφαῖς ἄλγια μὰψ ἄνεμος ἔσχατον ἐξεύρῃ. Huc pertinet prouerbium: εἰς ἄϊρα λαλεῖν. Et illud Catullianum: *Mulier cupido quod dicit amanti, In vento & rapida scribere oportet aqua.* Vbi tamen vir doctus tentat legendum, *in vino scrib.* nimis acerbè ob id reprehensus à Iano Dousa filio ad eum Catulli versum.

7. 139. *Quam Rex fraternæ liti condixerat vrbem*) id est, nominârat, denunciârat. Nihil enim aliud est condictio, quàm eius rei, quæ agitur denunciatio, vt ait Festus, & explicatur à ICtis ad §. appellamus. Inst. de action. Vet. Gloss. παρεγγελία. Denuntiatio, Condictio, Interdictum. Condicere est Denunciare, priscè. Nunc verò Condictionem omnem in personam actionem dicimus. Sic & inf. loquitur, v. 398. Cæterùm, fraternas lites omnium grauissimas esse, notum vel de sententia Euripidis, & de prouerbio. quod inde natum.

143. *verba satis ampullosa*) Notus est Horatij versus in Arte:

Proïcit ampullas & sesquipedalia verba.

Quæ Aristophani sunt μυριαμφορα. Seneca vocat magnifica verba: qualia qui profert, à Græcis κομποφανελοῤῥήμων dicitur. κομπεῖν δ' ἐς ἀτελῆ σὺν ψεύδεσιν αἰσχρὸν ὄνειδος, secundùm Sophoclis sapientiss. versum: cuius hic est sensus: *Irrita probrum est turpe nimis iactantia mendax.* Videtur autem terminatio ista verbi à Gunther. primùm nouata esse. Nam apud alios tantùm ampullaceus & ampullarius reperi. Horatius etiam verbo Ampullari vtitur. De particulę [*satis*] varia significatione vid. inf. li. 9. v. 309.

150. *Elati*

Hosted by Google

150. *Elati ſtultiq; viri*) Plerumq; cum ſuperbia coniuncta eſſe ſolet ſtultitia. Quam in ſententiam præclarè alicubi in Commentar. Epiſt. Pauli diſſerit. Ex quo ſcitè Germani noſtri eo verbo ad denotandam ſuperbiam vtuntur, quo Latini ad ſtoliditatem: Stolt.

159. *Accingi gladio Fridericum ritè*) Solennitas iſta in Equeſtri ordine hodieq; ſeruatur, ex antiquiſſimo Germanorum inſtituto: de quo ſic ſcribit Tacitus: Sed arma ſumere non antè cuiquam moris, quàm ciuitas ſuffectu-rum probauerit. Tum in ipſo concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaq; iuuenem ornant: hæc apud illos toga, hîc primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars videntur; mox Reipub. Vocamus hunc ritum: Einen wehrhafft machen, cui alapa quoque accedit. Non abludunt hinc veterum Romanorum rhapiſmata, quę in manumiſſionibus & emancipationibus vſitata erant: Quorum non modò Iuſtinianus meminit l. vlt. C. de emancip. lib. & Nouel. 81. ſed & Macarius homil. 44. ῥαπίσεις ὡς δῶλον πλαδιέρωσεν. Quem locum adde ſis ad ea, quæ Gothofred. annotauit ad d. Nou. 81. Nam vt dixi, alapa etiam hodie in illo, quaſi manumiſſionis ſeu emancipationis equeſtris ritu interuenit. 8.

160. *Irenen*) Auguſt. ed. *Herenam*. Fuit autem inter Græcas fœminas vſitatiſſ. Irenes nomen: de quo extat frigidus & ineptus, ne dicam impius iocus in Sacerdotem, cui hoc nomine vxor cùm eſſet, tamen in Eccleſiæ λειτουργίᾳ proclamabat: Εἰρήνη πάντων. Quaſi qui omnib. vulg. proſtituere vxorem vellet.

170. *compoſitis verbis*) Caue hîc accipias pro fallacibus & fictis: vt aliâs apud vet. Poëtam: Compoſita dicta pectore euoluunt ſuo: Sed pro ornatis & ex arte dicendi collocatis. Sic lexeis lepidè compoſtæ apud Lucillium.

176. *Creditur. Artis opus? miras hab. fig. Pondus? humo tollim.*) Sic locum hunc diſtinguendum aio: vt ſit triplex interrogatio, & ad ſingulas accommodatæ ſua ſubiectio: De materia, de arte ſeu manupretio, & de pondere ſeu mole ac magnitudine. Senſus eſt: Artis opus? ſcilicet, quæris? Et, Pondus? ſcilicet: Quæris? ἀπὸ τοῦ πρώτου. Præceſſit enim: Materiam quæris? Nequibat tolli, ſcil. ea ſcena.

180. *donamellifluis ornauit verbis*) Ex Terentio ſumptum, qui ſic Eunucho Sc. Fac ita: Munus noſtrum ornato verbis, quod poteris. Cicero 2. de offic. dicit, verbis ſuum munus augere. Vt autem hîc verba melliflua, ſic lib. 10. Os mellifluum dixit, & lib. 1. verſ. 542. vocem mellifluam.

182. *gaudia*) Non debeo diſſimulare, quod Auguſtæ impreſſum reperi, grandia: quamquam id poſtea ab editore C. Peutingero mutatum. Imò ego grandia veriſſimum puto. Optat enim Rex Anglorum Friderico gaudia trib. inſignita condicionib. quæ ſcil. ſint grandia, ſint vera, ſint felicia. &c. At vulg. lectio inepta eſt, dum gaudia bis repetit. Exprimit autem ſolenne principium Epiſtolicum χαίρειν: quod ita Horatius: *Celſo gaudere & benè rem gerere.*

185. *Qui bonitate ſua dat Regib. eſſe ſalutem*) Rectè hoc animaduertit Spiegellius ſumptum eſſe ex Pſalmo 144. Quem locum ſic feliciter expreſſit CL. V. & Poëta ac IC. præſtans Scip. Gentilis in ſua paraphraſi:

Te regum tutela, canam, magnisq; venire
Regibus auxilio ſolitum, &c.

187. *feruntur*) Poſſumus accipere vel pro, dicuntur ſeu perhibentur: vel pro, aguntur, ſeu ducuntur.

188. *congaudeo*) συγχαίρω. Cui contrarium verbum condoleo alibi vſurpat Gunth.

194. *munera grata quidem, ſed longè gratior voluntas &c.*) Exprimit vetus illud: ξενίων, vel χαρίτων ὁ μὲν μὸς ἄριστος. Symmachus lib. 6. ep. 80. Non poteſt exigua videri oblatio, ſi magis animi dantis amici, quàm ſui prætij æſtimatione pendatur. vide ſimilia apud Senecam. in libb. De Beneficijs.

204. *Vti ſæpè iuuet, rarò contingat egere*) Huiusmodi votum ferè etiam apud Q. Serenum Sammonicum in carmine De re medica olim legere memini.

209. *mihi ſit parere neceſſe*) Imitatio Virgiliana ex 1. Aeneid. *mihi iuſſa capeſſere fas eſt, &c.*

CAPVT

Hosted by Google

CAPVT II.

1. *Atq; pro statim* 2. *Differre, pro spargere, disseminare communiciari* 3. *Nominis mutatio à P. R. fieri solita.* 4. *Imperatoris cum Papa disceptatio & expostulatio.* 5. *Fama vis in magnu virtus magna.* 6 *Imitatio Virgilij.* 7. *Data, pro numeris.* 8. *Papæ & Imperatoris officia distincta.* 9. *Latores, pro tabellarijs. Guntherus sæpiss. castigatus.*

212. *nec paruis magna latenter munera captamus*) id est, Dona mea non sunt hamata, neq; captatoria: sicut vulgò dicitur, quod munera hamos imitentur. Talia Martialis eleganter & falsè perstringit.

Manera magna quidem misit: sed misit in hamo.
Et piscatorem piscis amare potest?

Huc adde, quæ de captatoria institutione Iurisconsulti disputant.

213. *summo sit gratia Regi*) Deûm virtute, vt Plautus loqui solet, & eius imitator Symm. Deûm beneficio.

220. *fidos optamus amicos*) tanquam scilicet firmissima regni præsidia & opes, vt Alexander Magnus dicebat, teste Ammiano Marcellino. Nam non exercitus neq; thesauri præsidia regni, sunt verùm amici, vt Micipsa Rex ad Iugurth. Sallust. Similem vide Sententiam Marci Imp. apud Herodianum.

231. *atq;*) Videtur τὸ Atq; positum pro statim, illicò, è vestigio, more Ennij, Virgilij, ipsarumq; adeò XII. tabul.

233. *Hungaricis*) Sic rectè Pern. ed. vulgò Hungarirus. Ceterùm pro *aruis*. Aug. ed. legit, *armis*.

238. *Inuenies: vt qui ling.*) Deerat in vulg. libb. τὸ *Vt*: quod reposui cum Perna. Vuecheliani malè suppleuerant, *qui cum ling.*

239. *rarum*) fort. *rerum*, vt Pflug. diuinabat.

240. *Nusquam perfectius*) Idem de Venetiarum vrbe dici potest: vbi vt Eras. Roterod. scripsit, Nemo quicquam miratur.

247. *Viro placuit*) Friderico Imperatori: quem sæpè Virum absolutè & quasi κατ' ἐξοχὴν vocat: vt lib. 7. v. 637. impulit ira virum.

250. *fama distulit*) Elegantissimè dictum, fama præcurrens distulit (id est, diuulgauit, sparsit, dididit, dissem-

nauit hinc inde) aduentum principis. Sic & Plautus & Terentius alijq; differendi verbo vtuntur. Vt Prologo Heautontim. Nam quod rumores distulerunt maleuoli. Plautus Aulular. Nisi reddi mihi vasa iubes, Pipulo te differam ante ædes. Sic Tacitus lib. 1. Pars multò maxima imminentes dominos varijs rumoribus differebant. Propertius quoq; pro diffamare seu conuiciari vtitur.

Et te circum alias omnes irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris.

Lucillius lib. 30.

Gaudes cum de me ista feris sermonibus differs.

Et rursum eod. lib.

Et maledicendo multis sermonibus differs.

Et apud Lucretium aliquoties est differre pro discerpere, dissipare.

253. *Vuascones*) Ita & vulg. ed. & Pern. quoque. At Spieg. in Scholijs Vascones. Aug. ed. Guascones.

255. *celeres adeunt*) fort. *celebres*, i. frequentes: quæ est coniectura Pflugij.

259. *Quï pòst in cathedra Rollandus nomine verso Dictus Alexander*) Hunc antea Cancellarium S. R. E. fuisse ait Gunth. lib. 10. v. 119. De hac porrò nominis mutatione, ab ijs qui ad Pontificatum Rom. euehuntur, fieri solita, res iam nota est, initium eius moris profectum ab eo, qui Os-porci vocabatur. Eius exemplum antecessoris ceteri vsq; in hodiernum diem fermè omnes non sine mysterio singulari secuti sunt.

261. *Pertulit Ecclesiæ,*) Ita distinguendum. vulg. aliter.

262. *Schisma quater senos*) Ad constabiliendam scilicet continuam in sede Romana inde vsq; à Petro Apostolo successionis seriem, nota hîc schisma penè viginti quatuor annorum: cuius & inf. meminit lib. 10. v. 115. & seqq.

272. *hoc*) Sic restituo cum Perna. vulgò, vt etiam Aug. ed. non rectè, hic Similiter erratum erat lib. 10. v. 56.

275. *collati muneris*) Papa beneficium suum esse iactat Imperium Rom. Quod cùm ita accepisset Imp. quasi Papa feudum suum haberi voluisset Imperium, grauissimè hanc indignitatem tulit, cùm præsertim etiam pictura quædam contumelioſa accederet, de qua remouenda

Hosted by Google

da admonitus Papa, nondum aboleuerat : deq; hoc Papæ faſtu (ſic enim ipſe appellat) non modò ad Ordines Imperij Germanici, à quib. electus fuerat, & quib. ſolis ſecundùm Deum acceptum ferebat Imperium, conqueſtus eſt, verùm etiam cum Papa per litteras expoſtulauit, apertè profeſſus, Nullum ſe caput ſuperius Imperatore agnoſcere præter ſolum Deum. Papa animaduertens quid egiſſet, & cum quo viro ſibi negotium eſſet, de conſilio Epiſcoporum placandi Imperatoris ergò mitiùs ad eum ſcribit, excuſans Epiſtolam priorem, vt minus accuratè penſiculateq́ue ſcriptam. Ita Fridericus ſatisfactione admiſſa iniuriam hanc Papæ condonauit, ſuamq; indignationem remiſit, cum præſertim etiam Otho Friſingenſ. Patruus Imperatoris & Papæ legatus ſuas partes auctoritatemq; in placando Imperatore interpoſuiſſet. Hæc ferè ſumma eſt reliquæ partis in hoc 6. libro |,| & partis primoris ſeptimi. Vide & Fr. Hotom. Diſputat. Feudal. c. 1. & Commentar. de verbis Feudalib. lit. B. Itemq; Cuiacium, in Commentar. Feud.

Baron. tom. 12. fol. 403. taxat Lucæ.

277. *triſtitiæ*) Veteres hoc eleganter dicunt, ſenio & diuidiæ alicui eſſe. Exempla ſunt apud Plautum, & Nonium Marcell.

285. *Proſtans*) Ita reponend. cenſui, vbi vulgò erat, *præſtans*. Proſtare dicimus ea, quæ ſunt manifeſta, & omnibus propalam patent.

286. *loquebatur, qua voce licebat, imago*) Pictura .n. eſt Poëſis muta: vt Poëſis contrà pictura loquens & viua.

288. *ſtare genu flexo*) ſupplicem fieri. Mox vbi vulg. *manus*, nullo neq; ſenſu neq; metro idoneo legitur, repono, *vanus*. Nam & paulò antè mendacem pictorem dixerat. Sed hæc emendatio etiam inter Pithœanas reperitur, & in Aug. ed. Porrò Epigramma iſtius picturæ verſib. conſtans monachalib. celeberrimum eſt: quod hic quoq; adſcribo ex Radeuico:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores.
Pòſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Auctor huius picturæ dicitur fuiſſe Innocentius II. Papa Rom. qui tantâ fuit confidentia, vt Imperatorem. i. ſummum caput Chriſtiani orbis, pro homine ſuo, hoc eſt, pro Vaſallo, auſus ſit habere.

299. *mouerent*) Aug.ed.*monerent*.

300. *Omnes aulicus irâ Ille Comes præcessit Otho)* Huius viri animosum ac feruidum spiritum aliâs quoque cognoscere licet. Vt quàm felix est audacia eius lib.8.v.342.? quàm est ira feruidus contra legatos Græcos lib.7.v.62.

303. *Rex in media famæ non immemor irâ)* Quippe iam didicerat famam bonam præferre dolori, vt lib.5. vers.428.Gunther.loquebatur. Et certè cum optimo cuique preciosa sit fama, teste Symmacho, lib. 3. epist. 69. tum verò maximè Principibus vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam, cùm cætera statim ipsis assint: vt quandocunque concesserint, cum laude & bonis recordationibus homines facta atque famam nominis ipsorum prosequantur. Nam contemptu famæ contemnuntur virtutes: vt præclarè ait Tiberius Cæsar apud Tacit. Anal. 4. *Etenim fama nihil ignorari de conspicuis viris patitur:* vt idem Symmachus scribit lib. 1. epist. 96. Maiorum quippe gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur: vt apud Sallustium Iugurth. inquit Marius. Senecæ & Claudiani loca ad hanc rem adduxi sup. Videndus in hanc eandem sententiam & Pindarus Pythion. 1. Ab hoc enim sua cæteri mutuati sunt. Illustrat ibi Poëta sapientis. hanc thesin exemplis duobus contrarijs, Crœsi benefici & liberalis, ac Phalaradis, qui ob crudelitatem infamis est ad omnes hominum ætates.

305. *Implacidè)* Pern. Implacidè. Porrò eadem redire via, qua veneris, item nec ad dextram, nec ad siniſtram deflectere, quasi prouerbiale est etiam in sacris litteris, quas libenter Poëta noster duces sequitur.

318. *Pellere conquestibus aures)* Pellere, pro pulsare. Verbum primitiuum pro frequentatiuo. Sic lite vel actione aliquem pulsare passim in legibus Codicis dicitur. Sic Gunther. alibi: Et precibus pulsare Deum. Vide suprà lib.3.v.50.

320. *Glorior*) Exprimit Homericum verbum, ἀυχέω. Vt infrà.

324. *consilium nuper summis de rebus haberem)* Ex Virgilio translatus versus. Sic enim ille Æn.8.

Consilium summis regni de rebus habebant.

327. *paciscen-*

Hosted by Google

327. *paciſcentes)* promittentes, præ ſe ferentes. Ferre, pro laturos eſſe. Vt & alibi notaui ſimiles locutiones. Mox pro *miſcuerant*, malim, *miſcuerunt*.

334. *gaudere datis*) Data videtur Gunth. pro muneribus poſuiſſe, tanquam ſcilicet nomen ſubſtantiuum, non vt participium : exemplo Plauti & Auſonij. Plautina quidem iſta iam ſuccurrunt. Pſeudulo Act. 1. Scen. 3. *Non eſt iuſtus amator quiſquam, niſi qui perpetuat data.* Et Aſinar. Act. 1. Scen. 3. *Semper tibi promiſſam habeto, hac lege, dum ſuperes datis.* Auſon. Epigram. 90. *Vince datis ambas. Cupio ; verùm arcta domi res.* Idem, an Paulinus? Oratione ad Deum, quæ eſt in Ephemeride : *Nil eximi diaretinens, plenusq; datorum.* Sic vetus interpres cùm alibi, tum Lucæ 11. v. 13. & Iacobi epiſt. c. 1. v. 17.

345. *Vtitur*) malim, *Nititur*. Nam ſequitur, benè firma.

347. *Dumque Sacerdoti*) Celebre illud Syneſij dictum huc facit : *τὴν ἱερωσύνην καὶ τὴν ἀρχὴν ἀσύγχυτον εἶναι.*

350. *globo*) id eſt, orbe terrarum.

353. *ſunt diuiſa*) Et quidem ipſo Chriſto diſcernente, ſi Nicolaum Papam audimus in cap. 6. cùm ad verum. Diſtinct. 96. Cùm ad verum (inquit) ventum eſt, vltrà ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit ; nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit : quoniam idem Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus ſic actibus proprijs & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, &c. Quæ quomodo cum alijs illius Iuris locis & cum facinore Bonifacij VIII. etiam in habitu Imperiali ſeſe populo oſtentantis congruant, Æruſcatores noſtri viderint. Veriſimile eſt autem, Nicolaum hîc reſpexiſſe ad illud Saluatoris : Reges gentium dominantur illis, & qui eas in poteſtate ſua habent, benefici vocantur : vos autem non ſic. Matth. 20. 25. Marci 10. 42. Lucæ 22. 25. Claudant hanc notam verba Iuſtini Imperat. in l. 23. conſulta C. de teſtament. Abſurdum eſt, ſi promiſcuis actionibus rerum turbentur officia, & alij creditum alius ſubtrahat : & præcipuè Clericis, quibus opprobriũ eſt, ſi peritos ſe velint diſceptationũ eſſe forenſiũ.

356. *A quo (Deo) nomen habet ſub cælo quæq; poteſtas)* Vide-

videturillud D. Pauli exprimere. Non est potestas nisi à Deo. Rom. 13,1.

359. *Quid ad summum de regni iure quid oro Pontificem spectat?*) Respondet (de se si cuiquam creditur ipsi) Innocentius III. in c. Venerabilem, extra de elect. Electionem quidem Imperatoris ad se immediatè non pertinere: (quanquam hoc ipso, quod sui maiores imperium à Græcis ad Rom. transtulerunt, etiam eligendi potestatem Principib. Germaniæ fecerint.) sed examinationem Electi Imp. antequam ei manus & corona imponatur, suam esse. &c.

364. *Adde quod infandum*) Querelæ Imp. de auaritia, rapinis & sacrilego ausu legatorum Pontificiorum hîc notentur.

365. *Latores apicum*) similis V. recurrit lib. 7. num. 164. vbi tamen Aug. ed. apicis. Significat autem eos quos Suetonius absolutè latores vocat; Symmachus baiulos litterarum, & vectores, & peruectores, & portitores: alij gerulos: Latinis sunt Tabellarij, Græcis γραμματοφόροι.

372. *Vacuis pagina chartis*) charta blanca vulgò vocatur, cuius & inf. v. 657. fit mentio.

377. *repedare*) Pflugius diuinabat, trepidare. id est, fugere cum terrore & metu.

391. *Luduicus*) Ita & Aug. ed. At Pernæ, Ludouicus.

CAPVT III.

1. Æneæ Syluij error in historiâ Bohemicâ detectus. 2. Luthra duplex 3. Bellum iustum quod 4. Vltor gladius. 5. Pontificis Max. potestas quæ, qualis, quanta. 6. Adloquium pro consolatione. Guntherus non semel emendatus.

404. *Geisæ*) Aug. ed. Garzæ.

409. *Vir bonus & prudens*) Sic sæpè apud Horat. Vir bonus & sapiens. Et apud Auson. Idyl. 16. Significatur his duob. epithetis vtraq; virtus, & Morum, & Rationis seu Mentis. Ethica inquam & Dianoëtica.

412. *Impositoq; sibi*) Intelligi vult, nisi fallor, Stephano impositum crimen. abutitur ergo reciproco, *Sibi*: vt aliâs quoq;.

414. *Iudicijs*) fort. *Indicijs*, vt Pflugius.

427. Excu-

Hosted by Google

427. *Excuſare ſuam fraterno crimine culpam*) Ita legend. diuinabam, & poſtea in Pern. edit. reperi. Aug. ed. & vulg. fraternæ: quod haud ſcio, an etiam defendi poſſit, ſi ſubaudias, culpæ. Ita crimen culpæ dictum foret, quomodo aliàs ædem Eccleſiæ, & pacèm quietis, & legem pactorum, & negotia rerum Gunth. vſurpauit.

434. *habuiſſe*) ſe, nimirum. Ellipſis honeſta & vſitata: qua & ſup. vſus eſt, & mox iterum v. 436.

435. *durum*) Malim hîc quoque, *dirum*, vt lib. 4. verſ. 456.

446. *Hoc quoq;*) Labeſlaus, id eſt, (qui & Vladiſlaus, & in Aug. edit. Labeſlauus hîc nominatur) ex Duce Bohem. Rex creatur Magdeburgi à Frid. Imp. ob nauatam ipſi in bello Polonico fidelem operam. Falli ergo videtur Æneas Syluius Hiſtoriæ Bohem. c. 24. dum ſcribit, idcircô ipſum regiam accepiſſe dignitatem, quòd in expugnatione Mediolanenſi egregiam operam Imperatori nauaſſet. Imò bellum illud Italicum poſterius fuiſſe, ſignificat hîc Gunth. cùm ait, hunc nouum Regem ad patrias vrbes veſtigia retuliſſe, Italico pactum ſua robora bello. Illud autem rectè annotauit idem Syluius, Vratiſlaum quidem iam antè ab Henr. IIII. Imperatore Regem creatum fuiſſe Moguntiæ: Cæterum eius ſucceſſores vſque ad hunc Ladiſlaum, in quem denuò illa dignitas collata eſt, regio nomine abſtinuiſſe, Ducali contentos, tanquam regni decus non prouinciæ, ſed homini datum fuiſſet, proindeque cum perſona extinctum. Idemque & Nic. Ciſnerus probat in Orat. de Othone III. Imp. indeq; liquere ait, illa tempeſtate Regem Bohemiæ inter Electores Imper. Roman. eſſe non potuiſſe, &c. I.

458. *Vexabat*) Quamuis & Aug. ed. ſic legat, malim tamen, *vexabant*.

461. *Ripuaria in arua*) Ripuariorũ leges hodieq; extãt. 2.

467. *Luthramq;*) Cognomento Cæſaream. In hoc oppido hodieq; ſacellum viſitur, in quo orare ſolitus eſt Fridericus Barbaroſſa. Eſt & altera Luthra, quæ Regia appellatur, Cœnobio Monachorum & ſepulchro Imperiali inſignis: tribus lapidibus diſtans Brunſvvico, patria mea. Harum priorem vernacula lingua **Keiſers Luther**, hanc **Kônigs Luther** vocamus, differentiæ cauſsâ.

471. *Vi-*

471. Vicinis munera) Nota pietatem Imperatoris non ſuperſtitioſi, ſed verè religioſi, & commiſerationem erga pauperes.

486. Cùm iam deſuetos poſt otia longa iuuencos) Ita reſcripſi, vbi vulgò erat, deſuetus p.o.l. iuuencus. Os & vs ſæpè librarij permutârant.

494. Nequatamen puram) Quia quod iuſtum eſt, iuſtè quoq; ac legitimè exequendum eſt. Poteſt enim etiam bona cauſſa malè agendo fieri mala.

498. Iuſtumq; piumq; fatentes) id eſt, profitentes, vel affirmantes. Vt alibi quoq; fatendi verbo vtitur. Eodem planè modo loquitur Varro apud Nonium, pag. 256. Bel-
3. lum nullum niſi pium geri oportere. Quodnam autem ſit pium ſeu iuſtum bellum, grauiſſ. eſt diſputatio, quam attingit etiam Gunth, lib. 4. v. 172. & lib. 7. v. 385. & explicârat Cicero lib. 3. de Repub. Ex quo hæc verba referuntur ab Auguſtino de Ciuit. Dei, & ab Iſidoro: *Nullum bellum iuſtum haberi videtur, niſi denunciatum, niſi indictum, niſi de repetitis rebus. Illa iniuſta bella ſunt, quæ ſunt ſine cauſſa ſuſcepta. Nam vltra vlciſcendi aut propulſandorum hoſtium cauſſam, bellum iuſtum geri nullum poteſt.* Vide & Gratianum in Decreto. Quò alludit Virg. in Ceiri: v. 335.

Tunc potiùs tamen ipſa, pio cùm iure licebit,
Cùm facti cauſam tempuſq; doloris habebis.
Tunc potiùs conata tua, atq; incepta referto.

Quid autem ius pium, & bellum pium, ex lib. 1. Liuij Dec. 1. doceri poteſt.

4. *501. Vltorem accingitur enſem*) Vulgò perperam, *enſe*. Eleganter autem enſem vltorem dicit & hîc & lib. 4. v. 169. & ſcelerum vindicem gladium lib. 3. v. 611. Sic Imper. Conſtantinus iubet inſurgere leges, armari iura gladio vltore, in l. 31. cùm vir. C. ad l. Iul. de adult. Sic eius filius Conſtantius paganos ſacrificantes gladio vltore ſterni iubet. l. 1. C. de Pagan. Sic Iuſtinianus homicidas vltore ferro perſequitur. §. Item lex Cornelia de ſicarijs. Inſtit. de pub. iudic. Quod autem ait, *veniæ ſpe tutus adepta*, erat cùm mutarem in *adempta*, ſcilicet: Liguribus ſeu Mediolanenſibus. Nunc verò re meliùs perpensâ nihil muto. Hoc enim dicit: Imperator cùm ab Epiſcopis, quos in conſilium adhibuerat, intellexiſſet, iuſtam eſſe belli cauſſam, nihilq; in eo

ſe

se peccaturum, aut Dei in se aut suos iram concitaturum, id aggressus est.

507. *addiderant*) legend. puto, *ediderant*: id est, exposuerant, commemorârant. Error inde, ni fallor, natus, quòd quidam scribunt, ædiderant. Peccabat etiam hic distinctio.

517. *longo*) Vulgò, *Longa*.

518. *Principis an Papæ fuerit pars iustior*) Nota insignem ἰυλαβέιαν, & cautionem Guntheri in proferenda sua ἐπιχείρει huius caussæ & controuersiæ inter Imperatorem & P.M. ne videlicet scribat, dicatúe per iugulum reditura.

521. *subita*) Pflug. *subitò*, quæ mutatio non videtur necessaria.

531. *Vnius verbi*) Quando scilicet scripseram, me beneficium contulisse in Imp. Fridericum, coronâ Imperiali ei impositâ: nec me eius Beneficij pœnitere. Huius falsum interpretem fuisse videri vult Papa eum, qui id pro Feudo acceperat. Sed quid aliud importat, Esse hominem Papæ (vt Epigramma sup. relatum habet) quàm ab eo feudum recognoscere? quàm eius esse vasallum? Quid, quòd Cuiacius quoq; ad lib. 1. feud. tit. 1. fatetur, subdolam fuisse hanc Adriani excusationem, cùm antea reuera sic sensisset, vt Imp. accepit; postea verò eum pœnituisset, gliscentemq; perniciem à se depellere cuperet.

541. *Verbaq; mandatis opponere dura paternis*) Sic Auson. ep. 19. *Si erro, pater sum: fer me: & noli exigere iudicium obstante pietate.* Nota hîc, Papam gerere se pro patre Imperatoris: vt & lib. 7. v. 120. & 138. & 165. Quomodo & hodie in Epistolis mutuis hæc necessitudinum vocabula vsurpant Cæsar & Papa. Socrates quidem dicebat, etiam ἀγνώμονι patri morem à liberis gerendum esse. Ad id ergo præceptum fortè an hîc alluditur.

554. *proq; Dei domo*) Dei domum vocat Ecclesiam, more Pauli Apostoli. In magna autem Dei domo non tantùm sunt vasa honoris, sed etiam ignominiæ, inquit ille. Venire hîc alicui in mentem potest sententia versiculi.

Religio velum est, quod scelus omne tegit.

556. *ædificata petra*) Alludit ad promissionem Salvatoris, de immota firmitate, stabilitate ac perpetuitate Ecclesiæ,

Hosted by Google

Ecclesiæ factam Confessoribus Christi, Filij Dei viui: Matth.16.quorum ibi personam Petrus sustinebat. Sed de eius loci vero sensu,& abusu, copiosè disseruit auunculus meus Matthias Bergius in suo De Ecclesia Tractatu. Rectè quoq; hîc monet Spiegel. non ad vnum Petrum duntaxat,sed ad omnes Christianos, id quod ibi dicitur, pertinere. Vide etiam Hotom. in Bruto fulmine pag. 53.

558. *iuuenem*) Pflug. tumidum. Nisi iuuenem pro temerario,calido & iracundo accipias. Facilè enim iuuenes & sumunt iras & ponunt: teste Aristot. lib. 2. Rhetor.

562. *falso iam nomine culmen Pontificale tenet*) vulgò prætensum Episcopum vocant: Einen vermeinten Bischoff.

566. *Illis spem veniæ*) Legend. puto, Nulli. nam si illos punire debet Imperator, vt Papa postulat, quæ spes veniæ ipsis relinquetur? Venia enim tollit atq; abolet pœnam, eiusq; gratiam facit. Pflugius tamen retinebat, Illis, & exponebat Legatis.

574. *Capiti totius corporis angor condolet*) Vide notata ad lib. 3. v. 316. ijsq; hæc nunc adde: Plin. Epist. 87. *Vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur.* Nazarius Panegyrico: *In corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet.* Auson. Epist. 24. ad Paulin.

» *Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum*
» *Corpus, & exigui quamuis discrimine membri,*
» *Tota per innumeros artus compago vacillat.*

Similis ferè est apud Demosthenem comparatio.

591. *Sic nos Cæsareas*) Comparatio hæc claudicat secundum Ius Canonicum, in quo Papa Soli, Imperator Lunæ confertur. c. 6. solicitæ. extra De maiorit. & obedientia. At hîc totum est contrarium. Isti enim Episcopi Imperatorem Soli, Papam verò Lunæ similem faciunt. Forsitan igitur iam tum hæretica prauitate infecti fuerunt. Accedit hoc quoq;, quod non statim assentiuntur in omnib. Pontifici Rom. tanquam ἀνυπευθύνῳ καὶ ἀνεξελογίστῳ: Quod debuerant certè, ex eiusdem Iuris Pontificij sanctione, qua Pontifex non magis quàm Deus à quoque hominum iudicari potest. c. 7. satis euidenter. Distin. 96. alijsq; plurimis locis. Quin etiam Paulinum illud ad

5.

sc

se traxit: Spiritualis homo iudicat omnia; Ipse iudicatur à nemine. Hinc illa Pontificiorum Legatorum responsio ad Fridericum lib. 9. v. 321.

Qui se iudicio Papam, qui iudice nullo
Fungitur in terris, supponere posse negabant.

non satis præstare, sed tantùm satis accipere paratos. Honesta oratio: Quippi ni? cum, Festo teste, Pontifex Maximus dictus sit, quod iudex atq; arbiter habeatur rerum diuinarum humanarumq;: Item, Quòd maximus rerum quæ ad sacra & religiones pertinent, iudex sit, vindexque contumaciæ priuatorum magistratuumq;. Cum igitur hanc potestatem habuerit P. M. in Paganismo (ex quo & nomen ipsum Papa Rom. mutuatus est) an non multò magis eandem etiam in Christianismo obtineat? Et id quidem demonstrârunt scilicet totis libris editis Franc. Turrianus, Augustinus Triumphus, Robertus Bellarminus, Gulielmus Rossæus, vt alios id genus fideles ἀσφαλεῖς Apostolicæ sedis taceam.

598. *ammonitu)* Sic & August. edit. pro *admonitu*, antiquè. Alluditur autem ad sententiam Salomonis: Sermo mollis mitigat iram, quam præfractus exasperat. Eleganter autem iras soporatas dicit, quas alij consopitas.

601. *Dulcibus alloquijs)* Alloquium & allocutio aliâs consolationem significat: vt Muretus, Lipsius & alij obseruârunt. At hîc quæuis verba. 6.

CAPVT IIII.

1. Trames morum. 2. Legibus & moribus imperium regitur. 3. Pontificum Romanorum cum B. Petro antecessore suo miræ conformitas 4. De Donatione Constantini Magni, quæ perhibetur, Papæ Romano, facta. 5. Notæ pro litteris quibuslibet, non tantùm singularibus. 6. Diuus an rectè dicatur Imperator viuus & superstes. 7 Leges pactorum. 8. Officium boni Episcopi. Guntherus correctus.

603. *Veterum seruato tramite morum*) Sic legitimos tramites vocat Iustinianus in Proœmio Instit. Et Auson. elegantiss. veterum morum regulam Epigram. 8. & ep. 16. Item libram morum. 1.

Hosted by Google

604. fines transfire paternos) Alludit ad illud sacrarum litterarum: Ne transferas terminos, quos posuerunt maiores tui. Deut. 19.

2. *607. Regnum Legibus antiquis & prisco more regatur*) Sic Ennius:

Moribus antiquis stat res Romana, virisq;.

ex quo iustus Lipsius suum illud symbolum fecit: MORIBVS ANTIQVIS. Quod autem Leges & morem seu mores coniungit, tam hic, quàm suprà lib. 3. v. 381. non temerè neque sine exemplo eruditæ antiquitatis Gunther facit. Nam sic Horatius, epist. 1. lib. 2. Cùm, inquit ad Augustum, res Italas moribus ornes, legibus emendes. Sic Caius in l. 9. ff. de iust. & iur. Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur. Omitto Ciceronem, qui sæpè hæc iungit ἐκ παρηλλαγῆς. Et rectè: Nam vt idem Horat. 3. Carm. 24. Quid leges sine moribus vanæ proficiunt? Quod sapientiss. Poëta ex Principe Philosophorum sumpsisse videtur, qui ita scribit 2. Politic. ὁ νόμος ἰσχὺν ἐδήμιον ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι πλὴν πλὴν περὶ τὸ ἦθος. Sæpè tamen leges à moribus, vel hi ab illis potiùs, longè diuortunt: fitque id, quod Plautus conqueritur in Trinummo Sc. Stasime. Mores leges perduxerunt iam in potestatem suam: Magis queis sunt obnoxiosi, quàm parentes liberis. Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clauis ferreis, Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

611. præcipuam vocem) Nota, Moguntinum Episcopum in electione Imperatoris præcipuum habere suffragium; Colonienſem primam vnctionem. Vid. supr. lib. 1. v. 231. & 443. Olim etiam vnctio seu consecratio Regis Rom. à Moguntino fiebat: vt docet Nic. Cisnerus, in oratione de Othon. 3. Obseruandus etiam hic Germanismus. Die erste oder fürnembste Stim̃ haben.

618. si quid superaddere quisquam nititur) Ita lego cum Pern. At VVecheliani: *Si quis superaddere quicquam.* Quæ lectio etiam defendi potest.

620. sunt) fort. legend. sint; Sequitur enim temperet, gubernet, cogitet.

624. Num Petrus aut Clemens) Libet hic exclamare illud Propertij:

Is mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aqua fluxère per orbem.

Libet etiam illud Maronis vſurpare:

—— *Sic omnia fatis*
In peius ruere, & retrò ſublapſa referri!

Et Spartianus in Septimio Seuero: *Ita omnium rerum ſemper quaſi naturali lege mutatio eſt.* Denique Horatianum hoc: *Ætas parentum peior auis tulit Nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem.* Pro, *priorum*, Pflugius diuinabat *piorum.*

626. *Pauper erat*) Tandem (vt Berhardus argutè queritur) cum religio diuitias peperiſſet, filia matrem deuorauit.

Ibid. *regali munere creuit*) Et mox: *Exceſsêre modum magnorum munera regum*) Alludit ad illam toties & tantopere iactatam ac decantatam donationem Conſtantini Magni & Ludouici Pij. Vide cap. 13. & cap. 14. Conſtantinus. Diſtinct. 96. & cap. 30. Ego Ludouicus Diſtinct. 63. cap. 17. fundamenta. De elect. & electi poteſt. in 6. Pro illa prolixè, vt in mala cauſſa, diſputat Franciſcus Burſatus Iuriſconſ. Conſil. 124. & Angelus Rocha in Commentario Bibliothecæ Vaticanæ, pag. 181. vſque ad 193. Contra eam cum alij, tùm accuratiſſimè, ſolidiſſimè & neruoſiſſimè Franciſcus Hotomanus Diſputat. Feudali cap. 8. prope fin. & in Bruto fulmine ſub tit. De Crimine falſi. Vide & Iohann. Michaelem Beutherum in Additionibus ſeu Explicat. ad cap. 13. Animaduerſ. Patris ſui.

637. *figuris*) alludit ad imaginem illam ſeu picturam Lutheri à Papa Coronati: de qua ſup. v. 387.

643. *ferant*) importent.: quid ſibi velint. Cæterùm hîc & in ſeqq. verſib. peccabat diſtinctio, quæ ſic omninò reſtituenda eſt, vt imprimi curauimus.

649. *non in contemptum*) Vulg. nec vt & Pithœus edidit. Quo retento verſus eſſet ἀνίφαλον.

Ibid. *Patris*) Ita rectè Pern. vulg. *patria.*

652. *ſcripta notis*) Notas caue hîc accipias more Iuriſconſultorum pro litteris ſingularibus, quæ σίγλα appellabant: quibus Iuſtinianus libros ſuos deſcribi vetuit; ſed ſimpliciter intellige pro litteris, vt apud Ouid. quoqs.

Hosted by Google

Cicero 13. Attic. ep. 32. per notas scribere vocat διὰ σημείων, & Glossar. vet. Nota, σημεῖον. Notare, σημειοῦσθαι. Notarius, σημειογράφος.

653. *atq; exsugere*) Aug. ed. aliæq;, & exug.

658. *varijs inscribere nugis*) Diuinabam aliquando, vanis: quando & alibi sic aberratum esset. Sed video retineri posse varijs: quod etiam Aug. ed. habet.

659. *affigere culpas*) Malim, *affingere*. Est enim in vers. seq. ficto crimine.

6. 668. *Diui Regis*) Sunt viri docti, qui putent, Imperatorem viuum non rectè, imò non sine crimine Maiestatis Diuum appellari posse: Tunc demum hunc titulum ei competere, cùm iam rebus humanis exemptus est. Contra eos hic locus obseruandus est, vbi etiam viuus Rex tamen Diuus appellatur. Opponinus Isdem locum Horatij: Præsens diuus habebitur Augustus. Et Symmachum 3. ep. 81. solenne est Diuo nostro Theodosio in suos exercere censuram.

7. 671. *Pactorum tacitas leges*) Significat clandestina & occulta fœdera cum hostibus Imperij. Vt autem hîc leges pactorum dicit Guntherus: Ita interpretes Iuris pactum legis commissoriæ vsurpârunt: Quam locutionem pro inepta reprehendebat Doctor meus Clarissimus Hub. Giphanius. Primùm enim valere idem, quod pactum pacti. Deinde nunquam vett. ICtos ita locutos fuisse, sed simpliciter legem commissoriam, vel pactum commissorium dixisse. Cuiacius tamen eam loquendi formulam defendit. Nam (inquit) vt pignoris hypothecam, & legem pacti, & pactum pacis, & actionem conditionis rectè dicimus: cur non & pactum legis? Sic ferè Gunther. lib. 7. v. 338. negotia rerum dixit.

8. 681. *Iustitiæ speculum, placidorum sanctio morum*) Elegante versu exprimit officium & virtutes boni Episcopi. Et tales certè erant prisci illi Patres, qui se præstabant typum fidelium, & qui auditoribus suis verè dicere poterant cum Apostolo: Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi. At nostra tempestate reperti sunt, qui dicerent, Non ad opera, sed ad doctrinam suam auditores attendere, & vitam conformare debere. Quam degenerationem seriò deplorat auunculus noster optimus & doctis-

doctissimus M. Bergius in præclaro suo opere de Arte interpretandi scripturas: quod de ipsius voluntate vltima aliquando cum Deo edemus.

NOTARVM LIBRI SEXTI FINIS.

NOTARVM AD GVNTHERI LIGVRINVM LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

1. Sacramentum dare, proiurare. 2. Logotheta. Scriba Graecus à Romano quantum distet. 3. Mea caussa, & Mei caussa. 4. Partiri cum altero amorem, curam. 5. Pabula litium, amorum. 6. Latus, proferaci. 7. Stigmata. 8 Tonderi. 9. Iusiurandum purgatorium. 10. Non prohibens scelus cùm possit, an & quatenus teneatur. 11. Poterit haberi, id est, habebitur. 12. Afranij versus apud Non. à Schoppio correcti. Guntherus aliquoties emendatur.

25. *Sarcamenta dabant*) Sic lib. 8. v. 184. Iuramenta dabunt. Id est, Iurabunt. Ita dictum, vt est apud Plaut. & Terent. dare iusiurandum. Notari hic possunt capita Iuramenti fidelitatis: de quib. plura vide in libris Feudorum. De Varia Sacramenti significatione eruditè explicat Bergius meus in Tractatu suo De Eucharistia. 1.

27. *nec se lasur. & si quis led.*) Eleganter iungit particulas, Nec. Et more Plauti & Ciceronis. Exempla apud illos obuia passim.

28. *tota virtute*) omni ope dicere solet Sal. Plautus Summis opibus, vel etiam, Ex summis opibus.

37. *hæc*) vulgò malè, *hic*. An, hinc? id est, ex altera patte.

43. *Logotheta*) Videtur nomen familiæ cuiusdam principis fuisse, vt & Palæologus. Spiegel. tamen pro officij nomine accipit, & scribam significare vult. Sed non est credibile, Imperatorem Constantinopolitanum ad Fridericum Imp. misisse Legatum Scribam. Quanquam 2.

Hosted by Google

non ignoro, quid de Scribarum apud Græcos dignitate ſcribat Corn Nepos in vita Eumenis. Scribam eſſe (inquit) multò apud Graios honorificentius eſt, quàm apud Romanos. Nam apud nos reuera, ſicut ſunt, mercenarij Scribæ exiſtimantur. At apud illos contrariò, nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, & fide & induſtria cognita: quòd neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem. Sic Simon quidam Græcus, Logotheta dictus fuit, qui ex ſcriptis Baſilij Magni homilias Ethicas concinnauit, pulcerrimo & eruditiſſimo libello. Ex Palæologæ autem familiæ regiæ reliquijs duos Germania vidit noſtra memoria: quorum alter Pragæ obijt, decoratus Epitaphio marmoreo, aureis literis inſcripto, in Collegio Carolino: cum altero Thoma Palæologo, ipſe ante 6. annos familiariter vixi, multosq; ſermones græcè habui, multas litteras commutaui.

49. *Venalesq; manus*) Rectè hoc Spiegel. ex Lucano ſumptum notat. Sic dextram venalem in prælia adferre dixit Silius lib. 5, & animas venales, lib. 15. Sic dote venales maritos elegantiſ. dixit Tertullianus. lib. De Patientia. Sic Cic. Verrin. 5. fidem habere venalem. Propert. 3. eleg. 13. auro venalia iura. Et noſter Gunther. venalia caſtra lib. 10. v. 545. Græcis hæc ſunt μισθαρνικά.

55. *reuertenti*) Ita repoſui, pro *reuertente*. Pern. *reuertentes*.

60. *cognomine forſan*) Pflugius diſtinguit poſt *cognomine*.

67. *ignauæ plebis*) Sic infrà v. 355. & ſup.

69. *miſeram*) Vulg. *miſerum*.

116. *tradiderantq;*) f. *tradiderunt q;*.

123. *tibi diuotæ pignora mentis*) Vid. lib. 3. v. 452. quibus adde hæc Salluſtiana fragm. Hiſtor. Se regibus deuouent, & poſt eos vitam refutant. Adeò illis ingenita eſt ſanctitas regij nominis.

3. 130. *tui cauſſa*) Veteribus vſitatius eſt, meâ cauſsâ, tuâ cauſsâ, ſuâ cauſſa, quam mei, tui, ſui cauſſa. vt Cicero ad Appium epiſt. 7. lib. 3. Si autem naturâ es φιλαίνεος, illud non perficies, quo minus tuâ cauſsâ velim. Idem ad Caſſium 15. epiſt. 18. abeſſe te, meâ cauſsâ moleſtè fero, tuâ gaudeo. Idem Attic. 8. Si me vellet ſua aut Reipub.

cauſsâ

cauſsâ Luceriam venire, &c. Terent. Prolog. Hecyr. Meâ cauſsâ æquo animo attendite. Ita & Plautus & alij. At poſteriores vſurpare cœperunt, Mei, tui, ſui cauſsâ. Sic Vlpian. in l. eum, qui. §. ſed etſi. ff. Commod. ſi verò ipſe, cui voluit, commiſit, æquè mihi culpam præſtabit, ſi ſui cauſsâ accepit. Idem in l. ſi gratuiatm. §. Papinianus. ff. de præſc. verb. Si verò mei duntaxat cauſsâ datum eſt, dolum ſolum, &c. Habet igitur etiam hîc Gunth. exemplum bonorum, quo ei ſic loqui licuit.

136. *In cunctis cauſſas & tempora rebus*) Sententias loquitur, vt ait Terent. Sed τὸ γνωμστυκὸν φοζηκὸν, ſecundùm Ariſtotelem in Rhethoricis.

144. *Vrbanumq́*) Malim, *vrbanumúe.*

145. *violati præſulis*) Epiſcopi Angli, vt eum ſuprà vocauit lib. 6. v. 267.

147. *ſed monuiſſe volens*) Atqui hoc ipſum fuit contra præceptum, quo beneficiorum meminiſſe iubetur is, qui accepit, obliuiſci qui dedit. Et vt ait Terent. Andr. Scen. 1. Iſtæc commemoratio, quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij: Ex Demoſthene περὶ στεφάνου: τὸ ὑ τὰς ἰδίας ἐυεργασίας ἀναμιμνήσκειν, μικρῶ δεῖ ὅμοιον ἐςι τῷ ὀνειδίζειν.

150. *noſtri ſocios lateris*) Legati à latere vulgò etiam dicuntur, qui ſunt Papæ intimi. Eoſdem & cuſtodes lateris vocat lib. 6. v. 543.

163. *dulcem tecum partimur amorem*) Pulcerrimè, exemplo Statij, qui amorem alternum partiri dixit, 2. Siluarum. Sic Phœdrus: Dulcemq́; in ambos caritatem partiens. Sic curas cum aliquo partiri Virg. Æneid. 11. Cæſar 3. Bel. Ciuil. honorem partiri cum aliquo. Ouidius partita fœdera lecti, 3. de Arte. Tacit. 2. Hiſtor. Diſcrimen ac periculum ex æquo partiemur, &c. Sic & inf. ait Gunth. lib. 8. v. 101. vobiſcum triſtes partiri gaudeo caſus. Et hoc ipſo libro, v. 206. Francia cum Germanis Rhenum partita colonis. 4.

176. *Protinus ingenui*) Exemplum hîc obſeruare licet ſententiæ Salomonis Prouerb. 15. verſ. 1. Reſponſio mollis frangit iram; ſermo durus ſuſcitat furorem. Et Prou. 25. verſ. 15. Patientia lenietur Princeps: & lingua mollis confringet duritiam. Ingenuum pectus vocat apertum, nullis

ſimulationum inuolucris tectum: eius ſcil. hominis, qui amicitias & iras ſuas in fronte ſcriptas gerit, vt ait Ennius.

180. horrent informes ſpinæ) Secundùm verſum Ouidij, vt puto:

Contemnunt ſpinas, cùm cecidêre roſæ.

182. Fauoni) Ita ſcribendum: vel Fauonii: non vt vulgò Fauoni.

183. Auſtro) Qui floribus inimicus eſſe conſueuit.

5. *187. litis fomenta, querelæ)* Appoſitiſſima ἐξήγησις. Quemadmodum ignis pabulum eſt lignum: ita litium querelæ, quibus etiam Ariſtoteles in Ethicis ſcribit dirimi amicitias. Sic Lactant. lib. 6. c. 19. de Peripateticis: Iram fomitem dicunt eſſe virtutis. Sic Macrob. ex ſententia Platonis, vinum cenſet eſſe fomitem quendam & incitabulum ingenij virtutisq;. Sic res ſecundæ pabula flammæ inuidiæ eſſe dicuntur ab ipſo Gunther. alibi. Sic Lucret. lib. 4. eleganter pabula amoris dixit.

198. properaret) Sic & Pern. rectè. Vulgò, *properabat.*

207. Francia) Intelligit Galliam, cùm eam opponat Germanis. Vulgò illa in Germania dicitur Francia Orientalis, itemque Franconia, ad differentiam alterius. Terram porrò à magno nomen ſortitam Lothero vocat Lotharingiam.

6. *211. Latis Auſtria campis)* id eſt, pinguibus, feracibus optimorum exemplo auctorum: vt Lucretij, Virgilij, Horatij, Senecæ, Columellæ: Qui paſſim hoc epitheton attribuunt agris, arborib. ſegetib. ſatis, aruis, arbuſtis, frugib. paſcuis, herbis, pratis, ſolo, leguminibus, vinctis, &c. Hinc & lætare agrum eſt pinguem reddere ſtercorando, & lætamen, ſtercoratio, fimus. Pflugius tamen malebat, latis: vt referatur ad multitudinem militum.

217. ſeruent) vulgò, *ſeruant.* malè: quia ſequitur, *colant.*

228. nepotem te Friderice ſuum) Si Conradus Imp. Friderici Aenob. patruus fuit, & Friderici iſtius Iunioris pater (vt fuit) quomodo hunc nepotem vocat Friderici Aenobarbi; cùm eius potiùs patruelis ſit: non autem fratris aut ſororis filius. Vid. & ſupr. lib. 1. v. 327. Sed nepotis verbo latiùs quoque Guntherum vti, indicio eſt infrà verſ. 352.

238. ex-

Hosted by Google

238. *excepit Brixia*) Nota, Brixiam solo æquatam fuisse ob rebellionem aduersus Imperatorem.

248. *Ne quis rixari ferro, pugnamq; mouere*) Assentior Nob. Pflugio, distinguenti: Ne quis rixari, ferro pugnamq; mouere: Sic sup. lib. 2. v. 386. *Rixari, ferroq; etiam pugnare.* Accedit, quod verbis rixamur, non ferro. An legend. Ne quis rixari verbo? cui lectioni Radeuicus fauere videtur.

253. *Vociferet*) Vsitatius est vociferari. At vociferare vix memini legere.

255. *Eripietur ei castrorum tota supellex*) id est, vno verbo, Exauctorabitur.

256. *armiger*) id est seruus. Mox significat stigmata fronti inusta, vt & inf. 273. maxilla adusta, & v. 287. signatus frontem, & 300. signabitur ora. Constantinus tamen stigmata faciei inuri pœnæ caussa vetuerat in l. 17. si quis in metallum. C. de pœnis. Ideo nimirum, quia facies ad cœlestis pulchritudinis exemplum condita sit. Olim etiam non pœnæ sed agnitionis seu notæ gratia tyrones in dilectu ad militiam stigmatis compungi solebant: vt docet I. Lipsius lib. 1. De militia Rom, prope finem. Plautus per iocum vocat στιγματίαν seruum litteratum. 7.

257. *detonsaq; coma*) Radi seu tonderi apud veteres ignominiosum erat: quod aperte & aliquot versib. hic locus probat. Vid. v. 274. 287. & 300. Vide etiam ad hanc rem annotata per Cuiacium lib. 5. Feud. pag. 304. ed. Colon. ex Nou. Leon. 60. 63. 92. 8.

263. *abiurare*) Nota iusiurandum purgatorium: cui simile supr. obseruabam. Sic & iure ciuili Rom. potest quis iureiurando sibi delato iurare, non deliquisse, & innocentiam suam approbare. l. 6. furti. §. sed etsi ff. de his qui not. inf. l. 13. §. 2. l. 28. §. 5. ff. de iureiur. Melius autem hic videtur ita cum Pithœo distingui poterit: iurare volentem &c. At Pflugius ita distinguit: Poterit iurare volentem, &c. 9.

264. *reprobare*) scilic. poterit. Duellum autem siue monomachia huiusmodi prohibetur in Iure Canonico.

265. *non victo*) i. non euicto, non probato. Sic in iure ciuili accusator in crimen se subscribens, nisi eius veritatem probet, ad similitudinem pœnæ obstringitur. l. 7. si cui crimen. ff. de accus. l. pen. C. eod. Symm. lib. 10. epist. 63.

266. *equo cursore*) Sic inf. v. 689. Aug. ed *censore*, non rectè.

270. *bellator eques*) leg. *equus*.

271. *non erit ille nocens*) qui cum violauerit.

10. 277. *si prohibere potest facinus, prohibere laboret*) Quæstio hîc tangitur grauissima Iuris ciuilis, an qui scelus aliquod prohibere potest, nec prohibet tamen, ad pœnam teneatur? De qua vide Interpretes ad l. culpa caret. ff. de Reg. iur. & ad l. scientiam. ff. ad L. Aquil. Alludit ad eam Seneca, in versu isto:

Peccare qui non prohibet, cum possit, iubet.

Hinc apud Athenienses, qui cædem hominis prohibere poterat, nec tamen prohibuerat, æquè cum auctore cædis reus erat. Vnde Lactantius lib. 6. cap. 11. *Qui* (inquit) *succurrere perituro potest, cùm non succurrit, occidit.* Ambros. lib. 1. De offic. c. 37. *Qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit.* Augustini quoque & Cassiodori eadem est sententia: *Cùm possis obuiare perversis, si desinas aduersari, consensus erroris est.*

11. 281. *poterit haberi*) id est, habebitur. Virgilius. Quæ tantos potui perferre dolores. Idem: nil linquere inausum: Quæ potui infelix. id est, quæ nil inausum liqui. Vid. Guli: Canterum libr. 2. Nou. lecti. cap. 2. Sic Afranius apud Nonium in Senium:

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta inuenit.

12. Quorum versuum in primo adsentior Schoppio meo. legendum in verisimil. contendenti, *Ni possent*. vel, *Nisi* vt hoc dicat Poëta: Nisi homines delinimentis (vt sunt adolescentia, corpus tenerum, morigerimodi) caperentur & delectarentur, etiam aniculæ amatores reperirent. quod nunc abest, quando nulla eiusmodi delinimenta & venena eis assunt.

CA-

Hosted by Google

CAPVT II.

1. Mulieribus cur olim castris interdictum, ratio ex Tacito repetita 2. Medullis impressum: In corde scriptum. 3. Fateri, pro minari, asseuerare. 4. Puellæ etiam vxores dictæ. 5. Orationis Imperatoriæ vis & effectus. 6. Sperare, pro timere. Spes, pro metu. 7. Didere. 8. Fortunæ vices. 9. Lucani, noua emendatio ex MSC. Augusti. Emendationum Guntheri cumulus.

282. *Non erit in nostris nobiscum fœmina castris*) Pars vna disciplinæ militaris est, remouere ex castris fœminas. Sic & inf. lib. 8. v. 362. opt. Imp.

Illecebrosa suis purgauit scandala castris,
Equèsuo cœtu lixas & scorta, nociuum
Ac petulans vulgus, satis indignanter abegit.

Ratio huius vtilissimæ & perneccssariæ prohibitionis est, quia multa insunt mulierum comitatui, quę pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus conuertant. Itaq; Seuerus Cęcina grauiter censuit apud Tacitum Annal. 3. Ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur: cùm etiam olim placitum sit, ne fœminæ in socios aut gentes externas traherentur. Vide totum Taciti locum. Est enim egregius ad hanc rem. Vide & I. Lipsium lib. 5. De militia Roman. vbi hunc Guntheri locum laudat pag. 219. Sic & Proconsulem ait Vlp. melius esse, proficisci sine vxore in prouinciam. Sed & cum vxore posse: dummodò sciat, Senatum censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur. l. 4. §. proficisci. ff. de offic. proconsul. & leg. Ridiculè autem, qui castra dicta esse volunt, quòd in ijs libido castretur. 1.

291. *Non detondebit, vt illum Ignotum faciat*) Huc pertinet quod scribit Cic. 5. De finib. solere fures earum rerum, quas clepserunt, signa commutare, ne à prioribus dominis agnoscantur. Horum similes ibi ait esse Stoicos, qui ab alijs Philosophis dogmata quædam mutuati, vocabula tantùm, ceu rerum notas & signa, mutarint.

305. *Camerę custos*) Nota, ad custodem Cameræ Imperialis pertinuisse curam fori rerum venalium.

309. *innen-*

309. *inuentor foueæ*) Foueam amicus quidam meus pro fodinis metallicis accipiebat. Puto ego, foueas luporum aliarumúe ferarum etiam hîc intelligi posse. an thesaurum defossum accipiemus?

324. *Vocis & officij, meritò persol.*) Ita restitui distinctionem, quæ hîc peccabat.

325. *tantos proceres*) Videtur vtroque modo accipi posse, & de amplitudine ac potentia eorum, & de numero seu Multitudine. Vt sup.

328. *vestriq;*) Legebatur perperam, *nostriq;*. Egentem, supple me.

2. 331. *sunt impressa meis medullis*) De re, quæ penitùs & firmissimè nobis inhæret, ita loqui solemus. Sic infrà lib. 10. v. 536. memori scriptos in corde tenemus. Sic apud Terentium Andriâ inquit Pamphilus: Etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis de Glycerio. Terentius autem à Græcis mutuatus est hanc formulam summæ accuratissimæque memoriæ significatricem. Sic enim Pindarus Olymp. 10. πολὶ φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται. Æschylus Prometheo:

σοὶ πρῶτον ἰοῖ πολύδενον πλάνῳ φρένα,
ἣν ἐγγράψ σὺ μνήμασιν δίλτοις φρενός.

Vbi sic eius Scholiastes: τὴν ἀκριβῆ καὶ ἀνίτλητον. Sic & Sophocles Philocteta: καὶ γράψ φρενῶν ἔσω. Hoc elegantissimè accommodauit Gregor. Nazianzenus in Decalogum:

τὰς δὲ νόμους ἐγχάραξε θεὸς δέκα ἓν ποτε πλαξί
λαϊνίαις. σὺ δ' μοι ἔγγραψ σῇ κραδίῃ.

Et Ruffinus in Exposit. Symb. Apost. *Qui prima fidei elementa suscipiunt, testimonia hæc habeant in corde scripta.* Similia sunt his illa: *hærent infixi in pectore vultus.* Item, in medullis hærere, &c.

333. *Immemor officij*) Sic, ἀνὴρ ἐραστὴς, ὅστις ἀεὶ ἐρᾷ. Id est: *Non est amator, quisq; non æternum amat*, vt habet vetus versiculus. Et vt ait Symmachus 4. epist. 5. *Inconstans putandus est amor, qui incrementa non accipit.* Alludit autem ad principium morale: Habitum difficulter aboleri. τὴν ἕξιν δυσμεταχίνητον εἶναι.

3. 349. *bella fatetur*) id est, præ se fert, minatur. Ita ferè dictum, vt in iure confessoria actio: quam intelligi volunt

ICti

ICti, non qua duntaxat nobis aliquod ius competere fatemur, sed id etiam vehementer contendimus, atq; asseueramus. Minus igitur in scripturâ est; plus in sensu. vid. sup. lib. 6. v. 498.

350. *sine caussa censear ensem Inualida portare manu*) Alludit ad illud Pauli Rom. 13. Magistratus non frustra gestat gladium. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Degenerem regum priorum dixit, vt Silius Italicus lib. 10. degenerem altæ Virtutis patrum. Et Ouid. 3. Pont. 5. Patrij non degener oris.

352. *perhibere nepotem*) fort. *præbere*, vel *prahibere*. nam perhibere quidem hîc quadrare non potest, cum sit dicere. Sæpè autem præ & per inter se perperam commutata sunt à librarijs. Nepotem dixit pro quouis successore.

359. *si benè vos noui*) ex Horatio translatum. Sic lib. 10. v. 559. si benè nota fides. Illud quoq; : *Si non mea pectora fallit imago*, ex Virgilio sumptum videtur : *Si nunquam fallit imago*. Sæpè autem fit, quod est in versu Theognidis: πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατᾷς ἰδίαν. Etsi enim animi ianua dicitur frons & vultus, & natura speciem oris ita formauit, vt in ea penitus reconditos mores effingeret: vt Cicero ait: sæpè tamen animus cuiusq; multis simulationum inuolucris obtegitur, & frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur: vt alibi idem ait.

365. *Vos & me socij*) vulgò, *mei*. Fort. scripserat Gunther. *me, ô socij*: vnde illud, mei socij, factum sit.

368. *Nunc age*) pro, agite. vt sup. lib. 5. v. 478.

376. *adduxit*) malim, *Abduxit*. An, *adduxit*, scilicet huc?

377. *puellas*) Intelligendas hîc puto vxores potiùs quàm filiolas. nam has videtur satis comprehendisse superioribus verbis : dulcia pignora, natos. Masculinum enim, secundùm ICtos, comprehendit in se & fœminium. Puellas autem appellari etiam eas, quæ iam matrimonio iunctæ vel vterum ferunt, vel etiam peperernnt, constat ex his locis. Hor. 3. Carm. 22. *Laborantes vtero puellæ*. Penelope ad Vlissem scribens apud Ouid. sese puellam vocat, cùm esset eius vxor, & Telemachum ei iam olim peperisset. Idem Ouidius 2. Fastorum iubet, *viduas cessare puellas*, id est, à maritorum complexibus abstinere, dum

4.

fiunt

fiunt feralia. Sic Scæuola in l. vxorem. §. testamento. ff. de leg. 3. marito (inquit) defuncto, puella dote recepta nupsit alij. Ecce puellam vocat, quæ erat vidua, & pòst alteri nupta. Sic Gellius describens pulcerrimam illam dissertationem Phauorini sui de officio materno in lactandis liberis, puellam bis vocat puerperam. lib. 12. c. 1. Valdè autem opportunè atq; ex arte facit Gunth. quod carissimos affectus suos militibus suggerit ad incentiuum virtutis eorum. Quem enim liberorum & vxoris suæ respectus, cura & defensio non moueat, non in pugnam animosum & alacrem immittat?

μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή. hoc est:
Nati viro atq; vxor tyrannis maxima est.

Similia sunt etiam apud Homerum in Exhortationibus & alloquijs militarib. Sed non est nobis nunc propositum monstrare artificium oratorium, quod in hac & similibus orationibus pluribus adhibuit Guntherus.

383. *regnum)* Pithœi edit. *regum* habet. errato opinor typògraphico.

387. *vltrices aquilas, publica signa*) appositiuè hæc dicuntur.

388. *certè*) malim, *certâ ref. laude.*

1. 389. *Vocibus Aug. Virtus accensa Incaluit*) Hic fructus debet esse Allocutionis Imperatoriæ: de qua vid. eruditè differentem I. Lipsium de re milit. Rom. lib. 4. Dialog. 9. post Vegetium lib. 3. c. 12. Est tamen cum & illud verè vsurpari possit, quod est apup Sallust. in Catilin. verba virtutem non addere, neq; ex ignauo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. Eandem quoq; sententiam in Iugurth. repetit. Cyrus apud Xenoph. lib. 3. Pædi: Nulla (inquit) cohortatio ita fortis, quæ ignauos vno diei momento fortes reddat. Nimirum aliquid intus esse oportet, quod oratione eliciatur. Nam neque vestes, quamuis confertissimæ atque densissimæ, corpus calefaciunt, nisi aliquid intus sit natiui caloris.

394. *dilatamq;*) Quod enim Valer. Hax. de ira diuina pronunciat ab illa tarditatem supplicij compensari grauitate, idem etiam, de Regis, Dei vicarij, ira tectè vsurpatur.

6. 400. *Spe maiores pœnas*) Distinctio hîc peccabat in omnibus

omnibus edit. Porrò Spem per κατάχρησιν ponit pro metum vt inf. lib. 8. vers. 239. spe leuiora pacta. Sic apud Statium Thebaid. hunc retrò conuersum & tela petentem, dum spes nulla necis, crinito à vertice figit. Virgilius quoque, Sperare dixit pro timere Aeneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Et, At sperate Deos memores fandi atque nefandi. Vtrobiq; hoc etiam Seruius adnotauit. Sic Græci quoq; : vt Q. Smyrnæus lib. 1. Paralipom. ὁ γὰρ τις ὀίζυρὴς κακότητος ἄμμορος. ἐλπωρὴ δὲ πέλει καὶ δύσλιον ἦμαρ ἐισιδέιν. Idem lib. 10 ἐλπομένη καὶ ἔτ' ἄλλα κακώτερα δηήσασθαι. Et lib. 12. ἀμφὶ δὲ μήτης πολλὰ κυρομένη κενεῷ ἐπάυτει θύμβῳ ἐλπομένη τὰ καὶ ἄλλο κακώτερον, &c. Cum spes propriè sumpta sit futuri alicuius boni ; pœna verò malum : nemo certè pœnam sperabit , sed pertimescet potiùs atque refugiet .Metus enim est futuri mali.

409. *Rebus inexpletis*) infectis rebus discessserunt.

415. *iniecerit*) pro, interiecerit.

416. *Poterat*) Ita leg. cum Pithœo, vbi Aug. ed. & vulg. *poterant*.

419. *Resolutis Alpibus*) Alpium niuib. colliquatis & diffugientibus.

433. *hos agmina tota sequuntur*) Ex Poëta vet. nescio quo,

Ductores primi, quos agmina tota sequuntur.

435. *Vestigia subruit*) Pflug. *surpuit*.

439. *remige*) id est, remigio.

460.) *misere modò numera vita depactus*) Sic supr. 69. donasset miseram magno pro munere vitam. Sic inf. lib. 8. vers. 54 vitam depacti. Depactus cum aliàs vitiosum & improbum significet pactum, vt apud Vlp. in l. & generaliter. §. 1. ff. de calumniat. &c. hîc pro simplici & quouis pacto vsurpatur: vt sæpè apud Ciceron.

467. *Praclarumq; sibi cupientes didere nomen*) Pulcerrimus versus cùm esset vno verbo corruptus, ita à me restitutus est. Legebatur antea, *dedere* : quod & Spieg. non rectè retinens exposuit, *párere* : quod potius esset *edere*. Pflugius tamen diuinabat, cedere, vel cudere, vel condere. Sed nemo, opinor, dubitabit, quin verum sit, didere. Docui aliàs, Gunthcrum verbis Lucretianis & Virgilianis libenter 7.

benter vti. Tale etiam eſt illud, quo Lucretius quidem ſæpiſſ. vtitur, notione diſtribuendi vel diuidendi (Exempla in Conlectan. vide) Virgilius autem bis, quod ſciam: vt lib. 7.

Diditur hic ſubito Troiana per oppida rumor.

& lib 8. *tua terris didita fama*. Horatius quoque ſemel 2. Serm. 2.

Albuti ſenis exemplo dum munia didit.

Et Silius Italic. lib. 1.

Hinc fama in populos iurati didita belli.

vbi etiam vulgò non rectè, *dedita*. Gloſſar. vet. Dide *διάδος μέρισον*. Et, Didita, *διαδόθητα*.

469. *ſuis tutis)* malim, *tutos*.

473. *Et magnos reges animi virtutibus æquans)* Imitatur manifeſtò illud: Regum æquabat opes animis.

476. *haſta ligus)* id eſt, à Ligure iacta vel emiſſa.

484. *Carmine Teutonicas defleuit fama per vrbes)* Hic antiquus Germanorum mos, celebrandi illuſtrium virorum, qui bello perierunt, funus & memoriam, hodieque durat, interq; noſtros homines frequentatur. Meminit eius & Tacitus. Ita qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuunt, vt ait Iuſtinianus. Græci *λόγοις ἐπιτυμβίοις* eos decorabant: quem morem & Rom. poſtea imitati ſunt.

486. *Quemq; domi f. D. R. potentem)* Domi potentem Gunth. ſic videtur dixiſſe, vt Salluſtius Catilin. & alij Domi nobilem. Et idem Salluſt: Bello Iugurth. Ea tempeſtate in exercitu noſtro fuêre complures noui atq; nobiles, quibus diuitiæ bono honeſtoq; potiores erant, factioſi, domi potentes, &c. An potiùs, domo miſerat?

491. *Pœnas luiſſent rei)* vt qui iniuſſu Imperatoris pugnaſſent: quod ex diſciplina militari capital. fuit ſemper.

Præuetitum namq; & capital committere Martem.
Sponte viris.

vt ait Silius ex emendatione Fr. Modij noſtri. Exemplum in filio Manlij apud Liuium.

493. *Fortunaq; vices incertaq; pata)* Nihil æquè animum hominis refrenat, inque gyrum moderationis flectit, ac ſi cogitet, *κρεῖττον εἶναι τὴν τύχην, καὶ τὸ μεῖζον ἄορατον*, vt ait Iſocrates. Præclarè Menander.

ἄνθρωπος

ἄνθρωπος ὢν, μίμνησο τῆς ἐνθνητῆς τύχης.

Id est, vt nos inde fecimus:

Cùm sis homo, esto sortis humanæ memor.

Cuique euenire, quod cuiquam euenit, potest, vt ait Mimus, Publianus. Et aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est; vt B. Augustinus fecit. At multi sese nimis altè efferunt, ignari rerum humanarum, quæ fluxæ & mobiles sæpiùs in aduersa mutantur: vt est apud Sallust. Iugurth. Plura de vi & potentia Fortunæ inf. 8. 108.

496. *vlcisci socios*) prælio amissos.

503. *acies æquè dispergit in omnes*) Assentior Colero, qui mauult, dispertit. nam dispergendi quidem verbum nescio quid temerarium ac tumultuarium significat: Dispertiendi verò, aliquid ordinatum ac benè dispositum. Sic Plautus, Dispertitos viros, dispertitos ordines dixit. Verba sunt militaria & τακτικὰ, de instruenda acie vsurpari consueta.

505. *Regia fulget auis*) Aquila οἰωνῶν βασιλεὺς, vt pluribus docui ad Oppianum 2. Halieut. vers. 539. suprà. v. 387. vltrices aquilas dixit.

511. *Aere dato conducta cohors*) Elegans descriptio militis mercenarij. vid. & suprà vers. 49. cum seqq. & inf. 10. 545. *Ibi fas, vbi proxima merces: Aere merent paruo*, vt de talib. canit Lucanus. Scripsi *proxima*, pro eò quod hactenus ab omnib. vulgatum est, *maxima*: quæ restitutio opt. & haud dubiè verissima debetur Dauidi Hœschelio nostro, qui ex MSC. Aug. erutam nobiscum communicauit. 9.

523. *Pectore*) Ita cum Pith. legend. vulgò malè, *pectora*. Pro, *certa*, Pflugius malebat, *caca*, me non probante.

529. *quadris*) quadratis.

530. *Murus: at hunc*) Ita restitui, pro eo quod nullo sensu legebatur, *adhuc*. At hunc, scilicet murum præcinxerat agger vasto hiatu. v. seq. quid est, *captosq; furores?* an legend. *cæptosq;*: an *creperosq;?*

538. *regniq;*) Vuecheliana editio, *regisq;*. Sed melius est *regniq;*: quod & Pern. retinet. Eod. planè modo suprà quoque dixit Poëta vers. 344. *regniq; minas, mandataq; nostræ videt*. Regni autem appellatione imperium intelligit Romanum.

541. *indagine belli*) Ita vocat obsidionem seu obsidium, metaphora ducta à venatione, quippe quæ sit εἴδωλον πολέμου, vt plurium auctorum testimonijs comprobaui apud Oppian. in Cyneget.

543. *Volucres*) Aquilas elegantissimè ait colludere, quando signa aperta in campis volitant, ad pugnam parata. Verbum hoc eod. modo vsurpat Virgilius Georg. 1.

Sæpè leuem paleam, & frondes volitare caducas.
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

Sic opt. Virgilij imitator Scipio Gentilis, collega meus coniunctiss. & carissim. in primi Psalmi Paraphrasi fecit:

Namq; velut paleasq; leues, ramentaq; terræ
Sparsa ferens, volucri ventus colludit habena:
Ludibrium morti sic turba illa impia debet.

Illud obiter moneo, cùm huius verbi vetus scriptura sit conludere, sæpè à librarijs id deprauatum fuisse in, concludere c. perperam interposita: vt probaui ad Alani Anticlaudianum.

CAPVT III.

1. Fuga metus degener. 2. Excellens virtus agrè fert moram 3. Mutare, pro vendere. 4. Plauto quinque integri versus ex MSC. Cod. Camerarij restituti. Guntherus aliquotiens castigatus.

546. *Densare*) veteres etiam *densere* dicebant in secunda coniugatione: vt Muret. in Var. lect. docet.

548. *Latenti dolo, vel Marte palàm*) ex Homero:

ἢ δόλῳ ἠὲ βίῃ, ἢ ἀμφαδὸν ἠὲ κρυφηδόν.

560. *Cunrado patre relictum*) Libens interposuerim à. Quāuis & alibi sciam amatas Gunthero Præpositionum ellipses.

562. *promptus manu*) Sic Sallustius: Manu quàm lingua promptior.

582. *sublatos*) elatos.

584. *sonus per opaca silentia noctis*) qui solet quàm
1. maximè procul diffundi.

590. *degenerem petiêre fugam*) Eleganter fuga degener: vt apud Lucan. libr. 3. metus degener: Quia scilicet vt Virgilius ait, degeneres animos arguit.

595. *numerosaque vincula passi*) Pflugius *vulnera*.

600. *ingens*

600. *ingens tempora multa labor momentaq; tarda petebat*) Alludit ad sententiam hanc,

Omne quod excellens opus & sublime futurum est,
Difficiles ortus habet, incrementaq; tarda. &c.

603. *non poterat tolerare moras*) Virtus excellens atq; excitata moræ impatiens hîc eleganter depingitur. Talis ab Homero describitur in Achille, Patrocli amici cædem vindicare cupiente: Talis item in Pirrho, Neoptolemo eius filio apud Q. Smirnæ: 2.

614. *materiam, fomenta dabat*) Sic distinguend. inter *materiam*, & *fomenta*: quod vulgò negligitur.

622. *oppositi*) Ita legend. non vt vulg. *oppositis*.

632. *celeritáe*) malim, *celeriq;*.

642. *prima bella*) velitatio, vt suprà.

644. *Iras strictas*) hîc vocat ead. fort. ratione, qua ius strictum & rigorem iuris dicimus. At Pflug. ita

At simul ad gladios exstrictos cominus irâ
Incaluit virtus.——

648. *incussa*) percussa.

650. *terram prosternere trunco*) nouè dictum, pro, *insternere*. quo verbo Virgilius vtitur Aen. 2. *insternor pelle leonis*.

654. *pariterq; necant, pariterq; necantur*) ἀλλήλους ὀλέσσειν ἀμοιβαίοισι φόνοισιν, vt ait Oppianus meus de ἀλληλοφαγίᾳ piscium in Halieut. vbi olim similes annotaui formulas, quibus mutua cædes exprimitur.

656. *multa respersos cade triumphos*) cruentam victoriam.

663. *cadauer mutatum*) id est, redemptum. Sic suprà lib. 2. v. 576. *permutans olidas effuso sanguine lymphas*, id est, emens vel comparans. Veteres *mutare* vsurpabant pro emere vel vendere. Sic Horatius 1. Saty. 4. *Hic mutat merces surgente à sole ad eum quo Vespertina tepet regio*. Virgil. Pollione: *nec nautica pinus Mutabit merces*. Nam vt ait Paulus, origo emendi vendendiq; à permutationibus cœpit. l. 1. ff. de contr. emp. 3.

664. *fors iusta negarat*) Sic reposui, *negaret*.

682. *signatus frontem*) Sic sup. locutus est v. 287.

683. *Non tulit*) Quod hic Gunth. commemorat de Alberto Comite Tyrolensi, ab eo singulari certamine superatum

peratum cæſumq; eſſe iactabundum atque inſolentem equitem Mediolanenſem: id Cromerus lib. 6. hiſt. Polonic. tribuit, Boleſlao Vuladiſlai Poloniæ Regis filio: Obſeruauit hoc clariſſ. Gentilis, qui mihi huius muneris, vt & aliorum beneficiorum auctor extitit. Sit igitur hoc quoque exemplum dicti: τῷ ἀμυνομένῳ ἄμεινον.

688. *texit*) fort. leg. *texi*. an aliud quid monſtri hic locus alit? neq; enim benè cohærent, curat, &, texit.

690. *officio equi fungi*) pro vti, mirè dictum. Sic fungi iudice dixit inf. 9.322. At lib. 8. v. 337. ratis officio vſus.

696. *hoc*) Sic rectè Perna. vulgò malè, *hic*.

Ibid. Ipſe negligit) Obſeruare hic licet exemplum ſen-
4. tentiæ Plautinæ:

Qui ipſus ſe contemnit, in hoc eſt indoles induſtriæ:

Locus eſt aureus in Trinummo, Sc. Quòd illic homo. quem quia integro, eoque nondum, quod ſciam, vulgato verſu primus auxi beneficio MS. Cod. Camerariani hîc adſcribam.

Is probus eſt, quĕ non pœnitet, quàm probus ſit, & frugi bona?

Seq. verſ. in MS. reperi:

Qui ipſus ſibi ſatis placet, nec probus eſt, nec frugi bona:
Benefactа benefactis aliis pertegito ne perpluant.
Qui ipſus ſe contem. &c.

Occaſionem omittendi pulcerrimi verſus librario præbuit, quod duo verſus eodem prorſus fine clauduntur; duo ſimili principio inchoantur. Ita factum, vt oculi eius (quod fieri amat) aberrarint. Poſtea vnius ἀπόγραφον cæteri in hoc errore ſecuti ſunt, tanquam oues arietem, vno hoc Camerariano cod. excepto. Inſigne exemplum ſimilis mutilationis deprehendit Modius noſter in 12. Silii.

Non vllum dixêre parem, nec notior alter
Gradiuo iuuenis, nec Phœbo notior alter.

Secundus verſus vulgò à librarijs omiſſus erat, quòd ſimiliter cum præcedente exiret. Proferam & ego ex ead. Plauti fabula aliud eiuſdem errati ex cod. fonte promanantis exemplum. Sc. Huic ego. vulgò ita legitur:

C. Qua facie eſt homo? S. ſeſqpede quidem (duo MSC. Camer. *quiddam*) *eſt quàm tu longior.*
C. Nouiſti n' hominem? &c. Inter hos duos verſus aio omiſſum eſſe vnũ, quẽ ope. MSC. ſic reſtituo.

CH.

Hosted by Google

CH. *Hæret hæc res, si quidem ego absens sum quàm præsens longior.* In MSC. non rectè est: *absens sum quia P.* Tacitè verò secum vel ad spectatores cum versum Charmides mussitat. Addam & alium vers. ex Captiuis Sc. Ioui ead. de caussa omissum vulgò, quem in MSC. Eystadiensi repeti conseruatum.

Atq; vbi ego fui in lapicidinis bonus vir, neq; bona frugi.

Sequitur in editis:

Neque ero vnquam, &c. Erant autem in eo MSC. octo Comœdiæ, ordine primæ, quas olim Franciscus Modius & ego legendo conferebamus, Restituam eadem opera versum integrum etiam Aululariæ, Sc. Foràs lumbrice:

Ev. *Pone.* St. *Dij quidem Polte datare credo consuetũ, senex.*

Sequitur in impressis:

Ev. *Pone hoc, sis. aufer cauillam. &c.* Cauillatio, quam auferri iubet Euclio, hæc erat, quod ludebat Strophilus verbis ponendi & dandi seu datandi, quæ sunt interdum amatoria & Venerea, vt & inclinandi. Restitutio huius cauilli debetur MSS. Camer. & Eystad. Sed age, quando nos bona quædam scæua ad Plautum deduxit, priusquàm inde abeamus, & VII. hunc librum claudamus, etiam Menæchmis integrum versum redonemus, Sc. Aedepol.

Quid illuc est, quod me hic homines insanire prædicant?

(Sequitur. in MSC.)

Nam equidem postquàm gnatus sum, nunquam ægrotaui vnum diem.

Seq. versus ibid. ita legitur.

Neq; ego insanio, neq; pugnas, neq; ego lites cæpio.

Sed harum emendationum & suppletionum hîc desino. Nam quas indidem ante complures annos depromseram alias, meo permissu in suspectis Lectionibus suis vulgabit Gasp. Schoppius Francus. Easdem ibidem procul dubio etiam deprehendit vir accuratiss. & doctiss. Ianus Gruterus, & ad publicam (quod spero optoq;) vtilitatem proferet. Beneficio enim clariss. fratrum Camerariorum, qui Norimbergæ (quos ego honoris caussa nomino) eos codd. post me vtendos accepit. Ego interim ista tibi, studiose Lector, quasi in antecessum dare volui.

Hosted by Google

NOTARVM AD GVNTHERI LIGVRINVM LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

1. *Dextræ cum dextra coniunctio cur fidei symbolum, ratio Alexandri Aphrodisiensis & M. Bergij. 2. Exagitare, proexigere. 3. clarere. Paret Iuriconsultorum. 4. Quamuis magna Fortunæ sit tyrannis, multos tamen sua sibi culpa calamitates accersere. 5. Rectè atq; ordine quid fieri. 6. Potentiores imbecillioribus iure naturæ imperitare, Guntheri versus aliquam multi emaculati.*

v. 1. *Vram)* Perna, puram. malè.

2. *hæc)* scilicet. moles. Ita reposui, pro, *Hic.*

31. *Cameras)* Alij scripserunt Camara. Vnin vet. Glossar. vitiosè, Amara, ὑπόνομος.

32. *Internis)* vulgò malè, *Interius.* Sic alibi, *Alternis.* pro *Alterius.*

33. *totos)* sic legend. cum Pithœo. Vulgò, totus.

35. *quendam)* Ita rectè Pith. vulgò, quondam. Iunge, quendam Regum Rom.

44. *hic)* malim, *Huc.* an *Hæc?*

53. *dextras)* tanquam fidei symbolum, vel optatæ
v. pignora pacis, vt inf. v. 270. Vnde ille apud Virg.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Adscribo de dextrarum coniunctione insignia duo loca, primo Iosephi lib. 18. ἀρχαιολογ. ὁ ἧ Ἀριστόβουλος τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μίγμα παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τῆς πίστεως γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. ὃ γὰρ ἂν ψεύσασθαί τις δεξιῶν ὑπ' αὐτῆς δόσεως ἡνιωμένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδιάσοιεν, εἰ τοιαύτης δὲ ἀσφαλείας δόσις γένοιτο παρὰ τῶν ἐν ἀποψίᾳ ἀδικήσειν ἡγουμένων. Deinde Alexandri lib. 2. Problem. 47. καὶ οἱ τότε ἧ δικαιότατοι ἄνδρες τὰς δεξιὰς ἑαυτοῖς παρεῖχον ὑπὲρ ἀσφαλείας πράγματος τὴν δεκὰς ἀριθμὸν ἀποτελοῦντες. Ait Philosoph. Idcircò priscos viros iustitiæ amantes pactorum firmandorum causâ dextras iungere instituisse, quòd hac coniunctione numerus efficiatur denarius, quo nihil sit perfectius in ratione numerorum. Quæ ratio non omninò satisfaciebat auũculo meo doct. Matthiæ Bergio, cum

cùm ei hunc locum aliquando in familiari sermone commonstrassem. Itaq; ad oram libri mei adscribebat ἀνάγκης νεῦρον, quam totidem verbis subijciam. Si numerum (inquit) spectabant, quî minus siniſtræ ad siniſtram adiunctio rem perficit? Mihi quidem aliud videntur spectasse illi δικαιότατοι ἄνδρες: illud nimirum, quod vt manus est omnium organorum organon præstantissimum, ita rei omnium, quæ sunt in humanis præstantissimæ (Fidei videlicet) Symbolum eam esse voluerunt: Indeq; dextra dextrę iungebatur, cùm fidelissima fides sanciebatur, quòd dextra in corpore pars potior siniſtra habeatur communi omnium hominum consensu.

57. *veteris non immemor iræ*) Nota capitale atq; inueteratum odium inter Mediolanenses ab vna, & Ticinenses atq; Cremonenses ab altera partibus.

65. *fortè maligna*) id est, aduersa sorte.

76. *persequiturq; reos, parcens insontibus, aër*) Sic in Ægypti quoque plagis factum nouimus ex sacris litteris. παραδεξάζονται ὅτι τῷ θεῷ, vt ibi loquuntur LXX. Interpretes. Nota, quod ipsa elementa famulantur sesèq; accommodant Friderico: vt inf. 154. *aduersus pro Cæsare dimicat aër*: & v. 350. cum 2. seqq. Ita Claudianus suum Principem fortunatum Deoq; dilectum prædicat:

——— *cui militet æther,*
Et coniurati veniant ad classica venti.

80. *Exagitatq;*) cauè accipias, pro vexat. Ea potiùs 2.
significatione positum videtur hoc frequentatiuum, qua simplex exigere apud Liuium & Pomponium, cùm aiunt, Reges exactos, id est, expulsos. Sic Terentius in quibusdam fabulis se à spectatoribus exactum conqueritur.

84. *sint*) vulg. *sunt*. Sed illud potaui melius.

93. *Talis*) fort. legend. *Tales*. Ne quis iungat, *Talis fama*, sed potiùs Tales mores.

103. *tractate*) vulgò, *tractare*. Sed tractate est versate, expendite cum animis vestris. Distinctio quoque hîc peccabat.

107. *clarent exempla*) Verbum Lucretianum è lib. 3.
6. Commemorare, quod in primo quoq; carmine claret. Clarere est, manifestũ atq; perspicuum esse, apparere, patere: pro quo veteres, maximeque Iurisconsulti in formu-

Hosted by Google

lis,etiam parere dicebant. Vt, si paret. Petron. Arbiter Satyrico:

Iurisconsultus,paret,non paret,habetor:
Atq; esto,quicquid Seruius & Labeo.

Vet. Glossar. Paret, *φαίνεται.*

108. *Sensimus,vt multi,mortalia quæq; regentem*
Nos quoq; fortunam:non culpa fortè caremus) Ita hic locus interpungendus est & legendus. Malim quoque, *nec culpa.* Sæpè enim apud Gunth. sic peccârunt librarij, vt [non, nec, nunc] particulas inter se permutârint. Perna alijq; non rectè, *fortuna, non culpa, f.c.* cùm sit verùm, *fortunam:* quod etiam Aug. edit. agnoscit. Fortuna (vult dicere sapientiss. orator Guido) est rerum humanarum domina atq; arbitra: ea, secundum Plautum, humana omnia fingit, 'artatq;, vt lubet: ea humanarum rerum pleraq; regit, vt ait Sallust. Iugurth. Et pleraſq; res ex lubidine sua agitat, vt idem in fragm. Ea denique secundum Plinium vtramq; paginam facit. *Vitam regit fortuna,non Sapientia,* vt est in vet. versu apud Ciceronem: *τύχη τὰ ἀνθρώπων πράγματ', οὐκ εὐβουλία.* Huius ergo vim, quod nos quoq; experti sumus, id est nobis commune cum multis. Imo etiam hoc addo; Si vera fatendum est, ipsi nobis nostræ huius fortunæ fabri fuisse videmur, vt solent sui cuiq; mores fortunam fingere: & fortuna simul cum moribus immutatur, vt ait Sallust. apud Nonium pag. 255. Qua ratione Heraclitus dicebat, *ἦθος ἄνθρώπῳ δαίμων.* Et Attius apud Nonium ait, multos iniquo animo sibi mala auxisse in malis: quĉis natura praua magis, quàm fors aut fortuna obfuerit. Sed & Iupiter Homericus Odyss. α. ait, Sæpenumerò iniquè homines de Dijs & fato conqueri, vt à quibus præter meritum affligantur, cùm tamen verum sit *ὅτι καὶ αὐτοὶ σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.* Fuit autem certè (quod negari non potest, inquit Guido) crudelis & insolens dominatio nostra. Et vt sacræ literæ perhibent, propter iniustitiam & tyrannidem transfertur regnum de gente in gentem.

115. *scit Cuma quid est*) fort. leg. *Quidem.* nam vulgaria lectio nihili est, nec mihi sapit. Sic sæpè pro Idem, id est, vel contrà librarij substituerunt. An, scit quid est? scilicet id quod dico: vel quid horum sit verum.

117. *Quas-*

117. *Quasq́;*) vrbes vulgò malè, *Quosq́;*.

123. *recto ordine res agitur*) Exprimit elegantem veterum formulam, Rectè atque ordine aliquid fieri. l. 4. §. rectè. ff. de off. proconſ. l. 1. §. 1. ff. Ad SC. Vellei. l. 27. §. 1. ff. de liber. cauſ. &c. Cæſar apud Salluſt. de Catilinarijs : Sed ea malo dicere, quæ maiores noſtri contra libidinem animi ſui rectè atque ordine fecêre. 5.

126. *poſtquam de partibus illis Carolus & Magni regnum ſurrexit Othonis*) Hoc loco Nic. Ciſnerus vtitur ad refellendum Ant. Sabellici errorem, qui Ennead. 2. tradidit, Imperium per Othonem I. demum à Gallis ad Germanos fuiſſe traductum, quaſi non & Franci, ex quibus Carolus M. oriundus, ſint Germani, & Henricus Auceps pater Othonis Imperij dignitatem in Saxonicam gentem intulerit. Regnum ſurgere alicunde, Phraſis biblica.

131. *Quem neſcia vinci Mensq́; manusq́; ſuis facit hoſtibus eſſe timendum*) Egregia profectò & vera laus Friderici.

139. *oppida*) vt ſuprà Brixiam & Trecium.

141. *monere*) Ita reſtitui cum Pithœo, vulgò & Aug. ed. *mouere*.

144. *fauor aut odium, quæ publica commoda ſæpè Impediunt*) In hanc ſententiam vide præclarè συμμιμάζοντα C. Cæſarem apud Salluſt. in Catilina.

146. *ſcrutator pectoris alti Deus*) καρδιογνώστης. alludit ad ſacrarum literarum loca, quæ ſunt hac de re plurima.

150. *nudamq́; laceſſere pugnam*) Pflug. *timidamq́;*.

159. *gloria vana*) κενοδοξία. Notand. hîc eruditum & elegans Σκίμμα πολιτικὸν, Quatenus pro libertate pugnandum. Sæpè autem ſecundum Lucan. Libertatis amor ſtultum decipit orbem.

161. *Hoc ius eſſe feris? vti vaſta minoribus vltrò imperitare velint*) τὸ κρεῖττον ἀεὶ τοῦ ἥττονος ἄρχειν βούλεται in quouis animantium genere. Quæ ſententia à plurimis celebratur auctoribus Thucid. lib. 1. ἀεὶ κρατεῖσθαι, ἢ ἄρχειν τοῦ δυνατωτέρου κρατεῖσθαι. Vid. & Platon. Gorgia. Alia loca ad Oppianum olim adnotaui. Sed tamen non quia ſic fit in brutorum genere, idem etiam valere debet in humano, quod non vi ſed ratione gubernari oportet. Legebatur hîc perperam (vt ſæpè) vbi, pro, vti. 6.

CAPVT II.

1. *Ætatis pupillaris & septuagenaria immunitas onerum ciuilium.* 2. *Decima iuris diuini.* 3. *Amor vitæ.* 4. *Lacrumosa gaudia.* 5. *Præmaturæ & repentinæ canitudinis exempla.* 6. *Lixæ, Calones.* 7. *Parricidæ principum nunquam inulti.* 8. *Conatus delinquendi an & quando puniatur.* 9. *Nescius sui, pro superbo. Ignoratio sui.* 10. *Epigrammata duo Isaaci Casauboni, de Græcis Latina facta.* 11. *Prætorij forma instar templi.* 12. *Historicus ne consectetur minutias.* 13. *Dei timentes eligendi Iudices. Guntherus correctus.*

172. *conuentus*) nouè dictum, pro conuentiones seu pacta conuenta. Ita vocat leges seu conditiones & fœdera pacis. Aliâs hoc verbo significantur *σύνοδοι*. Pflug. tamen diuinabat, contendant, vel, contendunt.

1. 183. *prima quidem*) Nota, conditiones pacis Mediolanensib. à Frid. Ænob. concessæ: quas tamen ipsi non seruârunt. Nota quoq; hic immunitatem ætatis pupillaris, & eius, q̃ septuagenariâ maior est. Similis locus est inf. 660. Variatum est autem in annis. Fuit enim tempus, cùm sexagesimus annus immunitatem vacationemq; tribueret, vt Varro docet apud Non. pag. 253. edit. Paris. Postea LXX. anni immunitatem dare cœperunt. Vid. Cuiac. ad postremos. 3. libb. Cod.

188. *nouem millia marcarum puro conflata metallo*) Aurine an argenti marcas inteillgendum? Argenti verius esse, apparet ex v. 232.

192. *Caussa ducente*) id est, pro re nata, quod dici solet: seu pro incidente vsu.

2. 197. *veterem diuini iuris honorem*) Decimas ni fallor, intelligit, quas Iuris diuini esse Canonistæ tradiderunt. De harum Iure funesta olim bella in Germania bellata sunt.

232. *argenti summam*) vid. IX. marcarum, vt sup. 188.

233. *poterunt*) Ita Perna, cùm vulgò sit, *poterint*. Idem verò Perna malè: *At sibi*: cùm legend. sit, *A sibi subiectis*.

235. *Nauigium*) Regalia quædam seu commoda fiscalia hîc enumerantur: de quib. plenius infr. v. 571.

245. *signa Crucis*) Quæ Terdonenses quoq;, sed sine fructu, præferebant lib. 3. 22. De Crucis signo multa Prudentius in Cathemerinis, & Lactantius lib. 4. c. 27.

247. Indi-

Hosted by Google

247. *Iudiciumq́;*) malim, *Indiciumq́;*: quæ duo & aliàs perperam inter ſe commutaſſe locum ſcimus. An iudicium ſui dicit condemnationem ſui ipſius? vt ſignificet, *αὐτοκαταχρίτους εἶναι.* Mirum autem alicui videatur, ea hìc à Mediolanenſibus præſtari, quæ in conditionibus ſuprà commemoratis non comprehendebantur, cùm quidem ſint grauiſſ. vt incedere pullatos, nudis pedibus ſtricto gladio ad fauces admoto, ſupplices toto corpore proſterni. Notanda eſt in ſeqq. tum clementia Friderici in condonandis iniurijs, recipiendisq; reis; tum pietas atq; religio in eo, quod Deo acceptam refert victoriam, vt aliàs quoq; ipſi ſolemne eſt.

248. *portantes faucib. enſes*) Pflug. ex Radeuico legendum putabat: *portant ceruicib.* & mox v. ſeq. *tecta* pro *tacta.*

258. *tumidos*) Ita ex coniectura reſcripſi, pro *timidos.*

267. *vt redimant antiqua nouis, præmiſſa futuris*) Sic Perna rectè diſtinguit, quæ vulg. confuſa erant. Bis autem dicit idem. Præmiſſa, id eſt, antegreſſa, præterita. In ſumma, pollicentur, ſe δόντες ἀμείνονα facturos.

272. *ergaſtula*) Gloſſar. Latinogr. exponit *τόπους ἐν οἷς παιδῆται ἐργάζονται δεσμωτήριον.*

273. *hoſtis*) Sic repoſui, vbi vulgò, *hoſtes.*

275. *ſqualentia tegmine*) *προσωποποιΐα* elegans.

278. *cutis arida preſſis membris inſidet*) Oſſa atq; pellis ſunt miſeri à macritudine; vt ait Plautus. *περὶ δ' ὀστέα μοῦνον ῥινὸς ἦεν,* vt Q. Smyrnæus.

283. *Et tamen exultant*) Exprimit *φιλοψυχίαν καὶ φιλοζωίαν* hominibus à natura inſitam: de qua Ciceronis locum vide in 5. De finibus: & verſus C. Cillij Mecenatis parum viriles referuntur à Seneca in Epiſtolis: 3.

Debilem facito manu, debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum: lubricos quate dentes:
Vita dum ſupereſt, benè eſt, hanc mihi vel acutam
Si ſubdas crucem, ſuſtineo.

289. *Lacrymoſaq́; gaudia*) Apuleius lib. 1. Metamorph. Lacrymæ ſæpiculè de gaudio prodeunt. Et vt Xenophon ait *ἐφ. ἡ. καινόν τι ἄχος χαρᾷ καὶ λύπῃ τὰ δάκρυα.* Idem & *κλαυσίγελον* eleganter compoſito verbo vocat. Sic in *ἀναγνωρίσει* cariſſimorum, vel in læto de ijſdem nuntio lacrymæ hominibus oboriri conſueuerunt. Hinc illa apud Pinda-

Hosted by Google

Pindarum Pythio. 4. ἦ μὲν εἰσελθόντ' ἴγνων ὀφθαλμοῖ πατρὸς. ἐκ δ' ἄρ' αὐτῷ πομφόλυξαν δάκρυα γηραλέων βλεφάρων. ἂν περὶ ψυχὰν ἵκετο γάθησεν, ἐξαίρετον γόνον ἰδὼν κάλλιστον ἀνδρῶν. Loquitur de Iasone à patre suo Æsone agnito. De caussis talium in gaudio Lacrymarum vid. Ioach. Camerarij Problema 3. Decad. 8. & rursum in Append. Problemat.

5. 290. *tactos pietate dolores*) diuinabam, tractos.

293. *natos vix agnouere parentes Iam niueos canis*) Exemplo Horatij, qui canos vocat niues capitis lib. 3. Carmin. 13. Porrò de canitie præmatura vide Aduersaria M. Ant. Delrio ad Senec. Tragœd. initio: vbi patri suo hoc contigisse scribit, vt etiam adolescens vnius noctis lucubratione incanesceret. Simile exemplum cuiusdam, qui in carcere, vbi ad supplicium sequentis diei adseruabatur, vna nocte totus canus factus sit, commemorat Sleidanus. Venit hîc mihi in mentem Leontius, quem scribit Sozomenus lib. 3. hist. Eccles. c. 20. in quadam controuersia Ecclesiæ Antiochenæ contacto capite suo, canitie iam dealbato, dixisse: Niue hac soluta multum erit luti: ad significandas seditiones populares, quæ mortem suam essent secuturæ.

314. *Cæsaris à facie tellus cum tota sileret*) Nimis Biblica phrasis hæc est, cuiusmodi & aliâs in Indicem nostrum retuli.

317. *sub eodem rege*) An sub Boëmo rege? an sub Pannoniæ rege?

330. *Nomen*) Pflug. Nomine: vt sup. lib. 1.

332. *vulgato*) Pflug. *vulgari*, id est, lingua sua ac vernacula. Putat enim inter vulgatum & vulgare multùm interesse.

333. *iussusq; relicto*) vulgò, *rursusq;*. Sed *iussus* postulat sensus: & sequitur mox, iubentem.

334. *illo*) scil. castro.

340. *transijt*) Ita omnes ed. etiam Aug. Pernæ autem, *retransijt*.

343. *Tunc quoq; gessit*) q. d. vt aliâs sæpè fecerat. Fuit enim hîc Otho Comes Palatinus de VVittelspach, vir magnanimus, feruidique spiritus, ac planè πυροκίνδυνος. Cuius rei aliquot documenta protuli suprà libro 4. v. 284.

347. *iustiq;*

347. *iustiq; timoris*) Pflug. mœstiq; tim. nisi iustum timorem, pro magno accipias: vt bellum & prælium iustum nonnunquam accipitur.

356. *fidei paciq; tenenda monimenta vades*) Ita elegantissimè vocat obsides: quos XIIII. ait, accepisse Othonem à Ferrariensibus, vt Mediolanenses Friderico CCC. dederunt sup. v. 200.

363. *lixas & scorta*) Eleganter & ex vet. disciplina militari Silius Italic. lib. 5. *Inutile Marti Lixarum vulgus.* Vid. annotata ad lib. 7. v. 282. Lixæ autem (teste Nonio in Elixum) dicti sunt, qui militibus aquam ad castra vel ad tentoria solent ferre. Nam lixam aquam veteres esse dixerunt. Et rursum alibi idem Grammaticus: Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ. Lixam namq; aquam veteres vocauerunt. Vnde Elixum dicimus aqua coctum, vel quicquid ex aqua mollitur. Calones verò sunt, qui ligna militibus subministrant. κάλα enim Græci ligna dicunt. 6.

365. *Nec docilis tolerare moras*) μηδὲν ἀναβαλλόμενον vt sup. lib. 7. v. 603.

373. *Addua*) Pern. *Abdua*. Non rectè.

379. *sese patre auspice*) Malim, *pater*: vt apud Virg. Pater Æneas. Et ita disertè Augustæ editum postea vidi.

386. *ne quis fore credat inultum*) Quicquid in augustos ausus committere reges. Sic omninò est, vt ais Gunthere. Vltum it is, qui edixit: Nolite tangere Christos meos. Et quales exitus fecerint ab omni memoria isti 7.

Orbis latrones, parricidæ principum,
Cœliq; virus, ——

docent nos historiæ, docet cotidianæ vitæ experientia. Ex priscis quidem vel Iulij Cæs. percussores mihi vide. Nónne horum quidam suo sibi pugione vitam eripuerunt, quo Cæsarem iugularant? nónne autem ad vnum omnes miserabiliter perierunt? Nostrum æuum vides? Nónne qui vel Regibus Christianissimis, vel Principi Auraico, vel Reginæ Brittannicæ machinati sunt cædem, ipsi iustissimis statim supplicijs mactati sunt. Perplacent mihi Epigrammata Græca Isaaci Casauboni, amici nostri, in discipulum illum Sectæ Iesuiticæ, Christianissimæ Maiestatis Regiæ percussorem, qui post illatum ei vulnus supplicio 8.

plicio affectus est extremo mense Decembri Anni 1594. Ea cum ipse libro 1. eruditissimarum Animaduersionsuarum in Suetonium pro coronide adiecerit, spero me & à Lectore gratiam initurum, & bona pace opt. & humaniss. viri id facturum, si eorum versionem Latinam, animi caussa à me confectam, hîc quoq; subijciam loco & tempore ita ferente.

I.

Prò facinus! prò impietas malè sana! furor prò
Immanis! mente hæc concipiat' ne puer?
O puer, ô inuise Deo & mortalibus! Vnum
Per iugulum Francis, Francus & ipse, paras
Omnibus exitium? verè tibi mater hyæna est:
Téque lupo genitum panit acerba tigris.
Non tu Francus eras genuinus; at agmine Franco
Confusus vixti, formâ homo, mente fera.
Iamq; armata adeò dirâ tua dextera sica
Perfectum facinus grande datura fuit,
Ni Regem pia dextra Dei eripuisset auaris
Dentibus ex læti, sanguineaq; manu.
Nunc gregis & Regis Deus est tutela salusq;:
Plaudite cœlicolæ, plaudite terrigenæ.
At tua te Nemesis condigna, sceleste, prehendit,
Mactauitq; modis, ex merito, miseris.
Improba sic nil facta iuuant: DEVS aspicit vltor:
Nec penitus fugitiua exulat orbe Themis.

II.

Gente quidem Gallus; sed mente infidus Iberus,
Ausus erat Regis (triste) patrare necem:
Regis, qui pugnat velut Hector & alter Achilles:
Nec minus est Themidis curaq; amorq; sacra.
Ausus erat: Sed tot populos miserata, augustum
Seruauit caput hoc à nece, cura Dei.
Non tibi successit cædes, Scelerate, nefanda:
Ipse, nec haud vna digne perire, peris.
Exitus, hem dignus factis. Deus ecce nocentem
Reperit. Hoc specimen cerne, male, & metue.

a. 388. *vel meditatus erit*) Ita Aug. & Pern. ed. vulgò, *erat*. Ad rem quod attinet, eò his verbis alluditur, Quod in læsæ maiestatis crimine iura eâdem seueritate voluntatem

tatem sceleris,qua effectum puniri voluerunt. l. 5. C. Ad l. Iul. maiest. In alijs verò delictis quatenus puniri soleat conatus delinquendi, attingit hîc Spiegel. ex Felino, Vid. & Hotom. Commentar. in lib. 2. Feud. tit. 51. §. si voluerit. & Iac. Menoch. De arbitrar. iudic. quæst.

390. *Camiclinus*) Pern. Caniclinus. Sic Radu. in Appendice. Magnæ certè oportet auctoritatis fuerit vir, qui regnum adfectârit.

393. *gaudia*) malim, *grandia*: quod alibi quoq; animaduerti deprauatum in, gaudia. vid. lib. 6. v. 182.

399. *Nescius ipse sui, tractabat inania, fati*) *τὸ Inania* cum sequentibus cohæret, in quibus explicat, quo pacto aut cur tractarit inania. Porrò nescium sui fati vocat superbum, qui humili se loco natum non meminerit. Sic Virgilius. 9.

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ. &c.

Contrà Gunth. sup. lib. 1. v. 489. *non inscius olim Ipse sui.* Sic & Ignoratio sui dicitur, cum quis se effert & superbè gerit, homo tamen humilis & infimi loci. Cic. pro Cluent. de superbo quodam Trib. pl. Quinctio: Quod erat odium, Dij immortales? quæ superbia, quanta ignoratio, quàm grauis atq; intolerabilis arrogantia? Germani quoque superbiam alicuius & fastum insolentem notantes dicunt, Non nouit ipse suos pedes.

400. *lumina lictor fodit*) Nota pœnam excæcationis & excisionis linguæ. Pro exerta autem malim legere execta. c. in r. facilè commutatur. Hæc autem exectæ linguæ pœna frequens olim fuit apud Vandalos, qui sic in Christianos Orthodoxos sæuiebant. Vide Cuiaci. 19. obs. 6. Sicut illa excæcationis pœna crudelissima inter Græcos Impp. vsitatiss. fuit. Exempla passim obuia in ipsorum historia.

402. *cum socijs*) Pflug. *Quàm.* Vt referatur ad præcedens, prius. quod equidem non capio, quem sensum pariat.

408. *De reliquo*) De hac & similibus formulis vide Indicem.

411. *semper in æquali*) Obserua hîc formam & ordinem castrorum in campis Roncalijs locatorum. De vniuersa verò re castrensi vid. I. Lipsium De militia Roman. lib. 5.

Hosted by Google

lib.5. per aliquot Dialogiſmos primores. In æquali & plano tendere, formula loquendi militaris, qua hiſtorici ſic abſolutè vſurpant, Tendere.

11. 420. *Principis in medio Caſtra nitent, celſi formam referrentia (templi)* Principis caſtra vocat, quod Latinis vna voce eſt Prætorium. Id templi formam referre ait, vt Ioſephus quoq; lib. 3. Excidij Iudaici templo ſimile facit. τὸ πρατήριον, inquit, ναῷ παραπλήσιον. Cuius rei triplicem cauſſam adfert Lipſius lib. 5. Dialog. 2. De Milit. Rom. 1. vel figuram rotundam vtrorumq; : 2. vel quod in medijs caſtris emineret, vt templa ferè in medio vrbium : 3. vel quia ibi religio & pars ſacrorum: Et quia Auguraleibi fuerit, vbi Imp. ſacrificare & auſpicari ſolet. Prima harum rationum magis vero ſimilis: cum & Varro 3. De ling. lat. teſtudini ædium comparet prætorium in caſtris.

423. *frontibus)* Ita malo cum Perna quàm cum vulgo, *fontibus*. Quid enim hîc faciant fontes? Pflugius diuinabat tamen, pontibus. quia rectè portis pontes coniungantur.

12. 439. *Nomina magnorum*) Nota ἀποδίωξιν prudentiæ plenam, quali & aliâs Gunth. vtitur. Meminerat quippe. Non debere hiſtoricum minutias conſectari, quæ parum ad rem aut ad dignitatem faciant. Vid. Ammiani Marcellini præclarum hac de re locum initio lib. 26. vbi ait : Hiſtoriam adſuetã diſcurrere per negotiorum celſitudines, non humilium minutias indagare cauſſarum, quas ſi ſcitari (lego, citari, vel ſciſcitari) voluerit quiſpiam, indiuidua illa corpuſcula volitantia per inane, atomos vt nos appellamus, numerari poſſe ſperabit. Ibidemq; hanc ait eſſe inſcitiam vulgarem, id eſt, vt Græci vocant ἀπαιδευσίαν. Verbi cauſſa, ſi quis ſcribere aut à ſcriptore requirere velit, quæ Imperator in cœna locutus eſt: quam ob cauſſam gregarij milites coërciti ſint apud ſigna: in deſcriptione multiplici regionum exigua quæque exprimi caſtella: cunctorum item nomina, qui ad vrbani Prætoris officium conuenêre: & ſimilia plurima præceptis hiſtoriæ diſſonantia. &c. Vid. & Ioan. Ant. Viperanum De ſcribenda hiſtoria. Quò etiam reſpexit prudentiſſ. hiſtoriæ ſcriptor Tacitus Annali: 13. Cum ex dignitate (inquit) populi Rom. repertum ſit, res illuſtres annali b. mandare. &c. Et Gunth.

ſup. lib.

ſuprà libro 1. verſu 124. Oppianus quoque 2. Cyneget. tali ἐπωδιώξει vtitur:

μᾶσσα φίλη, ζαιῶν δέ μοι θέμις ἀμφὶς ἀείδειν.
ἐπδανοὺς λίπτ δῆρας, ὅσοις μὴ κάρτος ὀπηδεῖ.

Malim autem v. ſeq. *Nec*, pro *Non*.

447. *Quibus ipſe timorem Norat ineſſe Dei*) Tales & inf. lib. 9. v. 325. arbitros eligendos eſſe monet religioſiſſ. & prudentiſſ. Imper. Frid. Sciebat enim, cùm ipſe eſſet Dei timens, Timorem Domini omnis eſſe officij cuſtodem, & ſummam atq; caput ſapientiæ: vt paſſim inculcant ſacræ litteræ apud Syracidem, Salomonem & Dauidem, aliosq; Prophetas. Maximè verò omnium in Iudicibus timor Domini requiritur. Vnde ſapienter conſulit Moyſi ſocer ſuus Iethro, Exod. 18. v. 21. Vt ex omni populo ſibi eligat viros ſapientes, Deiq; timentes, qui ſint veritatis ſtudioſi, & ab auaritia & ſordibus alieni. Sic pius Rex Ioſaphatus 2. Paralip. 19. v. 7. Iudicibus ab ſe conſtitutis per Iudææ ciuitates præcipit: Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite, &c. 13.

CAPVT III.

1. Iudicem cuncta rimari oportet. 2. Principem legibus viuere conuenit. 3. Idem nihil ſine conſilio prudentum ſuſcipere debet. 4. Leges quales eſſe debeant. 5. Imperatoris duplex officium. 6. Fridericus Ænob. quamuis ipſe indoctus, tamen doctos viros amauit, & doctrinæ ſtudia fouit, quibus & filios ſuos imbui curauit. 7. Panegyrici vnde fluxerint. 8. Iuru etymon. Guntherus pluries emendatus.

450. *Rimatur ſecreta negotia*) Reſpicit eò, quòd iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquiſitione diſcutere, quouſq; ad rei veritatem perueniatur: vt ait Eleutherius Papa in c. 11. iudicantem. 30. q. 5. vel potiùs, vt ait Imper. Conſtantinus (nam eius legem Papa compilauit, vt & aliâs alij) in l. 1. c. Th. De iudicijs, ex quâ Tribonianus ſumſit l. 9. C. de iudic. Rectè, rimari oportet, quia vt aiebat Democritus, & eſt veriſſimum, ἐν βυθῷ ἀλήθεια. 1.

453. *Virum formare*) malim, *virum informare*: vel ſimplex pro compoſito ponitur.

468. *Ipse quidem quamuis*) Obserua in Friderico ℣. boni principis, qui licet legib. solutam potestatem habere videatur, tamen legibus se supponit & alligatum profitetur. Agnoscit enim, Leges honorib. (i. magistratibus esse potiores, vt ait Symm. lib. 5. ep. 64. Tale erat ingenium Theodosij & Valentiniani in l. 4. digna vox C. de legibus. quorum verba Georg. Buchan. in Dialogo De iure regni apud Scotos ait dignissima esse omnium seculorum memoria. Tale erat ℣. Alexandri in l. 3. ex imperfecto. C. de test. Licet (inquit) lex imperij solennib. iuris Imperat. soluerit: nihil tamen tàm proprium imperij est quàm legibus viuere. Tale Impp. Seueri & Antonini, quos testatur Iustinianus, sæpissimè rescripsisse in hæc verba: Licet Legibus soluti simus, attamen legib. viuimus Quanquam postea Antoninus degenerauit, cùm iam solus imperaret. Talis ante hos omnes fuit Traianus Imp. quem scribit Plin. in Panegyrico, Legib. (quas nemo principi scripsit) in rostris se subiecisse simili religione cum subditis, nec sibi quicquam amplius quàm illis licere voluisse. Non enim esse Principem supra leges sed leges supra Principem. Is Præfecto Vrbis ensem de more tradens dixisse fertur. Pro me, vel in me hoc, prout merebor, vtitor: vt ex Dione refert G. Buchanianus histor. Scotic. lib. vlt. Et Paulus IC. scripsit in l. 23. ex imperfecto. ff. de leg. 3, Decet tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur. Idem lib. 4. Sent. tit. 5. Eum qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit. Sic inquam boni Principes. At Tyranni (qui semper longè plures quàm illi) quid agunt? Iura negant sibi nata; vt est apud Horat. Et illud in animo atq; in ore habent, quod aqud Senecam dicitur:

—— Sanctitas, pietas, fides,
Priuata bona sunt: Quà iuuat reges eant.

Denique illud vulgatum: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Statuat iam quisq; secum, vtram in classem referri velit: Illud autem cogitet, quod est apud eundem Senecam:

Omne sub regno grauiore regnum est.

Et quod apud Horatium:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

471. Dispo-

471. *Disponere cuncta consilijs*) Hoc quoq; boni Principis est, salutaria consilia admittere & auscultare, nihilq; penitus non antegressa seria deliberatione suscipere. Talem fuisse Alexandrum Seuerum accepimus, qui semper in consilio habebat XX. Iurisconsultos, sine quibus nunquam quicquam decernere voluit, teste Lampridio. 3.

482. *Carolus, Otho*) Hos duos velut Germanicorum Imperatorum coryphæos (quorum vterq; etiam Magni cognomentum meruit) fæpè coniungit Gunth. vt suprà lib. 7. v. 346. & h. lib. v. 127. His iungas licet Magnum Lutherium, quem nominat inf. v. 601.

488. *vtile sit*) Nota hîc, Quales esse Leges oporteat. Videtur autem ante oculos habuisse Isiodori verba lib. 5. Etymol. c. 20. relata etiam à Gratiano in c. 3. Distin. 4. Erit autem (inquit) Lex honesta, iusta, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoq;, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro cummuni ciuium vtilitate conscripta. 4.

495. *non magis inuictum bello quàm legib. esse*) scil. me, Ellipsi superiùs quoq; notata. Exprimitur hoc versu eleganter & rotundè, quod plurib. dicit Iustinian. in Proœmio Institutionum suarum, de duplici imperatoris officio, quod in armorum pariter ac legum scientia positum est. Horum enim alterum alterius auxilio semper eguit, & tàm militaris res legibus in tuto collocata est, quàm ipsæ Leges armorum præsidio seruatæ sunt: atq; ab harum duarum rerum stirpe summa reipublicæ tuitio venit: vt idem ait Iustinianus initio tit. De Iustiniano Codice confirmando, & in Nou. 24. Sic Sext. Aur. Victor in Traiano: Duo esse, ait, quæ ab egregijs Principib. expectentur: Sanctiratem domi; In armis fortitudinem; Vtrobiq; prudentiam. Parum est enim, arma esse foris, nisi consilium sit domi, vt ait Cicero. Requiritur ego vtrumq; coniunctim, *Virtus belli, & Sapientia pacis*. Hæc duo sunt, quibus extulit ingens Roma cap. vt canit doctiss. Poëtria, & velut Sappho. Romana Sulp. in Satyr. de Tempor. Domitiani. Duplex hoc officium boni Principis Hom. quoq; expressit hoc versu, quem Alexander M. magni feciſſe dicitur: 5.

ἀμφότερον', βασιλίυς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Id est, *Bellatorq; bonus simus & bonus Imperator.*

497. *spectabat studio miratrix curia vultu*) In hac vulg. lect. aliquid mendi subesse puto. An legend. vultum, iungendumq; cũ sonantem? Sed hoc duriusculum, dicere vultum sonantem. An ergo retinend. vultu? & studio, pro studiosè atque attentè positum à Gunth? Sic vt inf. nomine, pro nominatim. Ne hoc quidem satis placet. An deniq; pro studio legend. stupido? Quod verius puto, & Pflugio quoque meo facilè probaui. Qui his lectis seqq. adnotauit sua manu. Veriss. sic enim Radeuicus: His dictis magnus fauor omnium prosequitur *admirantium & stupentium.* Studio autem opinor, vt Gloss. adiectum fuit, ex Terentij Prol. in Hec. fortas. desumptum: Et, Ita populus studio stupidus in funambulo Animum occuparat. Hæc ille Stupidum vultum dicit hiantem præ stupore. Hoc vult: ὅτι ἐξεθάμβησαν vel ἐξεπλήσσοντο τοῖς λόγοις αὐτοῦ, vt sacrę litterę de Salutaris nostri auditorib. loqui solent. In stuporem rapti sunt. Adolphus Boethius Cimber, opt. & studiosiss. iuuenis, conuictor meus, volebat hîc legi, studio m. c. mnlto. f. magno fauore vt Radeuius ait: & hoc certè in ea oratione quàm Gunth. exprimere noluit, præcipuum. quod non probo.

6. 498. *neque doctrinæ studijs imbutus*) Tantò igitur maiore admiratione dignum est (cùm ferè fiat quod dicit Poëta: Ignoti nulla cupido: & quod vulgò fertur: Ars non habet osorem nisi ignorantem) quod tamen Princeps illiteratus & ipse tàm disertus fuerit, & tàm prolixo amore bonarum litterarum studiosos complexus sit, vt tantis priuilegijs eos donatos voluerit, quanta continentur in Authent. Habita. C. Ne filius pro patre. Quæ vel sola constitutio, si cætera præclarè gesta abessent, immortalem facere Fridericum nostrum poterat. Est enim longè celeberrima, & certatim in illam Commentaria scripserunt Iuris Interpretes: vt valdè mirer, eius mentionem omnem à Gunth. omissam esse, cùm & ipsa Roncalijs promulgata sit, vt eius habet subscriptio. Tanti est, bonis & doctis vti consiliarijs, qui sæpè etiam indocto Principi salutaria suggerunt. Quamuis autem Fridericus ipse doctrinæ studijs imbutus non fuerit, tamen filios suos rectè in illis institui

atq;

Hosted by Google

atq; erudiri curauit: vt sup. lib. 1. v. 65. indicat Gunth. vbi de Henrico eius primogenito ait:

—— qui sic studijs imbutus honestis,
Nouit ab insipido doctum secernere vulgo. &c.

quæ non rectè quidam de ipso Friderico acceperunt.

503. *suum studium*) id est, eruditionem suam & eloquentiæ facultatem.

504. *facultatem monstrare loquendi*) Innuit illas, quas Græci Rhetores ἐπιδείξεις vocant: Quintilianus ostentorias declamationes lib. 4. c. 3. Hæ sunt, quæ Panegyricæ orationes appellantur, vel simpliciter Panegyrici, scil. λόγοι. Hoc genus à Græcis ortum esse, tradit Lactantius lib. 1. cap. 15. Sed sæpè ait etiam apud malos Reges Panegyricis mendacibus quosdam adulatos esse: quorum leuitas instructa dicendi facultate & copiâ incredibile est, quantas mendaciorum nebulas excitauerit. 7.

519. *nudas pascere iras*) fort. legend. *tumidas*. An potiùs retinend. *nudas*, & has intelligendum omni caussa & ratione destitutas. Quod confirmat Radeuicus: Meminimus sine extanti crimine factas proscript. locupl. Sanè & sup. v. 150. *nudam* lacessere pugnam dixit. Et Scip. Gentilis mihi confirmauit, se apud veterum quendam legisse, nudis odijs pugnare.

539. *quicquid*) Ita diuinabam, & ita Pern. edit. Exprimit hîc illud Vlpiani; Quod Principi placuit, legis habet vigorem. l. 1. ff. de constit. princ. §. sed & quod principi, Inst. de iur. nat. gent. & ciu. In illis autem, Ius esse iube, respexit ad etymon Iuris. Est enim Ius quasi Iussus, à iubendo, etiam Festo teste. Vide Iacob. Curtium lib. 1. εἰκαιῶν, cap. 1. §.

540. *pro lege voluntas*) scil. rationabilis: non autem libido, vt sup. v. 520. quod est tyrannorum.

544. *verò*) Ita leg. cum Perna. Vulgò: vera. Ex quo Pflug. tentabat: iura. Mox alludit ad sententiam: Idcircò Legum serui sumus, vt verè liberi esse possimus.

CAPVT IIII.

1. *Anteceſſores qui & quanto in honore habiti ano Friderici I. 2. Iudex medius inter litigantes. 3 Præſidi prouinciæ quædam interdicuntur. 4. Regalia quot. 5. Munus, pro feudo. 6. Conſuetudines feudales an ſint pars Iuris ſcripti, poſtquam deſcriptæ ſunt. 7. Vadio dare. Vadio ſupponere. 8. Leges quando ad præterita negotia pertineant. 9. Hoſtenditia 10. Hoſtire. Hoſtimentum. 11. Scabies ferri. 12. Iudex maior, minor ſeu Pedeneus. 13. Non habens in ære luit in corpore. 14. Domus euerſio cuius delicti pœna. Guntheri loca pluria correcta.*

1. 561. *Edoctos in iure viros*) Rectè hîc obſeruat Spieg. Temporib. Friderici Aenob. ſolum Ius ciuile in vſu & pretio fuiſſe: cuius tunc Anteceſſores Bononiæ celeberrimi fuerint habiti, Bulgarus, Martinus, Iacobus, & Hugolinus, quos in conſilio Imperatorem maximum habuiſſe etiam Cuiacius annotat ad lib. 1. Feud. tit. 12. Ius autem Pontificium tandem Papæ Rom. euexerunt, quaſi altare contra altare extruentes: ne quid ſcil. concederent Imperatoribus, quorum iura & maieſtatem iam diu imminutum iuerant, vt ipſis rerum argumentis Hotoman. in Bruto fulm: probat.

2. 562. *medio iuris limite cauſſas diſcuterent*) Eleganter. nam inter vtramq; perſonam ſit iudex medius, vt ait Conſtantinus l. 22. vbi. C. Ad l. Corn. de falſ. Et Anianus in Interpretation. ſentent. Pauli lib. 1. tit. 18. Ex communi conſenſu (inquit) poſtea qui ſit diuiſionis medius eligatur. Sic Ariſtoteles Iudicem vocat μεσίδιον, & δικαστὴν quaſi διχαστὴν dici vult.

3. 563. *nec eos ex vrbib. Iſdem*) Nota, Præſidem prouinciæ aut Præfectum ciuitatis neminem in ſua patria à Friderico conſtitutum fuiſſe: cuius rei ratio hîc additur: Quia tales ferè aut fauore aut odio ſuorum popularium à vero & iuſto tranſuerſi abripiuntur. Huc pertinet, quod in Iure quoq; ciuili multa ſunt, quæ Præſidi aut officiali eius in ſua prouincia non permittuntur, potentatus ratione. Vt matrimonium contrahere non poteſt cum fœmina prouinciali: neq; filio ſuo aliquam ducenti conſentire: non poteſt rem ex officio ſuo emere, neq; per ſe neque per ſuppoſitam perſonam: non poteſt fœnus in prouincia exercere.

Hosted by Google

exercere.&c. vt probatur seqq. locis. l. 38. si quis officium. l. 57. qui in prouincia. in pr. l. 63. præfectus: ff. de ritu nuptiarum. tit. C. Si quacunq; præditus potestate &c. l. 46. non licet. l. 62. qui officij. ff. de contrah. empt. l. 1. C. De contract. iudic. l. 46. aufertur. §. quod à Præside. ff. de iur. fisc. l. 8. ff. Ad l. Iul. repetund. l. 33. principalib. ff. si cert. pet. l. 3. C. eod. Vide & Ciceron. Verrin.

567. regni de iure vetusto) De Regalibus, seu sacri fisci commodis. Talia hic IX. duntaxat enumerantur, non quo plura non sint (crescensentur enim quasi ad XXIIII. in cap. vnic. Quæ sint regalia tit. 56. libr. 2. feud. & esse plura hisce IX. ipse Guntherus satis indicat. vers. 576. *si qua pari fuerant obnoxia iuri*) sed quia non omnia vel potuerit vel etiam voluerit versibus comprehendere. 4.

575. Hæc Ligures) Nota epanalepsin: Hæc inquam Ligures. &c.

580. munere) Aug. ed. *munera*. quod probo. alioquin enim quo referemus τὸ ista quod sequitur? nisi iungamus, munera ista: id est, feuda, quæ & beneficia dicuntur. Sic & infrà munus pro feudo vsurpat v. 616. 5.

581. possederat) Ita restitui cum Perna. vulg. possideat. Improbare vel demonstrare est tautologia. Idem enim vtrumq; valet.

585. Librarum triginta millia) Nota, Censum annuum fisci Imperatorij fuisse Friderici I. tempore triginta millia librarum argenti.

587. iurando) Sic & Plautus iurandum pro iusiurandum vtitur. Cistellar. *Abi, quære vbi tuo iurando satis sit subsidij.* Et Terentius: *Quia si fortè opus sit ad herum iurandum mihi.* Sic enim ibi Donat: legit & probat I. Riuius, vulgò, iusiurandum. qnod est ex glossa.

590. Mox de communi) Nota, Ius feudisticum ante Fridericum non fuisse perspicuis scriptis expressum. Etsi enim quædam in litteras relatæ consuetudines circumferebantur sub nomine Gerardi & Oberti COSS. Mediolanensium: eæ tamen cùm essent confusæ, vagæ atq; incertæ, pro non scriptis haberi poterant. Disputant autem illius Iuris interpretes; An, ex quo illæ Consuetudines descriptæ sunt, in Ius scriptum transierint? Qua de re post 6.

alios videciuem meum Ludolphum Schraderum Tract. Feudal. 2. part. 9. partis princip. Sect. 3. num. 110.

595. *cogitet)* Ita reſtitui, cùm legeretur vulgò nullo ſenſu, cogitur. Vadio autem ſupponere eſt pignori vel hypotheçæ dare. Sic Concilium Rhemenſe Vadij verbum pro pignore vſurpauit in c. 1. extra De pignoribus. In Va-
7. dium dare rem Eccleſiaſticam. Hotoman. extremo commentar. de Verbis feudalibus hunc locum laudans legit VVadio, vt etiam in capitul: Caroli artic. 20. Et in Lombarda aliquoties, Guadia. Hinc Inuadiare pro oppignerare. Eleganter autem diſtinguit Gunth. inter hæc duo: Dare Vadio, &, Supponere Vadio. Priore formula ſignificat pignus proprie dictum, quod traditur creditori: poſtriore innuit hypothecam quando rei poſſeſſio penes debitorem manet, ac nuda conuentione creditori tenetur. Sic ICti pignus datum ſeu depoſitum, & pignus ſuppoſitum diſtinguunt. Verbũ quoq; Supponere abſolutè vſurpant, cum de hypotheca ſermo eſt. Vt & Perſius: Me tibi ſuppoſui. Vbi rectè Cornutus ait, tanquam aliquod pignus. Sic in tit. ff. de reb. eorum qui ſub tutel. vel cura ſunt, ſine decret. non alienand. vel ſupponend. Spiegel. tamen hîc Dare non iungit ἀπὸ κοινοῦ cum Vadio, ſed accipit pro alienare: cui vix eſt vt aſſentiar.

599. *Emptoriq; bonæ fidei)* Sic rectè edidit Perna vel Pithœus potiùs, & correxerat antè Cuiacius Comment. feud. lib. 5. ad Conſtitut. Friderici de Feudis non alienandis. Sic Radeuicus quoq; hîc, vulgò malè, Prætoriq;.

600. *actio qua pretium)* Poſſet etiam legi, qua cogat; ſcil. Emptor bonæ fidei. Sed temerè nihil muto.

8. 602. *facta retractari volumus, faciendæ caueri)* Cùm aliàs certum ſit, Leges & conſtitutiones formam dare & regulas imponere futuris negotijs, non ad facta præterita reuocari. Si hoc velit Legiſlator, oportet vt nominatim & de præterito tempote & negotijs adhuc pendentib. caueat l. 7. C. de legib. l. pen. in fi. C. de Decurion. lib. 10. vbi vid. Gothofred. Eius rei exemplum hîc eſt illuſtre.

9. 611. *vel quam laudauerit ille)* fort. legend. *qua*. Vt iungantur, qua mercede. Poteſt tamen etiam, quam, retineri. Pflug. quo, vel qua fraudauerit. Sed fraudandi verbo hîc locum eſſe non exiſtimo. Mercedis verbo intelligere videtur

videtur hostenditias, quæ vocantur. Eas ex isto loco nobis licet definire mercedem, quam vasallus, qui ipse in militiam cum domino feudi ire non potest, neq; alium pro se submittere, dat domino ad compensandum redimendumq; laborem suum in obeunda militia. Monet me hic locus, in verbo compenset, vt cogitem, possítne Hostenditiarum appellatio videri deducta à vetere verbo Hostire, quod est æquare: Vnde hostimentum apud Plautum Asin. *Par pari datum hostimentum est, operæ pro pecunia.* Et Festus Hostimentum exponit beneficij pensationem. Sed hæc fortassis argutiora sunt, quàm veriora. Vulgò quidem ab Hoste Hostenditias fictas putant, quod etymon Hotoman. quoq; sequitur. Laudare hîc quoq; idem valet, quod arbitrari.

634. *feudali iure recepto*) ambiguus est horum sensus. Nam vel hoc dicit G. communi & vsitato iure feudali: vel, inuestiturâ accepta. Quod verius puto.

644. *fidei iuramina*) Iuramentum fidelitatis ita vocat.

645. *Excipiendus erit nomine*) id est, nominatim. Ἀναφρήδην, ὀνομαστὶ δηλαδή.

649. *Omnibus in nostro*) Constitutio Friderici. id est, De pace tenenda à subditis hîc elegantissimis versibus describitur; quibus & Hotomanus opt. talium rerum æstimator hoc elogium tribuit, vt vocet versus in hoc genere singulares. in Comment. Feud. pag. 517.

655. *Comes an Dux*) Pflug. ac Dux.

659. *quoscunq; nec ætas pupillaris habet, nec septuag. anni*) Ita restitui, vbi vulgò legebatur vtrobiq;, non. Quod miror etiam CL. Hotoman. retinuisse d. loco, vbi hunc locum descripsit.

666. *scabie rubeat, non sanguine ferrum*) Elegantissimè dictum: Scabies ferri est eius rubigo seu ferrugo. Sic Silius Italicus lib. 7. 10.

——— *multoq; cruore*
Exsatiate viri plenos rubiginis enses.

667. *At si quid*) Sanctio hæc est, ea nimirum legis pars, qua pœna transgressoribus irrogatur.

672. *bis sena minores*) Verissima est emendatio Clariss. Hotomani in Commentar. Feud. pag. 521. qua hîc legit,

git, bis terna. Nam Radeuicus disertè sex ponit. Aug. tamen edit. etiam habet bis sena.

11. *676. maior)* Iudici maiori opponit eleganter minorem seu pedaneum, qui & Iudex datus dicitur, & vulgò delegatus: cui ordinarium opponunt.

12. *680. Cuius fortuna laborans)* Est hoc in iure ciuili tralatitium, vt qui non habet in ære, luat in corpore: videlicet ne delicta maneant impunita, & ne meliore sit conditione inops, quàm diues. Non dissimulo, quod in Augusst. edit. reperi, laborat. Quam lectionem si recipiamus, vt contemnenda non est, ὑποστιγμὴ ei verbo apponenda erit, & in seq. v. pro, non, legend. nec.

697. exacta duplo redhiberi plura) Hoc conuenienter Iuri ciuili sanxit Frider. vide l. 1. ff. de publican. & vectig.

13. *700. euertendiq; penates)* Domus euersio ac demolitio olim quoque apud Roman. aliquando vsurpata fuit coërcendi caussa Senatoris, qui in Senatum venire rerecusassset. Id quod Ciceroni factum ab Antonio. Philippis. 2. Item eius, qui in militia ad edictum non respondisset, villa motu Iudicis diruebatur: vt apparet ex l. 20. si is, cum quo. ff. Commun. diuid. vide Fr. Duaren. 1. Disputat. cap. 4. à quo in lectione d. l. 20. dissentit doctissimus Giphanius in Tractatu suo De Iudicijs. Nam cum Duaren. dilectum pro edictum ibi legi velit, Giphanius vulgatam scripturam tuetur. Hinc mos etiam hodie in Italica receptus manasse videtur, vt Bannitorum seu proscriptorum ædes solo æquentur, & ad pias caussas conuertantur.

703. Iuramenta metu) vide Authent. Sacramenta puberum. Cod. Si aduers. vendit. cuius pars secunda his versibus exprimitur.

NOTARVM LIBRI
OCTAVI FINIS.

NO-

Hosted by Google

NOTARVM AD GVNTHERI LIGVRINVM LIBER NONVS.

CAPVT I.

1. Hic & Ille quomodo referantur. 2. Colludia. 4. Damna & calamitates leuiores facit aliorum societas & participatio. 4. Clausura portarum & alia pœna loco ciuitati interdicta. 5. Episcopi castra secuti. 6. Emendatio Symmachi. 7. Imitatio Horatij. 8. Querela Papæ de filio Imperatore. 9. Legatorum violatio cur tantum sit facinus. 10. Recidiuus. Guntherus non semel emendatus.

v. 5. Spirabat vetus illa simultas) Sic suprà lib. 8. vers. *70.* furor & discordia Inter vicinas semper spirauerat vrbes.

7. Illa Papiæ, hæc vrbi Ligurum) Primùm obserua ellipsin τῶ tamen, quod respondeat τῷ Licet. Deinde cùm aliâs regulare sit, vt ille, Illa, Illud referatur ad præcedens verbum remotius; Hic, Hæc, Hoc ad proximius: ea regula hîc insuper habetur à Gunthero, vt aliâs quoque. Sic Sallust. in frag. Histor. Igitur quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est, hoc vti ciuiliter deponas, illa vt quàm iustissima & diuturna sit, &c. Similia exempla obseruauit Budæus. De Placentinorum iniurijs vide & infrà v. 250. 1.

14. ciues) Placentinos scilicet.

15. colludia) opponit vero bello seu prœlio. Intelligit itaque ludicra certamina seu pugnæ simulacra: qualis est ludus hastilium, seu Troianus. At Impp. colludium vocant, quàm Iurisconsulti vsitatius collusionem: vt in tit. De colluf. detegenda. Solinus cap. 22. vbi de delphino & puero amasijs, assueta colludia dixit consuetudinem simul ludendi. Sunt igitur tres distinctę huius verbi significationes. 2.

19. Præbuit alterno casus solatia damno) Sententiosè dictum. Alludit enim ad humani ingenij νόσον, quo putantur damna & calamitates cuiusq; viri participatione & societate aliorum leuiores. Vnde & illud; Non tu solus, 3.

in

in consolationibus adhiberi solitum. Quamquam reuera misera sit consolatio, quæ à societate mali petitur. Quid enim iuuat furem, si & alius iuxtà cum ipso in patibulum agatur? Alludit eod. & Symmachus lib. 8. ep. 27. cum ait. *Et illa quidem aduersa, quæ cum pluribus pertulisti, more humani ingenij habent aliquod de societate solatium.* Et Chrysostomus inquit in 1. ad Timoth. homil. 10. παραμυθίαν φέρει τὸ κοινωνὸς εἶναι τῶν συμφορῶν. Quod tamen & illic & alibi docet, non per omnia nec in omnibus casibus verum esse.

20. *Caussa meliore freti*) nam Caussa iubet superos melior sperare secundos.

32. *Vlteriora*) Aug. edit. Anteriora. Quæ lectio non est repudianda. Hoc autem est, quod ait Paulus: ἀεὶ τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος: Et quod Diui Caroli V. Symbolo innuitur: PLVS VLTRA.

36. *hic Comes, hic Præsul*) fortassis ijdem, qui suprà mittebantur, Otho Com. Pal. & Reinaldus.

4. 54. *ne claudere pergeret vrbem*) Notandum est hoc genus pœnæ, qua vrbis clausura alicui populo interdicitur. Exempla eius ex historijs plura colligi possunt. Similis est pœna, qua ciuitas cogitur vel turrium cacumina & apices deponere, vel mœnia eorumúe partem destruere, (vt sup. de Placentinis retulit) vel certi generis aut coloris cera in sigillando vti.

58. *Multimodoq; Duci*) Exprimit verbum πολύτροπος: quod Epithethon Vlyssi attribuit Homer. vt initiò Odyss. ἄνδρά μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Et Odyss. κ. ἦ σύγ' ὀδυσσεὺς ἐσσὶ πολύτροπος. Eustatius exponit: ἐυκίνητον, ποικίλον, πολύμηχον, πολύβουλον, πολύνουν, πολύστροφον, τρεπόμενον εἰς πολλὰς ὁδοὺς βουλεύματων: hoc est: Qui animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc, In partesq; rapit varias, perq; omnia versat: vt ait Virg. Æn. 8. Alibi Homer. eund. vocat πολυμήχανον.

69. *ciuica potestas*) Ita hodieq; vulgari lingua Italica vocantur qui olim Defensores ciuitatum.

78. *nepotis*) hoc est, filij sororis suæ. Vulgè nepos ex sorore vocatur.

82. *Vuelfonem*) Aug. ed. Guelphonem.

93. *stu-*

Hosted by Google

93. *studijs in vtrisq; peritus*) in diuinis pariter & humanis litteris versatus.

94. *Regia signa sequi semper consueuerat*) Nota, etiam Episcopos ea tempestate castra sequi solitos fuisse. Exemplum hîc in Oth. Frising. & alia apud eundem Gunth.

99. *Exspirare sacram diuini muneris auram*) id est, Animam exhalarare. Imitatur Horatium, qui diuinæ particulam auræ dixit. 5.

100. *athereo tandem sua reddere regi*) Quia spiritus reuertitur ad Deum, qui eum dedit, vt liber Sapientiæ inquit. Et in Epitaphio Senecæ eleganter scribitur:

Namq; animam cœlo reddimus, ossa tibi.

Terræ nimirum loquitur auctor.

103. *potentis*) Friderici Imp. Nota, Imperatoris honor & felicitas rerum gestarum stimuli & faces inuidiæ sunt in animo Papæ. Sed vt Martialis ait,

Rumpatur quisquis rumpitur inuidiâ.

ὀφθόνος οἰκτίρμὰ, κατὰ πίνδαρον, ἐστιν ἀμείνων:

ait quidam in Anthologia Græc. Epigram: ex Pindari Pythion. 1. Et vt Plautus Captiuis, Sc. Quo illum, *Est miserorum vt maleuolentes sint, atq; inuideant bonis.*

105. *postquam sua iura recognita fisco per cunctas comperit vrbes*) Hinc illæ lacrymæ. Nam dolebat Papæ, quod regina auium suas plumas, quas cornicula sibi aptarat, repetitum venisset.

190. *Tunc quicquid atrocius actum*) More hominum fecit Adrianus, qui animo semel exulcerato omnia ex omnibus quod dicitur, angulis conquirunt, quib. vnquam se ab aduersario læsos meminisse possunt. Et hoc tum fecit (inquiunt) & hoc tunc, & illud aliàs. Ita fit quod Symmachus ait lib. 3. ep. 6. *Ictus nouissimus etiam veteres plagas dolore rescindit.* (Legitur ibi vulg. Luctus. Sed assentior Schoppio meo, ex V. C. reponenti, Ictus.) Rectè factorum vel obliuiscuntur homines, vel certè nullam prorsus rationem habent, vt illa cum erratis, quibus fortè læsi sunt, compensent. Adeò apud eos plumâ leuior est gratia, iniuria plumbo grauior. 6.

112. *ceu quædam pabula flammæ*) Sic fomenta litis dixit querelas sup. lib. 7. v. 187. Porrò imitationem Horatij rectè hic obseruauit Spieg. Sic pabula animi dixit Cicero & Ammian Marcel. 7.

120. *Er-*

8. *120. Ergo noua*) Nota querelas Papæ de Imperatore, patris ſcilicet de filio, iniuſto, ſæuo, ſuperbo, ingrato, qualem quidem ipſe videri vult : qualis autem reuera fuit, iuſtitiæ & pietatis, lenitatis atque clementiæ, modeſtiæ & gratitudinis, ſi quiſquam alius, ſtudioſiſſimo & obſeruantiſſimo ; cæterùm maieſtatis Imperatoriæ retinentiore, quàm eius Patri placebat aut commodum erat.

128. Vicem maledictis reddere gaudens) ἀντιλοιδορῆσαι, quod tamen prohibet S. Petrus, ac potiùs Saluatoris noſtri exemplum nos ſequi iubet, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει. παραδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως. Sed quem tanta indignitas non commoueat, vt aliquid humani patiatur? ἀμφοτέρων δὲ καὶ σοφῶς σοφώτερος. Rectè exclamat de contumelijs Demoſthenes: πῦτα κινεῖ, πῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους ἀνδρῶν ἀηδεῖς ὄντας τὸ σῶμα λακίζεσθαι: qui locus ex Orat. in Midiam citatur inl. 16. aut facta. §. qualitate. ff. de pœnis.

134. Nec fuit ambiguum, multis) Sic diſtinxit : Iungendum enim, multis ſcriptis.

135. Pontificis ſummi) Nota, Papam ſuis ſcriptis ab obedientia Imperatoris alienare eius ſubditos, & contumaciam rebellium augere.

137. abrupiſſe ſacras leges) Exemplo Virg. apud quem eſt: Fas omne abrumpere. *Signifer hic; prudens at Cancellarius ille*) Sic legend. & diſtinguend. puto.

142. cœpit q; furens concurrere vulgus) τὸ vulgus poteſt hîc vel maſculino vel neutro genere accipi : & maſculino quidem ἀξιοπίστως. Nota hîc furorem vulgi Mediolanenſis in Legatum Cæſareum, eundemq; Epiſcopum. Sed quî parcerent Legato Imperatoris, à cuius vxore Auguſta Beatrice non abſtinuerunt contumeliã? Quàm fœda enim ſunt, quæ ſcribit Crantius lib. 6. Saxoniæ c. 36. in illam à plebe Mediolanenſi perpetrata eſſe? Sed iuſtiſſima talionis lege iniuriam eam Imp. vltus eſt, dum Mediolanenſes, quotquot capitis ſupplicium effugere vellent, coëgit ore ficum de natura mulæ extrahere. Vnde ortum dicterium tam apud Germanos, quàm apud Italos in hodiernum diem durat, quo contumeliam ſignificaturi dicimus: *Ficum alicui oſtendere.*

147. ma-

147. *magni legatum Cæsaris*) Reinaldum, qui ex Cancellario Frider. Imperat. Archiepiscopus Colonienſis factus est. Legatorum autem violatio cùm sit contra ius gentium, quo iure illi sancti sunt, quantis sæpè bellis causſam dederit, historiæ loquuntur. Redundat enim iniuria legato facta in ipsum, qui eum legauit, qui proinde eam meritò vltum it. Certè legatus sanctum populis per secula nomen rectè dicitur à Statio Papinio 2. Thebaid. Magnumque in se facinus admittunt, qui retinent, & in vincula conijciunt Legatos: quod nomen apud omnes nationes sanctum inuiolatumque semper fuit: vt scribit Iulius Cæsar 3. De bello Gallico. Et hunc τὸν κοινὸν νόμον vocat Iohan. Chrysostomus homil. 24. ad Ephes. κἂν τὸν κοινὸν νόμον ἠδίκησεν, ὅτι ὁ πρεσβεύων κἂν ὁτιοῦν πάσχει τι κακόν. Ratio in promptu est, quia legatorum & litterarum missione inter hostes sublatâ, omne commercium humanitatis sublatum est, omnis via ad pacis condiciones concipiendas intercluſa atque interciſa est. Hæc ideò paulò pleniùs attigi, quòd istud bellum, quo nunc tertium annum colliditur Imperium Germanicum & Turcicum occasione violati Oratoris Cæsarei Crequitij à Turco, cœptum est. 9.

163. *Stapulensis morte VVibaldi*) Augustan. edit. Stabulensis morte Gribaldi. Sed pro v ibi r positum, errore vulgari.

164. *lux vltima*) Sic rectè Perna. Vulgò Dux. Pflugius diuinabat, crux vlt. id est, mors, vltimum malorum.

174. *certabant poscere*) id est, certatim poscebant.

175. *Hos inter Reges*) Causſa odij inter Regem Galliarum Ludouicum VII. & Angliæ Henricum Andegauensem fuit, quòd Leonora illo repudiato huic nupsisset.

191. *denuntiat hostes*) alibi, deputat. Cicero, hostem, appellare vel declarare dixit.

196. *melliſluo Fridericus protulit ore*) tanquam scil. Nestor quidam, cuius ab ore dulcior melle fluebat oratio. τῷ καὶ ἀπὸ στόματος μείλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, vt est apud Hom. Sic mel quasi muscum dixit Lucret. Lucanus Panegyrico ad Pison. Inclita Nestorei cedit tibi gratia mellis. Silius Italic. lib. 15.

Ille

Ille foro auditus cum dulcia solueret ora
Æquabat Pylia Neleïa mella senecta.

Sic enim ibi lego cum Modio, vbi vulgò: *Neleïa verba:*

97. *cogere vires)* i. in vnum colligere, vt cogere Senatum, pecus &c. Latini dicunt. Notanda est πλοκὴ elegans. mox enim sequitur, alio significatu cogit, pro subigit, necessitate adigit.

201. *si dubitabilis esset, grata fides)* Pflug. *certa fides.* Vt sit antitheton. Si (inquit) dubia esset vestra fides, quæ iam certa atq; explorata mihi constat.

207. *Totus)* Ita reposui, vbi vulg. legeb. *Tutus.*

213. *feritas recidiua)* Sic recidiuam iniuriam dixit Symmachus. Nimirum sicut febris recidiua grauior & periculosior est prima ac simplici: ita & perfidia sæpius iterata. Eleganter Philo Iudæus: *αἱ ὑστεροπαίζουσαι νόσοι τῶν*
10. *πρώτων ἰσχυρότεραι.* Et Saluatoris nostri admonitio eodem pertinet, ad eum quem sanarat: Ecce sanatus es: vide, ne quid tibi deterius contingat relapso. De relabentibus in priores sordes nota sunt prouerbia sacrarum literarum: Sus ad volutabrum: Canis ad vomitum: grauissimus etiam est locus Apostoli epist. ad Hebræos c. 6. &c.

216. *totq; Vades)* ccc. obsides: vt supra lib. 8. v. 200.

219. *quæ stare recusat)* fort. quia stare rec.

CAPVT II.

1. Frustra esse. Frustra habere. 2. Satis, extenuandi particula 3. Triplex virtutis gradus. 4. Ius strictum opponitur arbitrio sapientum, seu æquo & bono. 5. Laudare, pro arbitrari. 6. Papa nullo iudice fungitur 7. In actum proferre. 8. Testudo militaris. 9. De strenuè pugnantibus imitatio Plauti, Sallustij, Flori, Q. Curtij & Iustini. 10. Arborum excoriatio. 11. Præmia & pœnæ rerum publicarum nerui. 12. Ex facili. In difficili. In procliui. 13. Insidiæ Friderico Imp. aliquoties frustra structæ. 14. Val. Max. semel; Guntherus sæpius emaculatus.

345. *Nec fuit hoc frustra)* Frustra esse, vel non esse frustra, elegans formula, Plauto, Sallustio & Corn. Celso vsitata, ad significandum conatum irritum, vel voti compotem. Græcis est ἁμαρτάνειν τινὸς, vel ἀποτυχεῖν. Plautus Bachid. Sc. Constringe, Frustra es. Sallust. Iugurth. Adnitendum

tendum est, vt neq; vos capiamini, & illi frustra sint. Et rursus : Cuius neq; consilium neq; inceptum vllum frustra erat. Celsus lib. 3. Curatio minus ijs prodest, in quibus assiduè frustrà fuit. Sic Plautus & Tacitus, Frustra aliquem habere, dixerunt. Parùm autem hic interesse puto, HOC, an auferendi casu accipias, pro, in hoc, vt volebat Schoppius: an recto, vt ego.

265. Christus victor ab inferna captiuos sede reduxit) Qui Christi descensione liberationem hominum apud inferos factam non credunt, inter Hæreticos ab Isidoro referuntur 8. Etymolog. c. 5. A Rufino tamen in Expositione Symboli Apostolici articulus de Descensu ad inferos omittitur: vt etiam in Symb. Nicæno.

266. Hanc) Ita restitui: vulgò, *Hunc*. quod quomodo conuenit cum eo, quod præcessit : Veneranda dies, qua?

267. Bononia Iuris studiosa) Hinc Bononia mater studiorum dicta : quæ Epigraphe etiam in nummis ibi cusis visitur. hanc mox famosam vrbem vocat.

273. fixisse pedem) Fortasse ex l. 12. tab. hoc dixit : Si caluitur, pedemúe struit. Festus : Pedem struit, in duodecim significat, fugit, vt ait Seruius Sulpicius. Sic Glossar. Latinogr. Pedem struit, φίυγει.

274. præcipitanter) Nota, nihil præcipitanter agendum: Quia πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν: id est, Multis malorum est causa præcipitantia.

278. direptio rerum) Notanda hic est triplex pœna læsæ maiestatis.

280. Intererant) Sic rectè reposueram : & postea vidi hoc approbari ab Aug. ed. Vulgò, *Intereant*: quod miror etiam Pernam siue Pith. retinere.

289. conniuente) pro adsentiente, adnuente,

291. Non licet & fisco) Ita lego cum Pith. Vulg. & Aug. ed. *non liceat fisco.*

297. Non licet & cuiquam) Sic rectè Pern. Vulg. & Aug. ed. non licet.

308. Canone) vt secundam syll. in Ecclesia corripit, ita hic Canonem primâ longâ ponit, contra rationem Græcæ linguæ. Sed imitatur hac in re Prudentium & alios sacros Poëtas eius æui, apud quos talia plurima occurrunt.

Hosted by Google

2. 309. *satis argutis rationibus*) Sic suprà lib. 6. ver. 143. verba satis ampullosa, & vers. 305. Et satis implacidè dimissos. Et libr. 8. vers. 364. satis indignanter abegit. Aliâs verò τὸ Satis extenuare ac minuere solet vim nominis, cui additur: vt Cicero 7. ad Attic. epistol. 7. Neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare, &c. id est, mediocriter bonorum. Idem in Isdem epistolis sat bonos dixit, eodem significatu. Et in Caton. M. sic intelligendum, quod in eius apophthegmate est, Satis
3. tis benè pascere. Sic vtitur Lactantius, optimus Ciceronis imitator, libr. 6. cap. 13. Primus est virtutis gradus, » malis operibus abstinere: secundus etiam malis verbis: » tertius etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum ascendit, satis iustus est: qui secundum » iam perfectæ virtutis: qui tertium, is verè similitudinem DEI assecutus videtur. Nota hîc contentionem & altercationem inter Imper. & Legatos Pontificios.

4. 315. *Deniq; vel stricto*) Eleganter atq; ex arte Iuris inter se opponit Ius strictum seu rigorem legum, & arbitrium Sapientum seu bonorum virorum, quod vulgò laudamentum vocant ex libris Feudalibus. Et noster Gunth.
5. aliâs laudare pro arbitrari vsurpauit suprà lib. 8. vers. 611. cùm aliâs laudare Latinis sit nominare, appellare: vt annotauit Macrobius Saturnal. lib. 6. cap. 7. Sic Seneca inter se opponit, sub formula iudicare, & ex æquo & bono iudicare. lib. 2. De clement. c... Sic aliâs idem opponit inter se Iudicem & Arbitrum: vt lib. 3. de benef. c. 7. de quorum omnium inter se differentia alibi latius. Illæ quoque sunt formulæ à ICtis sumptæ: Satisfacere, Satis offerre, satis cauere, satis præstare, satis accipere, satis suscipere. Ad quas & Plautus alludit.

6. 321. *Papam qui iudice nullo fungitur in terris*) Nota, quod Papa sit ἀνεγκλότος & καὶ ἀνυπεύθυνος: scilicet quia Spiritualis iudicat omnia; ipse à nemine iudicatur. Sed benè, quod additur, In terris. In cœlis igitur sedebit etiam in ipsum Iudex, is, cuius ad obseptum diuino horrore tribunal omnes quotquot nati sunt homines, sisti oportet, vt vnusquisque præmia reportet eorum quæ in corpore seu bona siue mala egit. 2. Corinth. 5. v. 10. Sed neq; illa

hîc

Hosted by Google

hîc negligenda videtur Canoniſtarum diſtinctio, qui cum abſurdum exiſtimarent, Deum (hoc enim nomen Papæ tribuere non dubitarunt) hominum animaduerſioni eſſe obnoxium & iniuſtum tamen putarent, cuiquam maxima ſcelera & fœdiſſ. flagita impunita eſſe: rationem excogitarunt, qua & ſcelera plecterentur, & Papa tamen ſacroſanctus & inuiolatus haberetur. Aliud igitur Papæ, aliud eius hominis qui Papa eſſet, ius exiſtimabant: & cum Papam, quem vt Deum, errare poſſe negant, legum cognitioni & animaduerſioni eximant, cum tamen hominem qui Papa eſt, vitijs & vitiorum pœnis obnoxium eſſe fatentur. Vide Georg. Buchanan. Dialog. De iure regni apud Scotos.

325. *timore*) Aug. ed. tenore. non rectè.

329. *Sed nec in hoc*) Papa recuſat ſtare iuri aut æquo & bono. Et quid ni? cum ipſe iura omnia inſcrinio pectoris ſui cenſeatur habere: ſi Bonifacio 8. in propria cauſſa atteſtanti credimus, c. 1. De conſtitution. lib. 6.

332. *tacita molimina fraudis in actum ſauitiæ proferre*) 7.
In actum proferre Latinum non eſt. Nam quod quidam apud Cic. pro domo reperiri putauerunt, fruſtra illos fuiſſe Muretus rectè demonſtrauit. Poſteriores tamen eo vtuntur. Cicero facti, actionis, rei verbis vti ſolet, ſed non in eodem loco tamen.

336. *raptim fabricata*) aliâs vno verbo dicit, Properata. In verbis, ſecreto dolo, reſpicitur ad ſententiam Plautinam: Doli non ſunt doli, niſi aſtu colas.

342. *magnos*) fort. legend. magnis ſcil. lapidibus. An potiùs pro muros legend. muris? vt video facere Lipſium lib. 3. Poliorcet. Dialog. 3. extremo, vbi hunc locum laudat. Ita hoc diceret: Funda quidem minores lapides rotat: Balearica verò magnos lapides incutit muris.

344. *Clypeis denſa teſtudine iunctis*) Teſtudinis mi- 8.
litaris crebra apud hiſtoricos mentio eſt. Sic Salluſt. Iugurth. Et ipſe extra vineas egreſſus teſtudine acta ſuccedere. Sic Tacitus 3. hiſtor. Tum elatis ſuper capita ſcutis denſa teſtudine ſuccedunt. Plura auctorum loca annotaui olim ad Oppianum meum.

349. *Hoc magis vrgentes, quod*) malim, quò. vt ſibi reſpondeant Hoc magis, quò magis. Sic Græci, τοσούτῳ μᾶλλον.

μᾶλλον, ὅσον. Sæpè autem quo deprauatum fuisse in quod, alij ante nos docti viri obseruarunt.

357. *Iamq; fatigatis toto iam corpore*) Offendit me ista parum apta geminatio, *iamq; iam*. Pflug. malebat: *Namq;*. Qui & in vers. seq. pro reuocare manum, diuinabat, animum.

9. 359. *aut mutare locum, primo quem quisq; tuendum ceperat*) Sic de Catilinarijs coniuratis Sallust. Nam ferè quem quisq; pugnando viuus locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Quem fermè totidem verbis exscripsit L. Annæus, qui vulgò Florus lib. 4. c. 1. Quem quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Vtriq; Plautus præiuit his verbis in Amphitr. Scen. 1.

Sed in fugam nemo tamen conuortitur:
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittunt priùs, quàm loco demigrent:
Quisq; vt steterat iacet, obtinentq; ordinem.

Similia sunt apud Q. Curtium & Iustinum.

367. *Hic tamen*) Perna, Hic. malim, Hoc. Vt iungantur, Hoc discrimine habito.

371. *sanguinis index Lingua*) Hinc illud quasi tritum sermone prouerbium: Galilæus es: loquela tua te prodit. In verbo, *venustabat*, auctor vernaculam suam linguam extollere videtur ob venustatem: vt quæq; natio suam putat esse venustissimam; aliàs, præsertim sibi ignotas, pro barbaris habet.

378. *ceciderunt tradita flamma*) Pflug. diuinabat, *cesserunt*.

381. *continuit gemitum, pressitq; in corde dolorem*) Imitatio Virgilij: *Premit altum corde dolorem*. Qui nescit dissimulare, nescit imperare.

392. *ficus*) Aug. ed. *fines*.

10. 393. *arboreos detracto cortice truncos Excoriat*) Hoc vno verbo est delibrare, vt quidam leguntapud Paulum in l. 5. cædere. ff. Arb. furt. cæs. Alij tamen ita: Cingere est deglabrare. Budæus etiam deglubere legi posse ait. Nonius quoq; pag. 30. b. delibratum decorticatum exponit. Videtur autem hic violatum legis diuinæ præceptum Deuter. 20. de non succidendis arboribus pomiferis in obsidione vrbis.

398. *vel*

Hosted by Google

398. *vel deditione ſupremi*) Quid ſibi vult, *ſupremi?* videtur nomen pro aduerbio poſitum, nempe pro tandem, vel poſtremò cogantur tradere. &c. Sic ego. At Adolphus Boëthius meus legend. putabat, *ſupremâ*, pro extrema.

399. *ſumptu breuiore*) id eſt, ſumptione parciore. De hoc vſu τῆς Breuis. vid. ſup. lib. 1. ad v. 133.

401. *portas*) Aug. ed. *partes.*

404. *audenti pœnam, prodenti præmia fixit*) His enim duabus rebus Præmijs & pœnis, Reſpub. tanquam neruis continetur, vt aiebat Solon. Et Lycurgus in Leocratem: δύο γάρ ἐστι τὰ παιδεύοντα τὰς πόλεις, ἥ τε τῶν ἀδικούντων τιμωρία, καὶ ἡ τοῖς ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς διδομένη δωρεά. πρὸς ἑκάτερον γὰρ τούτων βλέποντες, τὴν μὲν διὰ τὸ φόβον φεύγουσι, τῆς δὲ διὰ τὴν δόξαν ἐπιθυμοῦσι. Quibus conuenienter Plutarchus: Sunt hæc duo (inquit) quaſi elementa quædam virtutum: Præmia & pœnæ. Nam & præmij ſpes ad optima quæq; ſtudia promptiores, & pœnæ metus ad actiones prauas tardiores efficit. Sic Vlpianus Iuris ſacerdotes ait bonos efficere cupere non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum exhortatione. l. 1. ff. de iuſt. & iur. 11.

408. *Egregia fraude fefellit*) vt ſuprà pulcrum dolum pro ſtrategemate dixit, ita hîc egregiam fraudem vſurpat.

415. *momenta*) Auguſtan. edit. *monimenta.* quod rectè poſtea emendatum eſt. Nam & aliâs hæc permutârunt librarij.

421. *Guarnerius*) Aug. ed. Grauerius.

434. *cunctis mutilauerat vndiq; membris Infidum caput*) Eleganter metropolim capiti, minora oppida & caſtella membris comparat.

439. *opulenta in rura Cremonæ*) Sic repoſui, pro opulenta. Nota hîc Brixienſes victos, fugatos, cæſos, captos: qui exemplum præbent eius, quod dicitur: τῷ ἀμυνομένῳ ἄμεινον.

440. *Brixia*) Aug. ed. Briſſia.

445. *ferrum ſanguine paſcunt*) Sic ſup. v. 370. ferrum gentili ſanguine pauit. γλυκὺ σχῆμα: quaſi ferrum animatum eſſet ac nutriretur.

459. *moliminа redderе regi*) Pflug. *tendere.*

461. *Cuiq; erat ex facili*) Esse alicui ex facili, pro fa-
12. cile & in promptu esse. πρόχειρον εἶναι, ἢ ἐξ ὑπογύιυ: Quòd Plautus sæpè solet dicere, In mundo esse. Vid. Nonium. Vlpian. l. 4. ff. De eo quod certo loco: pecunia ex facili soluenda. Tacitus (seu quis alius est scriptor vitæ Iul. Agricolæ) sententiosè inquit: Nihil profici patientia, nisi vt grauiora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Eâdem loquendi formulâ & Seneca & Plinius vtuntur. Ille epist. 122. sic ait: Artifex instrumenta sua tractat ex facili. Iste lib. 22. c. 15. & lib. 30. c. 3. Eorundem cinis (loquitur de vermibus terrenis) exesis dentibus iniectus ex facili eos cadere cogit. Valerius Maximus, libr. 8. cap. 7. Democriti diuitiæ tantæ fuerunt, vt Pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit. Vulgò ibi, facilè. Cuius autem quæso diuitiæ tantæ, tanto vt exercitui, qui decies centenis millibus militum constitisse fertur, epu-
14. lum dare potuerit? Quare deleta voce, exercitui, lege vet. lib. iubente: Xerxi epulum dare. Sic de falso, pro falso Tertullian. cap. 2. Apologet. Sic in facili esse vsurpat Tryphon. in l. 8. ff. de confir. tut. Huic contraria est altera, qua dicimus, esse in difficili, pro difficile esse. Vt Liuius lib. 3. hoc præclaro epiphonemate: Adeò moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisq; extollit, vt deprimat alium, in difficili est. Sic & Scæuola loquitur in l. 29. Gallus ff. de liber. & postum. Ille (inquit) casus in difficili est. Idem autem cum priore valet, In procliui esse Sallust. Iugurth. Cuius si dolum caueris omnia in procli-
13. ui erunt. Nota hîc insidias capiti & vitæ Friderici per simulationem insaniæ structas à quodam Mediolanensium emissario. Sic & per alium tentatus est, monachi schemam indutum inf. vers. 525. & veneno per quendam Arabem appetitus inf. vers. 527. h. lib. Sed Imperator diuina prouidentia protectus omnes hosce insidiatores euasit atq; elusit. Porrò cum hac simulatione vesaniæ, (quæ graphicè ad modum à Gunth, describitur) conferri potest Plautus in Menæchmis.

Ibid. fauorem) Nemo non videt hîc furorem esse reponendum.

482. *prudens hominis simulator inepti*) Qualis in vet. historia Rom. est Brutus, regum expulsor, libertatis as-

sertor,

Hosted by Google

sertor, & vindex tyrannidis: qui, vt eleganter in Bruto ait Cicero, summam prudentiam simulatione stultitiæ texit.

485. *Illusuq; diu*) Fort. respexit ad illud in 2. Æneid. *certantiq; illudere capto.* Tandem tamen vbi Regis Priami aliorumq; sibi animos conciliasset, non iam amplius illusus fuit, Sinon à Troianis, sed clementer habitus, & ex commiseratione vita libertateque donatus, atque in vrbem cum equo Durateo seu ligneo militibus grauido receptus.

CAPVT III.

1. Sini, pro sivi antiquè. 2. Chori, responsoria, & antiphonæ in veteri Ecclesia, à quo & quando & quare instituta. 3. Imitatio Virgilij. 4. Præmia etiam in malam partem. 5. Incendiariorum supplicium. 6. Cucullatis fratrib. non temerè credendum. 7. Toxica multis intentata magnatibus. 8 Impunitas facinoroso promissa an seruanda sit. Guntherus sapè correctus.

488. *desinit*) fort. leg. *desiit.* Videtur enim hic locus præteritum postulare. Quamquam etiam præteritum huius verbi, quod nobis est Siui, veteres Sini formarunt: vt eruditè obseruauit Ian. Guilielmius, ac reposuit apud Terentium duob. locis, vt Andria Sc. Non dubium, & Adelphis Sc. Hem opportunè. 1.

492. *Nam cum more suo*) Nota exemplum pietatis singularis in Principe, qualis & in Carolo Magno fuisse memoratur. Surgit Imp. Frid. solus & vacat orationi, ministris suis adhuc stertentibus. Non illum aliquod expergefacit somnium, vt Agamemnonem Homericum, cui per quietem hæc insonat admonitio:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Sed Pietas, sed religio aduersus Deum hunc nostrum Agamemnonem excitat. Norat enim, ab hoc petendam esse omnem gubernationis felicitatem, ab hoc successus salutares orandos. Norat illud quod apud Homerum liberis suis præcipit sapientiss. Nestor: εὔχεσθαι, πάντες δὲ θεῶν κατὰ μοῖρ' ἄνθρωποι. Quem optimum Homeri versum dicere solebat

lebat Phil. Melanth. Agnoscas igitur hîc alterum Dauidem, qui diluculo ipsam auroram præueniens hymnum in Dei laudes decantat, omniumq; rerum gerendarum primordia inde capit. Adeo ipsi est

εἰς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Quid quod & Plinius lib. 10. Epist. de Christianis testatur, solitos esse stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo secum inuicem dicere. &c. Porrò quæ Spiegellius ad hunc locum annotat de VII. horis Canonicis, à quo & qua fini sint institutæ: jis & hæc obseruatio non incommodè adijcietur: Choros seu cœtus canentium in Ecclesiis in binas partes sese inuicem respicientes, primùm diuisos esse sub Constantio Constantini Magni filio, & Flauiano Episcopo Antiocheno: vt inquam sic alternis Psalmos Dauidis accinerent: Quod institutum Antiochiæ primò cœptum (vbi & Christianorum nomen primò natum constat ex Actis Apost.) mox in omnes totius orbis fines diminauit: teste Suida in voce χοροὶ. Eodem æuo etiam natus videtur mos & institutum illud Ecclesiasticum ἀντιφώνων & Responsoriorum, quæ vocantur, quæ & Latina Ecclesia recepit. Credo sanctos illos Ecclesiæ Antistites in illo more constituendo hoc spectasse, vt vitæ illius cœlestis (in qua homines erimus πλάσμα ἀνθρώπων ἀγγέλων, vt Nazianzeni verbis vtar) vmbra & gustus aliquis velut in anteceſſum etiam in his terris præberetur ac præciperetur. Nec video quid impediat, quin & hodie sine superstitione hoc pietatis incentiuum retineri & obseruari possit: nisi fortè omnia piæ & religiosæ vetustatis instituta conuellendo atq; abolendo laudem nos singularis sapientiæ consecuturos speramus. Sed hæc iam extra Notarum modum euagari incipiunt.

2.

495. pingues efflantib. auras) Diuinabam hîc pigras legi posse. nihil tamen facilè mutarim. Auram pro spiritu vel anhelitu etiam alibi Gunth. vsurpauit, vt exspirare auram, suprà vers. 99.

3. *499. Pronus in alterutrum vel sese subdere morti, vel patrare nefas*) Manifesta imitatio Virgilij Aeneid. 2. In vtrumq; paratus, Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

4. *513. Pramia fraudis*) ἄποινα δόλου. ἐπιτίμια τίχης. Nota, præ-

ta, præmij verbum esse τῶν μίσων, & de pœnis quoq; vsurpari. Exempla sunt etiam apud Plautum. Sic Sallust. hist. 1. *Nam vbi malos præmia sequũtur, haud facilè quisquam gratuitò bonus est.* Idem alibi fragmentorum: Neq; bonum neq; malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi à diuino numine; sed ex naturâ diuersa præmia bonos malosq; sequi.

514. *Non tamen*) Nota, Mediolanenses condicunt incendiarios, qui Laudam exurant, quòd ea Friderici partes sequeretur.

519. *In ipso deprensus criminis actu*) ἐπαυτοφώρῳ ἐαλωκὼς vel κεκαλημμένος.

520. *Quas decuit pœnas ligno persoluit adactus*) id est, patibulo affixus, inquit Spiegel. Cui Adolph. Boëthius meus, is quem & sup. laudaui, non putat assentiendum, ac potius lignum accipit de palo erecto & in terram depacto cui incendiarij vel superimponuntur vel alligantur, cum aut fumigatione extinguuntur, aut lento igni circumfuso torrentur aut cremantur. Hoc primùm. Deinde pro, adactus, idem mauult adustus. De primo, vt ei facilè assentior contra Spiegellium (suspendium enim nimis leuis pœna est, quàm pro incendiarijs, de quib. vide Constit. criminal. Caroli V. cap. 125.) ita alterum vix est, vt admittam, ac potiùs retineo adactus, id est, alligatus vel affixus clauis, vel catenis reuinctus. Possumus etiam palum per corpus adactum intelligere, quod Germanis est Spiessen. Genus supplicij hodieq; apud nonnullas gentes vsitatum. 5.

524. *Innocuæ speciem prætendere mentis*) Quis enim aliquid mali metuat à religioso viro? Sed experientia non modò veterum seculorum, sed etiam nostræ ætatis docuit, sub cucullaquoq; ista animum sæpè nefarium, proditorium & parricidalem latere, vt sub ouilla pelle lupum. Itaq; rectè hoc fecit Æneas Syluius: 6.

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, &c.

527. *Nec reticere libet*) Similia toxica sæpè & vetere memoria & nostra intentata sunt magnatibus. Vsq; adeò semper eadem fabula agitur inter homines, personis tantùm mutatis, nihilque sub sole nouum inuenitur. Est autem præ cæteris maximè memorabile illud facinus veneficij 7.

ficij in Henrico VII. Imperatore, qui à quodam Prædicatoriæ familiæ Monacho clanculum immisso veneno in ipsum Eucharistiæ calicem interemptus est: vt plurium testimonijs historicorum probat Hotomanus Commentar. lib. 2, Feud. tit. Quomodo in læsæ maiest. crim. proced. Cæterùm pro, *quid*, legerim hic vel, *quod*: vel *quia*. Scio hoc parum Latinum esse: Sed tamen ita & Calpurnius vtitur in Ecloga 4. Scimus enim, quia te non aspernatur Apollo. Græcismus est, quo exprimitur ὅτι.

531. *Longi dispendia passum temporis*) Quia, vt Horatius ait:

Singula de nobis anni prædantur euntes.

Et vt Seneca Hippolyto.

Nullaq; non dies formosi spolium corporis abstulit.

532. *Fraudatum luminis vsu*) Ita restitui. Vulgò, *vsum*.

534. *sequaces*) Complices, assectlæ. Sic dicimus vulgò, Accursij, Bartoli sequaces, &c. Veteres vsitatius pro adiectiuo: vt, curæ sequaces apud Lucretium: Vnde sequaces. Alibi Gunther. Iudicem veri sequacem dixit.

536. *gentilis Arabs*) Vsitatius est, gente Arabs.

549. *promissâ vera loquenti Supplicij veniâ*) An facinoroso tali promissæ impunitatis fides seruanda sit, Iuris nostri interpretes disputant. Vide Couarruuiam lib. 1. var. resol. cap. 2. & Iacobum Menochium De arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 4. casu 367.

554. *Carmine*) id est, incantatione & susurris magicis, quas Græci ἐπῳδὰς vel ἐπαοιδὰς vocant. Sic Poëta

Carmina vel cœlo possunt deducere
lunam.

NOTARVM LIBRI NONI FINIS.

NO-

Hosted by Google

NOTARVM AD GVNTHERI LIGVRINVM LIBER DECIMVS.

CAPVT I.

1. Maritum fœdus, &c. 2. Dissensio à P. Pithœo. 3. Episcopi olim ab Impp. constituti. 4. Rudere non soli asini dicuntur. 5. Paparum contentiones pro sede Apostolica perantiquas esse. 6. Desperatos nihil metuere, cum ijsq; non dimicandum. 7. Oculos conspectu rei atrocis impiari. 8. Drepanij Panegyricus leuiter emendatus. 9. Timor mortis ipsa morte grauior. 10. Inimicus tectus deterior aperto. Guntherus emaculatus.

v. 4. *Ariti fœderis*) Eleganter, exemplo Ouidij, qui ita loquitur. 3. De Ponto Eleg. 15. Sic maritam fidem dixit Propert: lib. 4. eleg. 3. 1.

Hæcné marita fides & pacta sunt mihi noctes?

Idem alibi sacra marita. Sic faces maritas idem Ouid. epist. Canaces ad Machareum:

Tolle procul decepte faces Hymenæe maritas.

Sic & arbores maritas dixêre Plinius & Columella, & hic maritum oliuetum: Catullus vlmum: Liuius domos maritas. Plautus Epidico etiam pecuniam maritam.

8. *Saxon ille puer*) id est, Henricus Leo. Pueros sæpè obseruare licet apud Gunth. dici etiam adultos & viros: vt suprà notaui...

9. *Saxonas*) fort. leg. *Saxonis*: vt iungatur, terræ. an potius *Saxonica?* scilicet signa. ἀπὸ κοινοῦ.

10. *gerens*) Aug. ed. regens. Quod non reijcio, vt qui sciam, quoties syllabæ dictionum quarundam à librarijs transpositæ sint. Sic in frag. Sallust. alicubi positum reperias satis, pro sitas.

13. *famosus auunculus*) Sic Pern. cum Aug. & vulg. ed. habeant famosus omnibus. Priusquam Pernæ editionem mecum communicassent v. Cl. D. Ioach. Cam. & Schoppius meus, diuinabam, famosior omnibus. vt constaret versus ratio: & iungebam, omnibus Cæsaris, id est, omnibus qui ad Cæsarem attinebant: vel qui in eius comitatu erant. Pflugius autem diuinabat, famosi nominis ille.

29. *sub*

Hosted by Google

19. *ſub eadem*) Sic Pern. rectè. Sub eadem ſcil. Cremona. Vulgò, ſub eodem. Nota hîc defectionem Cremenſium à Cremonenſibus ad Mediolanenſes.

2. 29. *alijs*) Vulg. alius, nullo ſenſu. Diuinabam &, *alij:* ſcil. parti. Quod autem doctiſſimus Pithœus. pro *confœderat*, legend. putat, *conſederat*, id quale ſit, non aſſequor. ac potiùs retineo vulg. lect. cuius hic eſt ſenſus: cum alijs ſuorum militum coniungit ſocia Cremonenſium arma.

36. *Vuarnerus*) Aug. ed. Garnerus.

39. *rapiendis congrua muris*) id eſt, diripiendis. Significat autem πολιορκητικὰ. ἑλεπόλεις: de quibus exſpectamus promiſſum I. Lipſij librum.

43. *Exfabricant*) Elaborant, fabricant. Compoſitum verbum pro ſimplici.

56. *hoc*) Ita correctum in Aug. ed. cùm impreſſum fuiſſet, hic. Fortaſſe verum eſt, hos. an hæc? ſcil. mandata, quod verb. præceſſit.

57. *cladiſq; memor*) de hac clade fuit ſuprà lib. 4. primore.

3. 69. *munere Regis præſul futurus*) Nota ex hoc loco, Friderici temporibus Epiſcopos ab Imper. conſtitui ſolere: qui & Iurisdictionem in eos habebat: vt ſup. lib. 5. v. 192. vidimus. Idem obſeruauit, eruditiſſ. Cuiacius.

78. *cuncta metu*) Pflug. manu.

82. *molitur ſuperare dolo*) id eſt, ſtratagemate, qui eſt dolus bonus. Nam vt ait Virg. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? vid. ſup. lib. 9. 408.

84. *patenter*) palàm. Cui opponitur, quod mox ſequitur, latenter: ne quis fortè mutandam putet lectionem in, potenter. Notand. hîc ſtratagema Imp. Friderici in Mediolanenſes.

4. 95. *rudentes*) quamuis Rudere de aſinis propriè dicatur (vt Perſ. Satyr. 3.

Findor, vt Arcadiæ pecuaria rudere credas:

Et apud Ouid. plus vice ſimplici) tamen abuſiuè etiam de Leonibus, alijſque animantibus, immò & de hominibus vſurpatur. Virg. Æn. 8.

Incluſumq; cauo ſaxo atq; inſueta rudentem.

ſcil. Cæcum. Gunth. hîc de ceruis vtitur. Nota obiter ambiguam verbi primam ſyllabam.

103. *ſub-*

103. *submersitq; vadis*) f. *vndis*, inquit Pflugius.

116. *Mansuramq; diu litem de sede reliquit*) μέχρι ἀγῶνα ἐπιτάφιον κατέλιπεν, vt olim Alexander suis successoribus. 5.

Contentiones autem illas de successione sedis Apostolicæ, quam vocant, obtinendæ perantiquas esse, ex Ammiani Marcellini historia discimus. Refert ille lib. 27. exemplum memorabile Damasi & Vrsinici, qui supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes (vtor ipsius Ammiani verbis) scissis studijs asperrimè conflictabantur, aduseq; mortis vulnerumq; discrimina adiumentis vtriusque progressis: In qua concertatione superauerat Damasus, parte quæ ei fauebat, instante: adeò vt in Basilica Sicinini, vbi ritus Christiani conuenticulum fuerit, vno die CXXXVII. reperta sint cadauera interfectorum: efferataq; diu plebs ægrè tandem potuerit deliniri. Ibidem homo Ethnicus grauissimum subiungit iudicium de Romanensium Episcoporum luxu, quem cum vilitate & modestia prouincialium Antistitum contendit. Adi & Iohannem Sarisberiensem, qui Imp. Friderico Barbarossæ σύγχρονος ita scribit eadem de re lib. 8. cap. 23. De nugis curialium. Sed esto, vt his liceat, qui carnales sunt, contendere de primatu: Viris Ecclesiasticis hoc vsq; quaq; arbitror esse illicitum. Carnalium tamen exemplo sub imagine religionis obrepit impietas, & iam non modò contenditur pro sacerdotio, sed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur inuiti, & proni ad martyrium, primas cathedras carcere peius & cruce fugiebant. Contrà iam palàm loquuntur sacerdotes, & prouerbium nullum dicunt: Nolumus, inquiunt, martyres esse; sed sedium nostrarum gloriam non dabimus alteri, &c. Lege totum illud caput; est enim inprimis graue & dignum consideratione. Satis sit eius clausulam vlt. hîc subijcere. Nonné, inquit, miseria dignissimus est, qui pro tanta pugnat miseria? Quid erit ei, quem nulla vocat electio, sed repugnante in membris Christo, ambitio cæca & cruenta non sine sanguine fraterno intrudit? Hoc quidem est Romulo succedere in parricidijs, non Petro in commissi dispensatione ouilis. Eodem cap. testem laudat Adrianum ipsum, cui se, vt Anglum Anglo familiarem fuisse ostendit: Romano Pontifice neminem mortalium miserabiliorem

Hosted by Google

liorem esse, conditione eius nullam miseriorem. Venit mihi hoc loco inter alia in mentem & ista Platonis sententia, alibi à me relata: Melius cum Republica actum iri, si eius munera potiùs refugientibus, quàm appetentibus atque ambientibus commendentur. Venit etiam in mentem eius, qui aiebat: Si quis sciret, quantum curarum ac miseriarum cumulum tegeret atq; complecteretur diadema, neminem fore, qui id humi repertum tollere sibiq; imponere vellet.

123. *optato tunc demum fine quieuit*) Sic Virg. *facto; ibi fine quieuit*. vid. & sup. lib. 9. v. 514.

132. *nec domino victum*) Pflugius non homini: quod mihi non placet.

139. *hortantem ad bella maniplos*) quod est Imperatoris officium: de quo vid. suprà.

141. *prauia*) id est, præsaga.

145. *subuenit*) id est, succurrit, in mentem venit. Nota hîc quoq; furorem populi in propriam ruentis perniciem.

Ibid. Maluntq; perire, quàm dono vixisse Ducis) Sic Cato Vticensis potito rerum Cæsare mori maluit, quàm à victoris pendere clementia, eiq; vitam referre acceptam.

154. *tela faces & saxa volant*) Manifesta imitatio Virgiliani illius hemistichij in 1. Aen. *Iamq; faces & saxa volant*.

Ibid. Niger aëra nimbus inficit) Hic ille est ferreus imber, de quo sup. ex Ennio & Virg. Sic inf. 340. *cauis pluit aura sagittis*.

158. *pares sibi velle videri*) vulg. *se velle vid.* Error indenatus, quod si pro sibi scripserint librarij: quòdq; alij porrò ex i, fecerint. c.

6. 162. *Audaces mors certa facit*) Sæpè ad hunc locum Gunth. alludit: vt lib. 9. 456. & lib. 1. 135. Illis autem quæ ad hanc sententiam Spiegel. adnotauit, ista licet addas: *Necessitudo etiam timidos fortes facit*: vt ait Sallust. Catilinâ. Seneca Medea: *Qui nil potest sperare, desperet nihil*. vid. & Muret. Var. lect. 12. c. 6. Ex hoc fonte illud est apud Cæsarem stratagema, lib. 1. Bell. Gall. quo militibus reditum intercludit: vt (inquit) domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent. Nam è contrario,

rio, vt Tacitus 3. Hiſtor. ſapienter ait, Quanto plus ſpei ad effugiendum, tantò minor animus ad reſiſtendum. Cui non eſt abſimile quod ait Attius Poëta vetus apud Non.

Sæpè ignauit fortem in ſpe expectatio.

Silius lib. 1. —— *Clauſa acuunt extrema pericli,*
Et fractis rebus violentior vltima virtus.

Id. lib. 6. *Et certare malis vrgentibus hoſte putabat*
Deuicto maius.

Quare vt deſperatis ægrotis Hippocrates medicinam adhibere vetat : ſic periti Impp. nunquam cum deſperatis hoſtibus confligendum ſuadent; ac potius fugienti hoſti aureum pontem ſubſternendum præcipiunt, quod Scipio dicebat. Exemplum inſigne eſt in Gandauenſib. à Ludouico Flandriæ Comite obſeſſis : de quibus vide Bernhard. Girard. lib. 17.

171. Caſtaq; crudeli ſceleraret lumina viſu) Putantur enim oculi atrocis alicuius facinoris conſpectu pollui & contaminari. Vnde & Ouid. exclamat: 7.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?

Eoq; reſpectu cum Impp. hæc protulerunt in l. 12. cum ſuprà. C. de re milit. Nullus omninò publicos oculos nudatos inceſtet. &c. tùm iſta ſcripſit Latinus Pacat. Drep. in Panegyrico, ad Theodoſium : Nec tu illum (Maximum tyrannum) qua es clementia, in conſpectum tuum venire voluiſſes, ne oculos iſtos omnib. ſalutares homo funebris impiaret, &c. vbi vt hoc obiter moneam, mox pro *noluiſſes*, legend. *voluiſſes*. hoc modo, teq; purgare eod. teſte 8. quo inſimulatore voluiſſes.

180. nuntius abſenti certiſſimus) Pflugius *mœſtiſs.*

192. Hunc quoq;) ſcil. Præſulis nepotem. Vulg. leg. *hos*. non rectè. Sequitur enim, Spondebat. niſi fortè reſcribendum, Spondebant. Ita enim retineri poſſet, *Hos* ſcil. Sex Ligurum legatos.

207. quater denos) ſcil. de illis C C C. quos Friderico à Mediolanenſibus datos eſſe obſides ſuprà dixit.

210. quiq; hæc) non intelligo, quorſum pertineat τὸ Hæc. Faſces verò vocat ſagittas. De excipiendi verbo vid. notata ſuprà.

224. Quid facis infelix?) Huic proſopopeiæ valdè patheticæ, qua ſermonem tribuit obſidi pendenti, ſimi-

lem

lem prorsus ὀδυρμὸν obseruaui 3. Cynegetic. Oppiani in historia sibi.

239. *cogit amor patriæ*) Manifesta πατρὼς δία illius Virgiliani: Vicit amor patriæ, &c. Nota hîc, Patriæ, quàm amoris paterni potiorem ducendam esse rationem.

9. 248. *grauiorem morte timorem*) Sic sup. lib. 7. v. 575. veris grauiora timentur. Est autem Acrior leto timor ipse leti.

252. *sociosq; leuare labores*) malim labore aut erit hypallage.

264. *euertere*) iunge cum, Iminantes non, cum *aggreditur*.

268. *sic iterum*) Nota stratagema Gozuini.

285. *parcere colloquijs*) id est, abstinere.

10. 291. *Nulla quidem pestis*) Eleganter Cecilius Comicus.

Hi sunt inimici pessumi, fronte hilari, corde tristi:
Quos neq; tu apprehendas, neq; vitare scias.

Grauiter quoq; & verè Georg. Buchan. Rerum Scotic. lib. 12. Non tàm hostes existimandi sunt qui castris ex aduerso positis odium suum palàm profitentur, quàm qui domi ex insidijs nostræ saluti imminent. Exstat in hanc sententiam (vt omittam quæ sunt apud Ciceronem omnib. nota) etenim Luciani Epigramma Græcum lib. 1. Anthol. tit. 42. εἰς κόλακας: quod vnà cum Latina versione amici mei singularis, Iohannis Posthij, v. CL. & Archiatri Pal. ex eius Francicis, describam:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι φύσις χαλεπώτερον εὗρεν
ἀνθρώπου κηδεμὼν ψευδομένου φιλίην.
ἐχθὲς ἐπ' ἀσεβὲς ἔργον ἐφυλασσόμεθ', ἀλλ' ἀγαπῶντες
ὡς φίλον, ἐν τούτῳ πλείονα βλαπτόμεθα.

Hoc est:

Execrabilius nil Phœbus ab æthere cernit
Illo, qui puram fingit amicitiam.
Non etenim hunc hostem, sed amicum credimus: inde
In nostrum veniunt plurima damna caput.

Vide ibidem & Palladæ versus in eandem sententiam. quorum hoc est initium:

ἐχθὲς ὅπως βλάπτει, μισεῖν ὁ λέγων ἀναφανδὸν,
ἄστοργος ὁ τὴν κηδεμόνα ψευδόμυθος φιλίαν. id est,

Ladere

Ladere non tantum valet hostem fassus apertum,
Quantum sub specie qui latet officij.

Nec absimile est alterum Lucillij lib. 2. Anthолog. tit. 15. εἰς δολίκις.

Εἰ μὲν φιλεῖς, ἔρχω μέ φίλᾳ, καὶ μὴ μ' ἀδίκει σύ,
ἀρχὴν τῦ δλάψαι τὴν φιλίην δέμβος.
πᾶσι γδ ἀνθρώποισιν ἐγὼ πολὺ κρέσσονα φημὶ
τὴν φανερὰν ἔχθρεω τῆς δολερῆν φιλίης.
φασὶ ἧ καὶ νήεσσιν ἀλιπλανέεσσι χερείκς
τὰς ὑφάλκς πέτρας τῶν φανερῶν σπιλάδων.

Quod sic reddidit Latinè Gregor. Bersmannus, vir & Poëta opt. nec minus nobis amicus:

Re mihi non verbis præstabis amicus amorem,
Prætexens damnis nomen amicitiæ.
Est odium satius manifesti quamlibet hostis,
Insidias nectens, quàm simulatus amor.
Sic proram infestat minus exstans æquore rupes,
Abdita quàm cæcas, quæ latet inter aquas.

Ad eandem sententiam Sallust. quoque allusit Bello Iugurth. Ei per maximam amicitiam maxima copia fallendi erat. Laudanda est igitur Romanorum veterum ingenuitas, qui inimicitias apertè denuntiabant, & suis ædibus interdicere solebant inimicis, teste Tacito. Ita in fronte scriptas gerebant amicitias & inimicitias, vt Ennius ait. Ex eodem fonte & genere est, quod Bellum apertum insidiosa pace melius est.

303. *Vt si)* Aug. ed. At si. Sic aliâs quoq; Et pro Vt.

309. *subitò pateat discrimine morti)* Pflug. *pereat disc. mortis.*

CAPVT II.

1. *Extremam manum addere.* 2. *Glandes funda emissas in aëre liquescere, probatum auctoritate Aristotelis, Lucretij, Virgilij, Ouidij, Lucani, Statij, Senecæ.* 3. *Viri docti duæ προσῳδίαι reiectæ.* 4. *Docta manus.* 5. *Pugnare, certare alicui.* 6. *Fluxa improborum gaudia.* 7. *Clementia magnorum virorum propria.* 8. *Oratores ad populum dicturi manu signum dabant.* 9. *Benè multa. Institutionum Iuris vera lectio duobus in locis constituta. Guntherus correctus.*

312. *extremamq; manum præstare labori)* Addere vel imponere operi extremam, vel vltimam, vel suprem am manum, 1.

manum prouerbialis formula ab opt. quibusq; auctorib. vsurpata, ad significandam operis absolutionem & perfectionẽ Manus enim est causa sapientiæ, omniumq; rerum expediendarum instrumentum.

325. *olim*) i. iampridem. Sic sæpè vtitur Plinius Iunior & Symmachus. An iungenda sunt, olim-bellorum, vt sit τῶν πάλαι ἢ πρὶν πολέμων. quod tamen posterius nimis fortasse argutum videatur.

326. *habena*) i. amento, vt rectè exponit I. Lips. hunc locum laudans lib. 2. Poliorcet. Dialog. 4. est autem amentum corrigia lanceæ, quæ etiam ansula est ad iactum, Gloss. exponit ἄμμα ἀκοντίων, i. vinculum iaculorum ὅθεν κρίνεται ἡ λόγχη. Hastas ansatas vel etiam absolutè ansatas vocat Ennius Annal. lib. 5.

330. *rursum*) Aug. ed *sursum*.

2. 351. *toti succisa parte medetur*) Nam (quod ex auunculo meo p.m. sæpè audiui) vt totum serues, pars est perdenda subinde.

355. *Et medijs liquida glandes in nubibus ardent*) Hic locus Guntheri valdè pro Lipsio facit cap. vlt. lib. 5. De Milit. Rom. pagin 239. Vbi bombardas & sclopeta nostratia cum veterum fundis conferens, docet, non minorem, & ferè maiorem illarum vim atq; impetum fuisse. Non autem dubito, quin Poëta noster ante oculos hîc habuerit istum Lucretij locum lib. 6.

Mobilitate sua feruiscit: vt omnia motu
Perçale facta vides ardescere: Plumbea verò
Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.

Voluenda, id est dum voluitur. κυλινδομένη: vt apud Maronem, voluenda dies ea attulit vltrò. &c. Futurum pro præsente participio passiuo, quo alioquin Latini carent. Porrò istius liquefactionis plumbi è funda emissi, præter Lucretium multi etiam alij auctores meminêre. Virgilius:

Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit. Ouidius Metamor.
Non secus exarsit, quàm cum balearica plumbum
Funda iacit: volat illud & incandescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus inuenit ignes.

Lucanus

Hosted by Google

Lucanus:

Inde faces & saxa volant, spacioq; soluta
Aëris, & calido liquefacta pondere glandes.

Statius Papin. arsuras cœli per inania glandes. 3.

Idem:

Volucres imitantur fulgura glandes.

Seneca deniq; lib. 2. Natur. Quæst. c. 57. Si aëra aut motus extenuat, aut extenuatio incendit. Sic liquescit excussa glans fundâ & attritu aëris velut igne distillat. Vbi miseret me boni & docti viri, qui pro glans, glacies nimis certè frigidè nobis substituere conatur. Idem in l. 14. quæritur. §. 7. mulierem. ff. de ædil. ed. cum Vlpc. fripsisset: Mulierem ita artam, vt mulier fieri non possit, sanam non videri constat non animaduertens, elegantem πλοκὴν de industria à IC. captatam, hariolatur legend. mater, pro mulier. Sed non est nobis propositum illius vel hos errores exagitare acerbiùs, vel plures colligere. Ad Senecæ locum vt reuertamur, is ex Aristotele lib. 2. de Cœlo cap. translatus videtur. Sic enim ait Philosophus *φέρεται γὰρ ἡ κίνησις ἐκπυροῦν καὶ τὰ ξύλα καὶ λίθον καὶ σίδηρον. εὐλογώτερον δ' ἂν τὸ ἐγγύτερον τοῦ πυρός. ἐγγύτερον δὲ ὁ ἀήρ, οἷον καὶ ἐπὶ τῶν φερομένων βελῶν. ταῦτα γὰρ αὐτὰ τὲ ἐκπυροῦται ὅπως, ὥσπερ τήκεσθαι τὰς μολυβδίδας, καὶ ἐπείπερ ταῦτα ἐκπυροῦται, ἀνάγκη καὶ τὸν κύκλῳ αὐτῶν ἀέρα τὸ αὐτὸ τοῦτο πάσχειν. ταῦτα μὲν οὖν αὐτὰ ἐκθερμαίνεται διὰ τὸ ἐν ἀέρι φέρεσθαι, ὃς διὰ τὴν πληγὴν γίγνεται πῦρ*, &c.

359. *fundamenta cauant*) id est, cuniculos agunt.

373. *adhortantes incendunt pectora voces*) Hæc sunt quæ vocantur celeusmata. Intelligere autem licet vel Adlocutiones Ducum, de quibus suprà vel ipsorum inter se militum exhortationes mutuas.

374. *procellosum æquor*) Hoc magnum mare vocant Lucretius, Catullus, & alij. Vid. Douzam. & post hunc Paulum Merulam Virum diligentiss. & probiss. in Commentar. ad Annales Ennij, libro 17. Nota hic Graphicam descriptionem tempestatis & naufragij, in qua admirari licet ingenium & copiam Guntheri.

380. *mari rimosa*) Sic infr. 577. numisma maniplis. Talia multa obseruârunt Grammatici apud Virgil. vbi

Hosted by Google

conueniunt vltima præcedentis & prima ſequentis dictionis ſyllaba. vt Æn. 2. Dorica caſtra. Æn. 3. cæca caligine. Æn. 4. Fama malum. Quorum ſimilia annotauit Ful. Vrſinus in Virgilio cum Græcis ſcriptoribus collato. Non placet autem mihi illa quorundam curioſitas, qui hæc tanquam *κακόφατα* notanda exiſtimârunt: quaſi verò difficile fuerit ſummo Poëtæ mutare ac vitare hæc talia, ſi pro vitijs orationis ea habuiſſet: quæ ſanè apud Tibul. & Propert. adeò ſunt crebra, vt ea adfectaſſe videri poſſint.

4. 386. *doctaq; manu*) Sic doctos digitos dixit Plinius Iunior lib. 7. epiſt. 9. hoc verſu:

Vt laus eſt cera, mollis, cedensq; ſequatur
Si doctos digitos, iuſſaq; fiat opus, &c.

Doctum, vt apud Græcos *σοφὸν*, eleganter etiam de mechanicis & illiberalibus artibus atque artificibus vſurpari, monui ad Oppianum. Eodem & hoc exemplum aggregari poteſt.

5. 387. *ipſi decertans pelago*) vt Horatius od. 3. *Africum decertantem Aquilonib.* dixit: & Catullus: *Noli pugnare duobus.* Virg. Æneid. 4. *placitóne etiam pugnabis amori?* Et Propert. lib. 1. *Tu caue ne triſti cupias pugnare puellæ.* Quæ omnia Græcorum imitatione dicta ſunt. *μάχεσθαι τινὶ*

390. *decimus fluctus*) Exemplo Lucani, qui lib. 5. ſic fecit:

Hæc fatum, decimus (dictu miſerabile) fluctus
Inualida cum Puppe leuat.

Significat autem vterq; fluctu qui decumanus vocatur: quem fluctum maximum appellant ICti in l. 96. & l. 112. verb. ſig. Iuſtinianus addit, hibernus. §. Eſt autem litus. Inſt. De rer. diuiſ.

391. *obſorbeat*) Ita & Aug. ed. Sed malim abſorb. Scio tamen, Ob pro ad, veteres conſueſſe ponere: vt videre eſt in Collectaneis Lucretij.

393. *per ſtagna*) Stagnum pro mari, vt apud Græcos *λίμνην ἀντὶ θαλάσσης* vſurpari ad Oppianum notaui. Sic ſup. lib. 6. Veneti ſtagna profundi.

490. *Bertolfum*) Aug. ed. Berctoldum.

410. *hoſtes*) Sic Pern. vulgò, hoſtis. quod retineri poteſt ex vet. ſcriptura: vt, omnis homines, apud Salluſt. & ſexcenta eiusdemmodi.

413. CA-

Hosted by Google

413. *capillo*) Sic rectè Pern. præcessit enim, flauenti vulg. capillis. Porrò de cristis, quarum adiectione militum galeis terribilior dari species solebat, vid. Is. Casaubonum lib. 1. Animaduers. in Suet. pag. 22. & I. Lipsium De milit. Rom. lib. 3. Dialog. 5.

418. *Alterius*) Sic rectè Aug. ed. & Pern. vulgò, Alternis.

422. *non gaudia longa malorum*) Nam vt est apud Senecam, ni fallor ex mimis Publij Syri: 6.

Citò improborum læta ad perniciem ruunt.

Et vt nos aliquando scribebamus:

Nemo improbis factis diu gauisus est:
Atram breuis caudam voluptas attrahit.

Malim autem hîc legere, nec: quod sæpè in hoc opere, in, non, deprauatum fuit.

437. *armatuliſſe*) scil. se. Quales ellipses & sup. obseruaui. Nota hic Cremensium excusationem.

441. *seiungere*) Ita legend. ὀφεῖν, id est, dirimere, separare. Vulgò malè, seiungere.

440. *perlata*) Sic Pern. Vulgò, *placita*. repugnante metro. Diuinabam, *prolata*: scil. per internuntios. Sed in Aug. ed. etiam reperio perlata: quod magis probo.

447. *Multumq; domestica magno Et benè nota viro clementia*) Senecæ hæc est sententia, cùm alibi, tum lib. 1. De clementia. cap. 5. Magnam fortunam magnus animus decet. Magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumq;, & iniurias atq; offensiones semper despicere. Muliebre est furere in ira, &c. *Nil magnum est, quod non & placidum sit idem.* Rectéque hoc dixit Terentius Adelph. Sc. Nunquam: *Facilitate nihil homini esse melius, neq; clementia.* Et pulcerrimè Georg. Buchanan. lib. 12. Rer. Scoticar. Generosus animus, vt aduersus resistentes vehemens est & concitatus, ita precibus, obsequio, ipsa denique instabilitatis humanæ recordatione mitigatur, & ad lenitatem inflectitur. 7.

452. *ad similem fauorem*) fort. *furorem*. An retinend. fauorem, intelligendumq; fœdus & amicitiam cum hostibus Imperatoris?

454. *Quodq; semel valeant, humeris deferre sinuntur*) malim simul.

461. *orfa ſui generis cultasq; parentibus ædes*) Quàm hoc triſte ac luctuoſum ſit, laribus & ſepulchris auitis carendũ habere, etiã IC. innuit in l. 38. infundo. ff. de re vind.

465. *Vix tantùm*) malim, vix tandem. vt apud Ter. & Cicer.

468. *præda miles diteſcit opima*) vid. ſup. lib. 3. v. 166. Non ſemper neq; paſſim ſine delectu omnem prædam militi concedi ſolere, docet I. Lipſius Commentario ad Polybium de Militia Rom. Ex quib. declaratio & limitatio ſumi poteſt atq; adhiberi ad §. Item ea quæ ex hoſtib. Inſt. de rerum diuiſ.

469. *Omnibus ereptis caſtrenſibus, oppida flammis*) Sic vulg. ed. malè diſtinguunt. Iunge caſtrenſib. flammis, i. quas caſtrenſes Friderici B. milites iniecerant.

473. *ſuis*) abuſus reciproci. Intellige triumphos Friderico.

477. *Sed & hæc & multa relinquo*) ἀποδίωξις plena prudentiæ quales & ſuprà notaui.

479. *Iamq; alibi*) vide ſuprà:

483. *hærens & fixa*) ἀμεταχίνητος. fixum immotumque dixit Virg. Vſitatius eſt in hac ſignificatione compoſitum defixus.

485. *ſorte recenti*) Aug. ed. *forte*. quod tamen poſtea corrector mutarat, in ſorte.

490. *etiamnum parcere*) Sic Perna, In Aug. ed. & vulgò legitur, etiam non. malim ego, *etiam nunc*.

496. *redeant*) Sic rectè Pern. Aug. ed. & vulg. malè, redeunt. Sed præceſſit, aſpiciat, tumeſcat, turgeat.

500. *Indixitq; manu ſilentia.*) Attentionem ſibi conciliaturi & audientiam facturi oratores manu mota ſignũ dabant. Hinc ſæpè Lucas in Act. Apoſt. de Paulo ita loquitur. vt cap. 13. κατασείσας τῇ χειρὶ εἶπεν. Et rurſum: ἐξὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν, κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ. vt cap. 21. Sic de Alexandro inquit cap. 19. κατασείσας τὴν χεῖρα, ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ.

501. *Incipit ex alto*) Ambiguũ hoc eſt. Nã & de loco editiore intelligi poteſt (quaſi ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν ſteterit Imperator, ſicut Paul. apud Lucã) & de longè arceſſitâ dicẽdi materiâ: vt Virgilius. Quid cauſas petis ex alto? Prius tamen magis ferè mihi probatur. Nam ſuprà libro 7. v. 319. de eod.

Hosted by Google

de eodem Friderico perorante ait: Editiore loco constitit.

513. *Et meritis referetur honor*) Ex illo Ouidij.

Tunc suus ex merito quemq; sequetur honos.

517. *Exiguum quiddam facto iam more, putatis*) Assuetudo enim omnia facit leuiora. Hinc Vegetius lib. 1. c. 18 Omne opus difficile videtur antequàm tentes. Et mox cap. 19. Hæc non credentur esse difficilia, si vsus accesserit. Nihil enim est, quod non adsidua meditatio facillimum reddat. Quæ sunt procul dubio ex Terentiano illo desumpta Heautontim. extrema: Hæc dum incipias grauia sunt, dumq; ignores: vbi cognoris facilia.

537. *multaq;*) scil. tentare ausi. Alludit autem in seqq. ad certitudinem oculorum, de qua & aliàs dictum.

542. *alliciunt*) fort. Alluciant.

566. *Benè munera magna*) Iungo, Benè magna: quod Lucretianum & Ciceronianum est. Sic Iustinianus, benè multas actiones pœnales ait Prætorem ex sua iurisdictione introduxisse. §. pœnales. Inst. De action. Quam Latinam elegantiam qui non intellexerunt, ibi vel permultas, vel, penè multas, perperam substituerunt. Sed hoc quidem alij ante nos monuerunt: Illud autem nemo, quod sciam, in §. pen. Instit. De vsu & habit: vbi vulgò in omnibus lib. legitur: *Sed si cui habitatio legata, siue aliquo modo constituta sit.* &c. omninò verâ lectionem esse hanc, *siue alio quo modo.* Vel etiam simpliciter, *alio modo.* Ostendit hoc satis Theopholi paraphrasis ad eum locum quæ ita habet: ἢ καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ Pernæ tamen seu Pithœi editio hîc iungit, meritis benè, quod ostendit distinctio opposita ad benè. 9.

CAPVT III.

1. Epilogus quàm aptè huic operi additus sit. 2. Poetæ boni semetipsos sine arrogantiæ crimine laudare possunt. 3. Imitatio Vegetij & Sallustij exequi, pro narrare. 4. Quod cupimus, libenter credimus. 5. Si Deus volet. Si vixero 6. Imitatio Persij. 7. Euigilare libros. 8. Poëtarum vigiliæ. Poëtæ boni non solent versus suos fundere, neq; αὐτοσχεδιάζειν, sed cum cura scribere. Guntherus semel emendatus commendatur.

576. *Me quoq; non armis*) Epilogus operis, conuenientissimè subiectus descriptioni præmiorum pro rebus benè fortiterq; gestis ab Imp. distributorum: Ita inquam

conuenienter & decenter, vt ex proximè præcedentibus quasi aptus nexusq; esse videatur. Quemadmodum, inquit Poëta, Imperator suos milites armatæ militiæ præmijs ornatos, & va alibi loquitur, onustos dimisit: Ita mihi quoq; meæ militiæ, quæ non armata sed togata est, munera minimè defutura esse confido, nec indonatus à magno Cæsare abibo.

2. 577. *egregij laboris*) Verè egregius labor tuus, ó Gunthere! nec falsò hoc de te prædicas. Sic versus suos canoros ipse vocat suprà lib. 1. vers. 151. Et hîc mox inf. vers. 594. nitorem in suis carminibus agnoscit. Sic sæpè Lucretius suauidicos versus, Museum leporem, & similia sibi ipse tribuit. Sic Oppianus noster suas quoq; virtutes alicubi agnoscit: idq; sine arrogantiæ crimine. Quid quod hoc ipsum non minus iubemur facere Apollinis Delphici præcepto, Nosce teipsum, (quod Iuuenalis propterea ex cœlo descendisse ait) quàm vitia nostra agnoscere? Sic enim Cicero interpretatur.

578. *miles*) tanquam miles. vt Horat. Epod. Nec excitatur classico miles truci.

3. 582. *nec clarius arbitror esse pauca probè gesta.*) facit huc quod scribit Vegetius lib. 2. De re milit. *Vnius ætatis sunt quæ fortiter fiunt: quæ verò pro vtilitate Reipub. scribuntur, æterna sunt.* Quem locum Bald. quoq; adducit in fin. Commentar. De pace constantiæ.

584. *Nec minor hic illo labor est*) Videtur Gunth. in conspectu habuisse hunc Sallustius locum in Coniurat. Catilin. At mihi quidem tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem & actorem rerum: tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primùm quod facta dictis exæquanda sint. &c. vbi non dissimulo, me in membranis elegantissimis MSC. quibus me donauit Gasper Schoppius Francus, legisse, *auctorem* pro *actorem*. Et mox: *sunt exequenda*, pro, *exæquanda sunt*. Quæ lectiones minimè contemnendæ videntur. nam exequi interdum est edissertare, commemorare, exponere, narrare: quod est Græcis διεξέρχεσθαι, διηγεῖσθαι. vt Cicero Epist. ad Matium lib. 11. 27. habeo multò occultiora, quæ vix verbis exequi possum. Et Quintilian. lib. 5. c. 12. verbosius exequi. Idem lib. 1. c. 6. Quæ Tullius in Oratore diuinè, vt omnia, exequitur.

Hosted by Google

quitur. Altera verò lectio exprimeret formulam Græcam, τοῖς πράγμασι τὰς λόγους ἐξισοῦσθαι : quæ est apud Demosthenem, Nazianz. & alios.

591. *ausu*) scil. meo. in poëmate tali conscribendo.

595. *nominis acta sui*) Recurrit abusus reciproci, Sui: de quo suprà non semel.

598. *cupidum nisi fallit opinio vatem*) vt Virgilius si nunquam fallit imago. Allusit Gunth. ad sententiam à multis magnisq; auctoribus celebratam: Quod volumus facilè credimus. Demosthenes Olynth. 3. ῥᾴδιον ἀπατᾶν ἐστὶν ἑαυτὸν ἐξαπατῆσαι. ὃ γὰρ βούλεται τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται. τὰ δὲ πράγματα πολλάκις ἀφ' ἑαυτῶν ἔχει. id est, Seipsum decipere res est vna omnium facilima. nam quod vult, idem quisq; etiam opinatur. At negotia sæpè non ita se habent. Cæsar. 3. Bell. Gall. Ferè libenter homines id quod volunt, credunt. Idem 2. Bell. Ciuil. Quæ volumus, & credimus libenter: & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus. Huc & vetus verbum pertinet: Sabini quod volunt somniant. Simul etiam allusum videtur ad sententiam Isocraticam in orat. ad Nicoclem. Et Carmina & Orationes antequam emittantur, magnæ spei esse apud auctores suos, quæ tamen sæpiss. ipsos frustra habeat. 4.

609. *castra petentes*) carmine scil. non armis: vt sup. vers. 576. 5.

611. *superet modò vita*) modò viuere detur vt suprà lib. 1. v. 60. & hoc lib. 10. vers. 511. Hoc quoq; Biblicum videtur. Sæpè enim ibi legas vita comite. Quid quod S. Iacobus ne in crastinum quidem diem quicquam vult Christianos purè & absolutè polliceri se facturos? Semper enim hanc conditionem promissis nostris adijciendum esse ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν καὶ ποιήσωμεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. Idq; factitarunt sancti Dei homines: vt videre est in his sacræ scripturæ locis. Genes. 18. 4. Reg. 4. 1. Cor. 16. Heb. 6. 1. Pet. 3. Act. 16. & 21. Symmachus lib. 8. ep. 27. Si benè destinata Dij iuuerint. Idem alicubi præcipit Plato. Et meritò. Nam vt vulgò dicitur ex Salomone, Homo proponit, sed Deus disponit. Et Hieremias inquit, Scio non esse hominis viam eius, neq; viri, dirigere gressus suos. Sencca quoq; *Nemo tàm Diuos habuit fauentes, Crastinum vt posset sibi polliceri. &c.*

619. *Quemq; sui meminisse decet*) Alludit ad illud Horatij: *Metiri se quemq; suo modulo ac pede verum est.* Et hoc Persii: *Tecum habita, & noris quàm sit tibi curta supellex.*

6. 622. *vel duo vel pl.*) Videtur alludere ad initium Satyr. Persii: *Quis leget hæc? Min' tu istud ais? nemo hercule nemo? Vel duo, vel nemo. &c.*

Sic enim cum locum rectè interpungebat doctiss. Bergius.

626. *Quidúe petas*) Sic restitui, pro eo quod erat vulg. *putas.* Postea hanc emendationem vidi etiã inter correctiones Aug. ed. Diuinabã quoq; *putes*: vt exputare Latini dicunt.

639. *Vigilatis noctibus*) Ouidianum hoc est: *Attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes.*
7. Imò etiam euigilare libros idem dixit: *Quos studium cunctos euigilauit idem.* Alludit ad has Poëtarum vigilias etiam Drepanius Panegyrico: Huc, huc totas pij vates doctorum noctium conferte curas, &c.

645. *diffundere laudes*) Hoc est quod aliâs ait, didere nomen alicuius.
8.

649. *leue munus*) Hoc vulgò nonnulli leuidense munusculum appellant, exemplo, vt putant, auctoritateq; Ciceronis lib. 9. Fam. ep. 12. Sed meritò ea vox leuidense, ibi suspecta est eruditiss. Ful. Vrsino in Notis ad omnia opera Ciceronis: quem vide sis.

651 *medio*) cur medio? Quia tantùm assecutus est quintum mensem, cum legitimus & q. solennis partus ferè decimestris esse soleat. Nota, hoc opus intra quinq; menses absolutum fuisse. Quid ergo? num in illorum cœtum Poëtastrorum Gunth. noster referendus erit, qui perpetuò gloriari solent, se carmina sua ἀυτοσχεδιάσι scripsisse, imò effudisse, stantes pede in vno, vt ait ille: Idq; versib. suis tanquam elogia statuis subscribunt. Quam perpetuam malorum Poëtarum notam esse ait Muretus: cum è diuerso optimi quiq; Poëtæ suos fœtus vrsarum more lambant ac refingant. Illis ne ergo similem faciemus Gunther.? Minimè verò. Nam quæ quantæq; sint huius Poëmatis virtutes & dotes, alibi demonstrauimus, & ex his quoq; Notis fiet, vt spero, perspicuũ. Tribuatur ergo hæc festinatio felicitati & facilitati ingenij eius; non aũt futili iactantiæ & vanitati.

NOTARVM IN GVNTHERVM
FINIS.

Hosted by Google

CVNRADVS RITTERSH. *Lectori S.*

Cùm iam haſce Notas ad Typographum miſiſſem, venit ad me Epiſtola humaniſſima, à Marco Velſero, Exconſule & Septemuiro Auguſtano, quem virum ſumma humanitate in ſumma dignitate præditum, etiam alibi horum commentariorum laudaui. Ea incluſum habebat Diploma Karoli Magni, nuper in vetuſtiſſimo libro repertum : quo non fruſtrà putauit egregius ille antiquitatis indagator, hanc editionem Guntheri noſtri ornatiorem prodire poſſe, cùm ex ea ſumi poſſint non pauca, quæ ad illuſtrandam deſcriptionem Roncaliarum, quæ extat initio lib. 2. Guntheri, conducant. Id igitur ſup. omiſſum, hîc ſubijcicendum putaui. Epiſtola Domini Velſeri hæc eſt: *Liguriniumtuum mi Rittersh. lucem nondum aſpicere exiſtimo. Ei itaq; exornando, quo gratior in publicum prodeat, Karolinum hoc Diploma, in veteri manuſcripto libro nuper inuentum, mitto. Tu animum iſtum, tibi in omnibus rebus gratificandi, boni nimirum conſules. Vale. Auguſtæ Vind. XII. K. Octob. An. Chriſt. 1597.* Sequitur nunc ipſum Diploma:

IN *nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Karolus diuina fauente gratia,* * *Rex Francorum & Romanorum. Si prædeceſſorum noſtrorum morem ſequimur, non ſolùm præſentibus, ſed & ſuccedentibus ſubuenire nitimur. Hac de cauſſa vniuerſorum cognoſcat experientia, qualiter dum pro noſtra conſecratione coronæque perceptione proficiſcendi tempus ad Apoſtolicam ſedem inſtaret, cùm quam multis principibus annum Vvormatiæ tranſegimus, ibiq; omnem Reipublicæ ſtatum vtilem & honeſtum confirmare; nociuum atq; contrarium radicitùs extirpare decreuimus. Interim dum hæc agerentur, caſu contigit, Principes cum militibus de Romana expeditione, quæ tunc inſtabat, acerbè contendere conſtrin-*

* 1. Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum.

conſtringentes eos multò plures halſpergas de beneficijs ſuis ſibi ducere, quam illi fatentur ſe poſſe, vel iure debere. Sed quando hoc non ab aliquo anteceſſorum noſtrorum terminatum fuerit, duximus dignum, vt eorum altercationi finem commodum imponeremus, atq; decretum & certam aliquam legem ſuper omni Romana expeditione concederemus. Statuimus ergo & decreuimus cum conſenſu tam ſpiritualium, quàm ſæcularium Principum, ibidem nobiſcum aßidentium, quando pro corona noſtra, vel aliqua Regni vtilitate aut honore Romana expeditio à nobis vel à ſucceſſoribus noſtris præparetur, ad omnium nobiſcum euntium præparationem annus cum ſex hebdomadibus pro inducijs detur, & per totum taliter regnum fidelibus noſtris indicetur. Cuicumq; autem ſecundùm hanc legem eadem expeditio imperetur, ſi ad curiam Gallorum, hoc eſt, in campum, qui vulgò Rungalle dicitur, dominum ſuum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræſentetur, feodo, præter hos, qui cum gratia dominorum ſuorum remanſerunt, in conſpectu noſtro abſque ſpe recuperationis priuetur. Qui autem per hominum ſiue liberi, ſiue famuli dominis ſuis adhæſerint, quot decem manſos in beneficio poßideant, tot brunias cum duobus ſcutarijs ſingulas marcas accipiant, & ſic eundo & redeundo cum hoc ſtipendio ſine omni dominorum damno vel expenſa, niſi quantum ipſis dominis placuerit, fideliter ſeruiant. Si autem fortè, quod abſit, accidat, vt ijdem milites diuerſos dominos propter diuerſa beneficia acquirant: ne aliquod beneficium indebitum vel ſine ſeruitio remaneat, ſinguli ſingula debita ſingulis dominis perſoluant: videlicet, quantum ab ipſis, ſi irent, accepturi erant, tantùm ſe daturos cognoſcant, vel in præfato loco (vt dictum eſt) feodum amittant; Sed ſtipendia, niſi voluntate dominorum, non prætermittant,

Simi-

Hosted by Google

Similiter de Eccleſiarum filijs vel domeſticis, id eſt, miniſterialibus, vel quorumcunque principum clientela, qui quotidie ad ſeruiendum parati eſſe debent, ſtatuimus, vt quicunq; quinq; manſos in beneficio poſſideant, domino ſuo, ad quem pertinent, bruniam cum vno ſcutario ducant, & hoc in arbitrio dominorum pendeat, quos ducant, à quibus ſtipendia accipiant, quibus halſpergas concedant. Ipſis & ad itineris præparationem quinq; libræ ſuæ monetæ in ſtipendium tribuantur, & duo equi, vnus currens, alter ambulans, addatur, ac duobus ſocijs ſoumarius victualibus benè oneratus comitatur, qui ab ipſis ad opus dominorum diligenter cuſtodiatur. Ipſi quoq; in dominorum tam diu viuant procuratione, quàm diu in incepta vadant expeditione, & quicquid à rebellibus regni pugnando acquiſierint, partes duas ad dominos deferant; tertiam ſibi pro conſolatione retineant. Quos autem non paſcunt domini, ad ipſos reportent tertiam partem ſui acquiſiti. Singuli verò principes ſuos habeant officionarios ſpeciales, Marſcalcum, Dapiferum, Pincernam, & Kamerarium: Qui quatuor quantò plus ſunt laboraturi, tantò plus in ſtipendio, in veſtitu, in equitatu, præ cæteris ſunt honorandi ſcilicet, & vnicuiq; iſtorum, decem libræ cum tribus equis tribuantur: quartus Marſcalco addatur: quorum vnum ad præcurrendum, alterum ad pugnandum, tertium ad ſpatiandum, quartam ad loricam portandum. Iſti verò tales remanere cupientes, ſi apud dominos impetrare valeant, quot manſos poſſideant . . . . . monetæ, vel totum fructum feodi in illo anno pro ſtipendio perſoluant. Vt autem noſtrum imperium ab omnibus habeat ſupplementum, hoc conſtituimus & firmiter præcipimus, vt ſinguli buringi decem cum duodecim funibus de canapo ſolidos dominis ſuis impendant, & inſuper ſoumarium cum capiſtro concedant,

quem,

quem, si domini voluerint, ipsi ad primam naualem æquam vsque perducant. Mansionarius quinque solidos: Absarius triginta denarios: Bunaiarius quindecim quorumlibet larium possessores sex suppleant. Et vt hæc nostri decreti auctoritas, inuiolabilem & incorruptam in Dei nomine apud omnes successores nostros obtineat emunitatem, cunctis Principibus qui aderant astipulantibus, manu propria subter eam roborare decreuimus, & annuli nostri signo assignari iussimus. Signum Karoli glorioſissimi Regis. Hernustus notarius  *ad vicem Lutvvardi Cancellarij recogno ui Data VIII. Idus Iunij, Anno ab incarnatione Domini N. I.X.DCCXC. Regni autem eius XXII. ante consecrationem. Actum Vuormatiæ feliciter. Amen.*

VITÆ FRIDERICI AENOBARBI BREVIS DESCRIPTIO, EX Pauli Iouij Nouocomensis Elogiorum libro primo:

CVM ANIMADVERSIONIBVS Cunradi Rittersh. IC.

NVlli Cæsarum, ex his qui Romani Imperij dignitatem illustri rerum gestarum famâ protulerit, nomen suum minùs ad naturæ genium respondit, quàm Friderico primo, qui à colore Ænobarbi cognomen adeptus est. Vetere siquidem Germanorum linguâ Fridericus pacis diuitem exprimit: contrario scilicet euentu, quum ingenio ferox, armorum & belli cupidus, nihil magis

gis oderit quàm pacis nomen. Nam ab ineunte ætate in contubernio Cõradi Cæsaris patrui, in Asia militarat. Vbi verò in defuncti locum Imperator est appellatus, eo animi decreto arma induit, vt ea non priùs se exuturum iuraret, quàm Romani Imperij diademate ornaretur: cuius voti Conradus minimè compos factus, graui cum dolore animi excessisset è vita. Id verò vnum Fridericus præalto ingenio supra coronæ decus spectabat, vt quum eo potitus foret, cuncta iura Imperatoriæ maiestatis, ad antiquam dominatus authoritatem reuocaret: quòd superiorum Imperatorum beneficiariæ ciuitates per ampla immunitatum priuilegia consecutæ, obsoletis iã tributis aut intermissis ingratæ & contumaces ad parendũ viderẽtur. Excitabant autem mirum in modũ ad extendendã famam vrium integra ætate florentem Sueuæ gentis illustre & verè Martium nomen, antiqua maiorum decora, & recens vel infelicis patrui Cæsaris exemplum, sub quo varijs vtriusq; fortunæ documentis probè obseruatam & exercitam militarium operum disciplinam hausisset. Itaque Fridericus coacto exercitu in Italiam descendit, expugnataq; in limine, & deleta Derthona, ac Spoleto demum in Vmbriá ex itinere funditùs exciso, Romam profectus tantum terrorem Hadriano Pontifici intulit, vt ad mare se proriperet. Formidandis enim stipatus copijs aduentabat, minaci ingenio aliquam lenitatis speciem ferens, ita vt se pacato agmine Pontificem veneraturum polliceretur. Clauserant Romani portas, Ælioq; ponte erumpentes, cum Germanis ad Neroniana prata tendentibus, tumultuario cruentoq; prælio dimicarunt. Verùm aduentu Pontificis placatus Cæsar in Vaticano more maiorum Romani Imperij insignia accepit. Nec multò pòst in Cisalpinam Galliam regressus, Mediolanensibus bellum indixit, quòd finitimis superba sæuaq; arma intulissent.

Gunthero & alijs est Terdona.

Gunth. alijque Laudã vocant.

liſſent, vt latè imperarent, Laude Pompeiâ crudeliter euaſtatâ, Conio graui obſidione ſubacto crematoq3, & Papia omnibus belli detrimentis affecta, magnam ſibi inique atq3 intolerandæ potentiæ inuidiam conflauerant. Cæterum eo euentu inchoatum bellum, ſæpeq3 renouatum Ænobarbus confecit, vt multis victor prælijs, ſemel victus ad Calcanum vicum iuxta lacum Eupilim, laborioſa difficiliq3 obſidione perdomitos acerbiſſima lege impoſita ſubegerit, Mediolanenſes ad vnum omnes patrium ſolum verterent, vltraq3 centum ſtadiorum ſpatium ad vicina oppida migrantes, relegatiq3, corruentis ſuperbæ patriæ excidium ex propinquo ſpectarent: tanta quidem victoris immanitate, vt vrbs totius Italiæ ampliſſima ac opulentiſſima, inexorabili diui Cæſaris edicto, vix ſeruatis ab iniuria templis, ſolo æquaretur: turritaq3 mœnia cum ædificijs priuatis omnibus & publicis, Circo, Arena, Theatroq3 conciderent. Acerbiſſimo quidem luctu tanti populi penatibus excedere coacti: ſed ingenti nec iniquo finitimorum ſolatio, qui ſuas iniurias conſpecta hoſtium calamitate vindicaſſent. Id verò maximè crudele & contumelioſum fuit, quum vrbs euerſa funditus aratris proſcinderetur in agri ſpeciem, vt non frugis, ſed ad ludibrium, ſalis ſemen acciperet. Pari propè clade etiam hoſtiliter incumbens Cæſar Cremenſes, Cremonenſes, Soncinates affixerat: quibus exercitandis incendijs, exortum ſchiſma ſuas faces admouiſſe videbatur. Hadriano namque defuncto quum Alexander Senenſis eſſet ſuffectus, nec Cæſari impotenter inuſitata indignaq3 iuſto pontifice poſtulanti quicquam concederet: vſq3 adeo in eum iracundus & ſæuus Cæſar concitatus eſt, vt Vrbe Roma depelleret, & victorem Pſeudopontificem crearet: conuentus Antiſtitum indiceret haberetq3, vt Alexandro tanquam adulterino, ſacroſancti iuris poteſtas acrogaretur. Ea

diſſenſione

dissensione diuina humanaq; Fridericus impiè perturbauit: tantaq; vi tueri suam causam adnixus est, vt morientе Victore, nihil imminutâ pertinacia Paschalem sufficeret: & in huius defuncti tertius nomine Calistus, demumq; Innocentius quarto loco subrogarentur: quum interim Alexander tantis iactatus fluctibus exul & inops, sed integra semper authoritate, ab Italia in Galliam, atque inde in Siciliam, & è Sicila Venetias confugisset: imploratis passim auxilijs à pijs regibus, vt Reipublicæ Christianæ immaniter dilaceratæ, pereuntiq; maturè opem ferrent. Ea autem constantis & infracti Pontificis felicitas fuit, vt Cæsariani pseudopontifices ab se legitimo iure execrati atq; damnati, quanquam robusto integræ ætatis habitu valerent, Deo magno vindicante noxam, ægri senis fatum anteierint. Fauebant Alexandro duo reges: Ludouicus Galliæ, suo Pij cognomento dignus, & Gulielmus Siciliæ, eâ Christianæ reipublicæ fœdâ labe commotus. Idem quoq; pietatis studium inerat Venetis, quibus multò maxima Italiæ pars accesserat. Isq; demum detestandæ dissensionis finis fuit, vt Otho Cæsaris filius in Hadriatico aduersa nauali pugna à Venetis captus occasionem præberet parandæ pacis. Friderico namq; multis defatigato bellis, filij desiderium, & vltoris Dei metus incesserat. Itaq; pacificatore Ziano Venetorum principe, Imperatorem ad pedes suppliciter proiectum, Pontifex pro foribus Marciani templi ritè expiavit, in gratiamq; recepit: eâ conditione, vt sacro bello se denoueret, quòd tum Saladinus Ægypti Sultanus Hierosolymitano regi graue bellum moliretur. Tradunt Scriptores, Pontificem anteactæ calamitatis suæ memorem, osculanti pedem, contractâ fronte, hoc Dauidicum carmen protulisse: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: vt domita superbi animi ferocia nequa-

Hosted by Google

quam humaniter illuderet: Ad quod Cæſar tàm piè quàm grauiter renidenti vultu reſponderit Non tibi, ſed Petro tanquam hominem facilè contemnere, perſonæ verò dignitatem probè venerari videretur. Cæterum Cæſar Venetijs ſummis affectus honoribus, quũ in Germaniam rediſſet, pio generoſoq; animo, lectiſſimum ex veteranis copijs exercitum coëgit. Et quum Henricus filius conſenſu procerum Cæſar eſſet appellatus, & per Pannoniam & Triballos Byzantium contendit. Inde verò recreatis copijs, Emanuele Græcorum Imperatore propinquo ſuo liberaliter commeatum præbente, præter Mæandrum amnem profectus, cum Turcis acerrimè bellum geſſit. Supremum verò eius operum fuit Philomela vrbs manu capta. Nam paulò poſt ad Iconium Lycaoniæ vrbem, quum Ferrei amnis perſpicuis vndis per æſtum inuitatus lauandi gratia alueum intraſſet, cæco abſorptus gurgite interijt: inſigni quidem illudentium Parcarum iniuriâ, quum vir fortiſſimus, & ſupra reges omnes bello inclytus, quem mille acies ſtrenuè dimicantem non abſumpſerant, natantem ignobilis torrentis vortex abſtulerit, pergraui vtiq; noſtrorum luctu, iacturâq; & ſingulari Barbarorum commodo atq; lætitia. Delatum in Syriam cadauer Guido rex apud Tyrum exquiſito apparatu funeris, & marmoreo ſepulchro honeſtauit. Effigiem Ænobarbi Cæſaris Mediolanenſes in euerſam patriam remigrantes, marmoreo in arcu ſupra Romanam portam ſculpſerunt, dracone ſtantis cruribus inuoluto, vt viroſi diriq; hominis ſimulachrum perpetuò ſpectaretur. Ad eundem quoq; oris & barbæ habitum altera ipſius effigies plurimùm arridet, quæ in aurea bulla ſcitè expreſſa, appenſaq; membranis priuilegiorum Piſanæ ciuitatis conſpicitur: eâ fide collatâ, vt tertiam quoq; eius ſtatuam ad Volturni pontem proximo Lotrechij bello baſe deiectam viderimus: quum ſumptuoſiſſimi

fissimi operis turritus pons, à Friderico iuniore, huius Ænobarbi nepote, Suæuæ gentis regum imaginibus ornaretur.

ANTONII Vulpij.

Excisæ Italiæ cupiens pensare ruinas
Vel saltem in pulchra quærere morte decus,
Ænobarbe, Asiæ fines irrumpis, & hosti
Eripis auectas relligionis opes.
Inuidit ceptis Fortuna inimica secundis,
Nam dum te in nitido proluis amne, cadis.
Macte animis ingens Asiæ dignissime campis
In quibus illustres tot cecidere viri:
Hinc vatum calamos & marmora & æra fatigas,
Hinc meritò claris annumerare viris.

GEORGII IOdoci Bergani.

Sueuus eram mea me bellax audacia cœlo
Sustulit astrigero:
Norica Pannonijs coniunxi saxa colentes
Fœdere pacifico.
In subres domui, & Danum parëre coëgi
Legibus Imperij,
Europæ imposui frænos, Asiæq; superbæ,
Africa me timuit.
Ipse tamen cuius vires animosq; feroces
Sensit vterq; Polus:
Captiui tenero nati deuinctus amore
(Ceperat hunc Venetus)
Non assueta iugo submisi colla supremi
Pontificis pedibus.

Et tandem Armeniæ merſantem fluminе membra
Me tulit vndarapax.
Indulgens nunc mater erat; nunc ſæua nouercæ
Sors mihi non ſtabilis.
Dic tu igitur felix, miſer an, tibi iudicer hoſpes,
Qui mea geſta legis.

PARTHENII Parauicini Nouocomenſis.

Te quoq; bellorum decus, & noua gloria Martis
Armatos inter proceres, & Numina belli
Seruant venturis Muſea palatia ſeclis,
Et Iouius famæ quæ docta volumina mandat.
Nam licèt egregias vrbes, & maxima regna
Ceperis, & validum toties ſubieceris hoſtem,
Atq; etiam procul, inq; orbem tua ſigna remotum:
Protuleris: tamen hæc olim inuidioſa vetuſtas
Preſſerat, & tecum rapidis immerſerat trudis,
Vt vix vlla tui ſupereſſet nominis vmbra:
Ni claræ Iouius donaſſet munere lucis.
Sic viſum eſt ſuperis iuſtos penſare labores:
Tu Patriæ illius clades ac diruta bello
Mœnia & euerſas reparaſti funditus arces:
Ille tibi meritiq; memor, gratusq; laborum
Extinctum decus, & lapſum inſtauraуit honorem,
Digna quidem atq; æquanda tuis hæc præmia factis

IN

IN VITAM FRIDERICI I. IMP. A IOuio descriptam Animaduersiones Con. Rittersh.

INGRATA irritaq; sunt omnia, quæ ad GVNTHERVM Friderici Imp. præconem præstare & conferre conati sumus, nisi calumnias, quibus aspergitur, amoliti fuerimus, & inclementer satis in bonum principem, odio nostrorum hominum & studio erga suam gentem nimio, dicenti, paucis contradixerimus. Quàm verè de PAVLO IOVIO censuisti, Lipsi noster amor, cum eum videri dixisti IVDICIO ET FIDE AMBIGVVM. Vbi affectus non distrahunt, rectũ; vbi illi assunt, obnoxium. Ad gratiam scilicet se dare & auram. Laudationum nec causam sæpè nec modum habere: Genti suæ nimis ex professo addictum. Vt igitur solet Iouius in Germanorum laudib. esse malignus: ita hîc quoq; antiquum obtinet in laudatissimo Sueuicæ gentis Principe. Primùm in nomine eius ludos facit, quasi κατ' ἀντίφρασιν Fridericus dictus esset, qui nihil magis oderit quàm pacis nomen. Non, inquam pacis odio, sed iuris sui, hoc est, Imperatorij, persequendi, sibiq; asserendi, & iniuriarum vindicandarum causa bella gessit: idq; non suo solius, sed de communi Procerum Imperio, adde etiam Episcoporum, consilio. Diluendæ igitur huic calumniæ inspiciantur historiæ illo, quo vixit, æuo scriptæ.

Notæ ad 1. Polit. vid. & Muret. 2. volunt. orat 14. & Ioh. Mich. Brut. in hist. Florent.

Ait Iouius Hadrianum Pontificem ad mare se propripuisse iniecto sibi terrore ab aduentante hostiliter Friderico. At de hac Pontificis fugâ nihil Guntherus, nihil alij, fide multò, quàm Iouius, digniores & antiquiores. Quid? quòd potiùs eum Imperatori vt amico occurrisse, & vt Patrem filio de Romanorum insolentiâ conquestum esse scribunt?

Ait, Minaci ingenio leniratis speciem tulisse. Credo voluit dicere obtendisse prætexuisse, vel prætulisse. Sed condonent Latini incommodam locutionem ei, qui aliâs Stilo bonus grauisq; est, & planè ad historiam: vt de virtutibus

eius candidè idem Lipsius iudicat. Rem potiùs videamus. Nimirum is erat Fridericus, qui didicisset,

Parcere subiectis & debellare superbos:

vt ait Maro: quiq; esset secundum Guntheri nostri elogium,

Deuictis placidus: ferus indomitusq; superbis.

Hoc non debuit Iouius odioso nomine appellare superbum & minax ingenium. Et vide quàm parum sibi constet, quamq; nihil pensi habeat, quid scribat, dum modo scribat inuidiosè satis in Imperatorem, qui παιζειν noluit.

Mediolanensib. superba sæuaq; arma tribuit, & crudelem vastationem aliarum ciuitatum, quæ in Imperatoris fide manserant: tribuit ijsdem iniquam & intolerandam potentiam: tribuit hostib. eorum non iniquum solatium ex ipsorum calamitate. An non igitur his opposita arma Friderici pia iustaq; fuisse concedere debet? Et quî adscribere potest huic bono iure immanitatem, & dirum edictum, & facta contumelioſa atq; crudelia? agnoscis ipsa Iouij verba: quæ qui conciliauerit, idem, secundum Virgilium, iunget gryphas equis. &c.

Ait, Vrbē Mediolan. aratris proscissam salem accepisse. Rectè atq; ordine factum, vt in ciuitatem sæpius rebellem & perfidam. Etiam ex more maiorū: qui vel ex iuris nostri mentione cuiuis notus. Sic enim Herennius Modestinus lib. 3. Different: relatus in l. 21. ff. Quib. mod. vsusfr. amitt. Si vsusfructus ciuitati legetur, & aratrum in ea inducatur, ciuitas esse desinit: vt passa est Carthago: ideoque quasi morte desinit habere vsumfructum.

Ait, Cæsarem Cremenses & Cremonenses afflixisse. In quo errorem committit nequaquam dissimulandum. De Cremensibus tantùm verum est. De Cremonensibus apertè falsum. Hi enim semper fideles Friderico fuêre.

exortum Schisma) hoc penè per XXIIII. annos arsisse scribit Guntherus noster lib. 6. vers. 262. & meminit eiusdem lib. 10. v. 115.

Ait Iouius: Cæsarem impotenter inusitata indignaque iusto pontifice postulasse. Quæ nam illa verò tam indigna, tam inusitata? Ioui. nimirum, vt Pontifex esset Pontifex, & Imperatorem sineret esse Imperatorem. Hinc

istæ

ſtæ lacrymæ. Ferre non poterat Pontifex Imperatorem rebus ſecundis famaque florentem, & priſcam dignitatem maieſtatemque Imperatoriam ſibi aſſerere, & quoſdam nimis exultantes & ſeſe efferentes in ordinem cogere volentem. Qua de re conſulendi & alij eius æui hiſtorici, & noſter Guntherus. At num ob id iracundus & fæuus Cæſar abs te, Ioui, dici meretur? num tali notandus erat elogio, quod diuina humanaque impiè perturbârit?

Victorem) de hoc vide Guntherum lib. 10. verſ. 126.

Ait: Pontificem Alexandrum imploraſſe paſſim auxilia à pijs regibus. Dixiſſem potiùs, imploraſſe auxilia piorum regum: vel, petijſſe auxilia à pijs regibus. Quæ formulæ perperam inter ſe commutantur. Sed hunc quoque lapſum calami ipſius condonemus vehementiæ. Eſt autem hîc operæpretium obſeruare, quàm conformes ſint huius Pontificis mores Petri & Pauli moribus. Scilicet illi quoque arma parabant in Cæſares, & in Neronem alioſque Imperatores Romanos concitabant alios Reges, quorum implorabant auxilia.

Quos autem Iouius pios Reges vocat, eos alius dixerit fuiſſe illos quidem bonos viros, ſed nimis occupatos ſuperſtitione tunc peruagata, & falsâ religionis ſpecie, qua nihil ſolet eſſe in hominum animis percellendis efficacius: ſecundùm Liuium.

De Pontificis felicitate, & vindictâ diuinâ, quæ preſſerit Imperatorem, quod ait Iouius: ei meritò opponemus illud Ouidianum:

—— careat ſucceſſibus, opto,
Quiſquis ab euentu facta probanda putat.

Et quod præclarè ſcribit Diodorus Siculus: οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων χρὴ κρίνειν τὰς ἀγαθὰς ἄνδρας, ἀλλ' ἐκ τῆς γνώμης καὶ προαιρέσεως.

Ait, Imperatorem ad pedes Pontificis ſuppliciter proiectum, ab eo vitè expiatum fuiſſe Venetijs) Scio hoc vulgò ita iactatum, & hoc quoque additum (quod tamen Iouius non audet dicere) ceruices Imperatoris pede calcaſſe Pontificem, pronunciatis Pſalmi 91. verbis. Venetijs quoque hodie id ita pictum audio viſi. Sed & hoc ſcio, non æquè certam huius rei apud omnes auctores fidem eſſe. Ab Auentino certè negatur, & ab Italis in Germanorum con-

tumeliam confictum dicitur : quem & alij quidam prudentiores hiſtorici ſequuntur.

Ait, Caſar tam piè, quàm grauiter, &c. pio generoſoq; animo. Et mox: Vir fortiſſimus & ſuprà Reges omnes, bello inclytus.) Ecce nouum ſpecimen conſtantiæ & iudicij in Iouio. Qui ipſi paulòante fuerat iracundus, dirus, fæuus, crudelis, contumelioſus, immanis, nunc pio, generoſo, fortiſſimo animo eidem eſt præditus. Atqui mendacem memorem eſſe oportere aiunt.

Apuleius Apologiâ.

Ferrei amnis) Selephium alij hunc fluuium vocant. Auguſtinus Iuſtinianus in Hiſtoriâ Genuenſi: Anno 1189. Imp. Fridericus Barbaroſſa, cum exercitu copioſo poſt multa incommoda, periculaq; & prælia venit in Syriam: & in partibus Antiochiæ, tranſeundo flumen non admodum magnum, quod recens nomen habet flumen ferri, & vetus Selephium, ſubmerſus interijt cum ſummo mœrore & detrimento nominis Chriſtiani: & fuit corpus ipſius ſepultum Tyri. Vide & Chronologiam Turcicam Franciſci Sanſouini, nuper editam cum Narrationibus. Turcicis, Ioach. Camerarij.

Ait Iouius: inſigni illudentium Parcarum iniuria) Ecce viri pietatem! non abſimilem illi ab Hetruria alteri, qui Pindari hymnos, Pſalmis Dauidicis præferebat: vel illi ab eadem gente, qui Apoſtolos pro impoſtoribus mundi habebat: vel illi, qui de Animæ humanæ mortalitate librum edidit.

Ait de Friderici ſtatua loquens: Viroſi diriq; hominis ſimulacrum) Ego verò Protea non tàm varium fuiſſe crediderim, quem tamen ſeſe in quicquid voluiſſet transformaſſe fabulantur. Ecce, ille paulò ante pius, ille grauis, ille generoſus, ille fortiſſimus &c. nunc ſubitò iterum fit Iouio noſtro viroſus & dirus homo.

De Emanuele Græcorum Imperatore quod ſcribit Iouius eum liberaliter commeatum præbuiſſe Cæſari Friderico: nouimus, qualem ſe aliâs perfidus ille Græculus, (Sic Guntherus vocat lib. 3.) aduerſus Fridericum geſſerit. De quo hoc eſt inter cætera eius perfidiæ argumenta memorabile, quod ex Niceta didicimus; Mediolanenſes ab hoc ipſo inſtigatos fuiſſe ad rebellandum ſuo Imperatori. Egregium verò propinquum!

fol. 101.

Atque

Hosted by Google

Atque hæc habui, quæ ad Iouianam descriptionem vitæ Friderici breuiter annotarem, ne quis eam fortè legens, sequiùs de bono Principe opinetur, maleuolorum calumnijs præpeditus. Longiorem & accuratiorem illarum refutationem peritioribus relinquo. Verùm age colophonis loco addamus hîc & Nicetæ Choniatæ pulcerrimum elogium, quo is, Annal. lib. 3. extremo, FRIDERICVM nostrum exornauit: atque illud malignis & inconstantibus Iouij, an laudibus, an maledictis opponamus.

Γενόμενος ὁ κατά πνα ποταμὸν (ὦ τῶν ὑπὲρ δόξαν καὶ ἐλπίδων πεφυκότων, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, τῶν ἀνεφίκτων ἀνθρώποις κειμάτων θεῦ) ταῖς τῶν ὑδάτων δίναις ἐναποπνίγεται: ἀνὴρ διὰ μνήμης ἄγεσθαι ἀγαθῆς καὶ διηνεκοῦς, καὶ μακαρίζεσθαι δικαίως ἅπαντος τέλους παρὰ τοῖς ἐχέφροσιν, ἄξιος: ὁ μόνον ὅτι πρὸς οὗ εἶχε γένους: καὶ πολλῶν ὁπλιτείας κατῆρχεν ἐθνῶν: ἀλλ' ὅτι καὶ τῷ τοῦ χειροῦ πόθῳ πυρούμενος, ὑπὲρ τὸν ὁπωδήποτε τῶν τότε χειστιανῶν αὐτοκρατόρων, παιδεία καὶ χλιδὴν βασίλειον, καὶ ἀναπαυλαν, καὶ † οἴκοι μετὰ τῶν φιλτάτων ὅλβον, καὶ † ὑπερήφανον βίοτον, παρωσάμενος: εἵλετο συγκακοχεῖσθαι τοῖς καλὰ παλαιστίνῃ χειστιανοῖς, ὑπὲρ ὀνόμαλος τοῦ χειστοῦ, καὶ τῆς τοῦ ζωοπαρόχου τάφου πυμῆς, τὴν ἀλλοδαπίαν τῆς οἰκείας προκείνας: μηδ' ὑποχαλασθεὶς τῆς ὁρμῆς, † παρασάγγαις τῆς δολιχῆς καὶ πάσης ἀρχαλέας ὁδοῦ, καὶ τοῖς ὀκ τῶν ἐθνῶν κινδύνοις, δι' ὧν παρέρχεσθαι μέλλοντι ὐδὲ τὸ στενὸν ὕδωρ, καὶ ὁ μελιπηδὼς ἄρτος, καὶ ὕπνος ὠνητός, ἐνιαχοῦ δὲ καὶ ὀπίσουλος, ἐξέκρουσεν αὐτὸν τῆς προθέσεως. ὐδὲ τεκνων πειρῶσης, καὶ περιβολαὶ μετὰ δακρύων, καὶ ὕστατοι ἀσπασμοί, τὴν αὐτοῦ ψυχὴν συγκεχύκασιν, ἢ ἐξεθήλυναν: ἀλλὰ καλὰ † ὑπόσολον παῦλον, μὴ ἔχων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν πμίαν παρ' ἑαυτῷ, ἐπορεύετο μὴ μόνον δηούμενος, ἀλλὰ καὶ θανόμενος,

σόμενος, ὑπὲρ ϑ ὀνόματος ϑ χεισοῦ. οὕτως ἀποσολικὸς ὢν ϑ ἀνδρὸς ὁ ζῆλος, καὶ Θεοφιλὴς ὁ σκοπὸς, καὶ τῶν ὑπερτελῶν τὸ κατόρθωμα: οὐ πρὸς τὴν ἀνάντη πολιτείαν τῆς εὐαγγελικῆς ὑφηγείας ὅλον ἑ νοῦν ἀνατείναντες, καὶ πρὸς ταύτην ἅπαντα ἑ δρόμον σωτείναντες, τὰ κατὰ ἑ βίον ἀπαξαπλῶς, ὡς σκύβαλα παρεβλέψαντο. Καὶ ὁ μὲν (ὡς ἐμαυτὸν πείθω) μακαρισῦ τετύχηκε τέλους. κἀγὼ ϑ (ὁ Κρύσιος) λίαν θαυμάζω ἑ αὐδρεα τῆς ἀρετῆς. *Hæc ita ſunt reddita Latinè:*

Cum autem ad fluuium quendam peruenisset (ô inſperatos & inopinatos caſus, vel potiùs inexplorata hominibus Dei iudicia) vorticibus aquarum ſuffocatur: vir honeſta & perpetua memoria dignus, & iudicio prudentum vel in tali obitu felix, non eo tantùm quod nobili ortus genere auitum imperium in multas gentes obtinuit, ſed ob illud potiùs, quòd vltra omnes omnium gentium Chriſtianorum principes Chriſti deſiderio flagrans, patriâ, delicijs regijs, tranquillitate beatâ domi, ſuperbaq; cum cariſſimis vitâ deſpectis, cum Chriſtianis Palæſtinæ incolis ærumnas tolerare maluit, & propter Chriſti nomen & vitalis ſepulchri venerationem exteras terras patriæ prætulit, ab eo inſtituto non tot paraſangis, non tam longinquo & vbiq; difficili itinere, non periculis, quæ à gentibus, per quarum prouincias tranſcundum erat, imminebant deteritus: non

aquæ

aquæ penuria, non præfinitus isq; emptitius panis,& alicubi insidiosus, eum ab instituto dimouit : non liberûm amplexus cum lacrymis , & extremæ salutationes cum commouerunt aut effœminarunt; Sed potius instar Pauli Apostoli vitam parui æstimans abijt, non modò vt vinciretur ; sed etiam vt pro Christi nomine morereturetur. Adeò Apostolicus fuit illius viri feruor,& religiosum institutum, nihil eorum sanctimonia inferius , qui extra communem sortem positi,tota contentione animorum ad vitæ rationem Euangelicæ celsitudini respondentem feruntur, ex totius ætatis cursu eò directo, res humanas pro stercoribus despexerunt. Ac is quidem (vt mihi persuasum est) feliciter est defunctus.

FINIS.

Hosted by Google

ERRATA.

Pag.7.lin.17.cognomento.p.17.l.5.intelligat. p.18.l.10. iuuentæ. p.28.l.33.mellifluū.p.28.l.34.cupiens. p.38.l.23. ſedandi. p.38.l.24.dele omi. p.49.l.39. Hic locus ita legi debet: Alludit,ni fallor,ad manū regiam,de qua meminit Pōpon.in lib.2.de orig.Iur.& ad id,quod Imp.omnia Iura in ſcrinijs ſuis recondita habere dicitur ex l. 19. C. de teſt. Quod ad Pontif. Rom.egregiè ſcil. accommodauit Bonifac. VIII. Ab Oth.Friſing.tamen multùm hæc Imp.poteſtas limitatur. Ab hac vocula manus,hi ſunt loquēdi modi: eſſe in manu alicuius, i. potentia,arbitrio: manumittere,pro è poteſtate ſua,&c.Ex manib.dimittere.Ex manibus eripere,Plaut.Terent.&c. p.53.l.27.perdita. p.59.l. 6.ꝑ ſuprà leg.quinta. p.61.l.27.poſt hoſtia adde &. p.64. l.3.poſt Hippolytum adde qui. p.72.l.3.poſt neq; adde adeò. p.83.l.6.poſt ipſe tolle virgulam. p.86.l.20.alibi. p.91.l.7.ſed. p.98.l.29.ſed. p.128.l.pen.quoquam. p.137. l.33.poſt diſtingui adde duo cola. p.142.l.30.rectè. ibid. lin.30.poſt fortis adde eſt.p.149.l.5.reperi.p.151.l.31.putaui.p.154.l.5.parricidæ.p.164.l.18.Saluatoris.Ibid.l.22.voluit. p.165.l.9.oſtentatorias. p.166.l.9.ære.p.173.l.7.exhalare. p.185.l.8.conducunt. p.186.l.19.vndæ.p.187.l.1. ad pro in. pag.191.l.10.adhibere. p.193.l.8.δολιερῆς.p.198. l.35.ἀπολογεῖσθαι. p.199.l.15.alliciant. Ibid.l.29.appoſita. p.200.l.27. Salluſtij. p.202.l.15.doctarum. p.207. l.15.virum. Ibid.l.vlt.arrogaretur. p.192.l.11.minantes. Cætera,ſi quæ ſunt,Lector peritus ipſus corriget.

Bayerische Staatsbibliothek München

Hosted by Google

37475

Hosted by Google

Hosted by Google

037475

Hosted by Google

Hosted by Google

037475

Hosted by Google

00037475

Hosted by Google

00037475

XXX III 92

00037475

Hosted by Google

ERRATA.

Pag.7.lin.17.cognomento.p.17.l.5.intelligat. p.18.l.10. iuuentœ. p.28.l.33.mellifluũ.p.28.l.34.cupiens. p.38.l.23. ſedandi. p.38.l.24.dele omi. p. 49.l.39. Hic locus ita legi debet: Alludit,ni fallor,ad manũ regiam,de qua meminit Põpon.in lib.2.de orig.Iur.& ad id,quod Imp.omnia Iura in ſcrinijs ſuis recondita habere dicitur ex l. 19. C. de teſt. Quod ad Pontif. Rom.egregiè ſcil. accommodauit Boni-



Bayerische Staatsbibliothek München

Hosted by Google

000037475

ERRATA.

Pag.7.lin.17.cognomento.p.17.l.5.intelligat. p.18.l.10. iuuentæ. p.28.l.33.mellifluũ.p.28.l.34.cupiens. p.38.l.23. ſedandi. p.38.l.24.dele omi. p. 49.l.39. Hic locus ita legi debet: Alludit,ni fallor,ad manũ regiam,de qua meminit Põpon.in lib.2.de orig.Iur.& ad id,quod Imp.omnia Iura in ſcrinijs ſuis recondita habere dicitur ex l. 19. C. de teſt. Quod ad Pontif. Rom.egregiè ſcil. accommodauit Boni-



np.pote-
ĕdi mo-
anumit-
ex mani-
. p.59.l.
&. p.64.
eq; adde
20.alibi.
1. p.137.
tè. ibid.
31.puta-
l.22.vo-
3.l.7. ex-
p.187.l.1.
ñs.p.198.
9.appo-
n. p.207.
inantes.

Bayerische Staatsbibliothek München

Hosted by Google